15. 1.241 13-4

13 Q 1.

Digitized by Google

Digitized by Google

CRITICE APOLOGETICA
VETERUM ECCLESIÆ PATRUM
ADVERSUS HÆRETICOS
JOANNEM DALLÆUM, ET JOANNEM CLERICUM,

aliosque Novatores

DISSERTATIONIBUS ADORNATA

A PATRE MAGISTRO

PETRO THOMA SANTABARBARA

CARMELITA.

DISSERTATIO TERTIA ET QUARTA.



VENETIIS, MDCCLVIII.

TYPIS ANTONII BASSANESII AD S. CANTIANUM.

CUM FACULTATE ET PRIVILEGIO.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX LOCORUM,

QUÆ IN HAC CRITICE APOLOGETICA VETERUM ECCLESIÆ PATRUM CONTINENTUR.

DISSERTATIO III.

De re Critica.

DISSERTATIO IV.

De inviolatis Patrum Codicibus.

Digitized by Google

Digitized by Google

DISSERTATIO III.

DE RE CRITICA.

SÆpe mihi & veterum libros, de quibus diximus, & ea, quæ ob amorem in ipsos Ecclesiæ Patres præcipuum sensimus, cogitanti falsæ Dallæi opiniones videri solent, qui propter tot, tantos, tamque idoneos testes, quos ex veris eorum operibus excitavimus, se ab omni contentione neutiquam revocavit. Et quoniam illa eadem sensa nobis integra sunt; ac veterum labores magna Testimoniorum laude compensati firmiter sustinentur: pergamus ad retundendum reliquum, ac pene postremum ejusdem Censoris sermonem relato Capiti adnexum; qui sermo quia non modo quædam scripta vel Patribus supposita, vel dubia, vel certa; verum quoque Criticæ leges attingit: idcirco utile visum est, & Criticæ Definitionem ac regulas, quarum lumine genuina Patrum Opera a subdititiis, ac certa a dubiis secernantur, statuere, & de hisce prius, quam objectationes repellamus, generatim differere.

§. I.

Plura de Critice, ejusque Legibus describuntur.

PRimitus video, hanc ingressionem meam non ex verborum explicationibus, quæ antiquitate haud nituntur, sed ex vocum significatione, quam vetusta hominum consuetudo, & antiqui Scriptores tradunt, ideo ducendam esse; quod veteres, qui suæ ætatis, suæque gentis monumenta scriptis mandarunt, vocibus inde natis usi fuerint: quæ res eruditissimo cuique adeo est explorata, ut solum indigeat exemplis. Sic enim Moyses, qui ex omnibus Scriptoribus cum sacris, tum prophanis primus merito creditur, Hebraicæ linguæ institutiones, quibus Judaicus populus eruditus erat, ad suos quinque libros, quos eum docebat, accommodavit. Sic etiam veteres perdocti authores, & græci, & latini, loquendi more, quem eorum gentes tenuerant, diserte scripserunt. Ex quo sequitur, ut non modo vocabulorum, verum etiam rerum, quæ animo nostro obversantur,

tur, notiones generales, ac particulares, & ita ipsarum definitiones ex vocum, ac locutionum significatione, quam antiquitas præfetulit, peti debeant ac declarari. Præterea verborum significationes ab aliis subsequentibus Scriptoribus adhibitæ valent ad quippiam enucleandum; utpote quæ ad illorum origines, quas sectamur, alludant.

Quare ut sine ullo errore dijudicare possimus, si quando nomina occurrunt, quorum notiones requirimus: hæc formula ex iis, quæ modo commonstravimus, statuenda est, qua dicimus, quod, quanquam aliqui recentiores a veteribus diffidentes in sola nominum notatione adhærent, ac nutant: tamen non tam vocum notatio, quam significatio ab Antiquis tradita, vel indigitata, attendi debet & recipi; alioquin ab ejusdem significationis origine, quam veteres aut docent, aut innuunt, temere recedetur. Ea porro formula exemplo, quod in hujusce Operis præfatione posuimus, confirmatur; nam quum nominum significatio alia arctior sit, alia latior: tum si Hebræum nomen אב spectetur, Patrem denuntiat nominis notatione: sin ejus significatio e laudatis Moysis locis sumatur; jam sonat & restricte illum, qui re ipsa Filios producit; & late eum, qui rectis disciplinis erudit alios, & quodam modo procreat; quod utrumque inibi ostendimus ex vetustissimis scripturis Divinis. Non tam igitur vocum notatio, quam significatio haurienda est ex antiquitate.

Hinc quoque vocabulorum significatio alia propria, seu peculiaris est, alia tralatitia; quarum prior suæ voci proprie subjicitur: posterior in aliud transfertur. (*a*) Ita φύσις ex Aristotele peculiariter naturam, aut essentiam significat: a Platone vero ad vim ingenii, a Luciano ad staturam, ab aliis ad alia traducitur: quo in genere observamus, & voces, & rerum aut naturas, aut vires, quæ quopiam vocabulo denotantur, probe inspiciendas esse; quibus si qua vox haudquaquam respondeat, isthæc non ex rebus ipsis, sed tantum ex hominum opinionibus tralatitia judicatur; quæ ex Scriptoris mente; atque contextu legenti constabit.

Hic autem Tropicam significationem vocum a propria distinguimus. Tropus enim a Quintiliano sic definitur; ut sit „ verbi, vel sermonis „ a propria significatione in aliam „ cum virtute „, sive emphasi, *mutatio*. Emphasis porro ab eodem ita describitur; „ figura altiorem „ præbens intellectum, quam quæ „ verba per se ipsa declarant „. Ob quas definitiones illa vocis, aut sermonis mutatio verbis figuratis alium altiorem tribuit intellectum, quam quem tropicæ voces per se ipsæ declarant. Quapropter aliquis Scriptor quo magis intelligi possit, eo magis tropicis verbis non propriam, sed aliam altiorem significationem habentibus interdum utitur: quo altiori sensu Patres plura tropica sacræ Scripturæ verba ad populi captum accommodata, quæ scilicet non in proprietatem accipienda sunt, plane enodarunt.

Denique quoniam plures in quavis lingua, sive Hebræa, sive græca, sive latina, sive alia, sunt voces, quæ

[a] *Arist. lib. v. Met.*

quæ nullius alterius totidem verbis exprimi queant: idcirco ad illas vertendas, earumque significationes declarandas, periphrasi, seu circumlocutione, aliquando utamur oportet; qua videlicet id, quod uno, aut certe paucioribus verbis efferri poterat, pluribus transfertur, & explicatur: cujus in versione Relatio vocabuli aut una, aut multiplex, retinenda est, non immutanda, ne ipsius vocis significatio mutetur, neve relationis mutatio sensum ab eo, quem Scriptor intendit, diversum efficiat. Quod si aliquod verbum obscurum in quodam vetusto opere appareat: explanationes ex authoris scopo, ex ejus antecedentibus, & consequentibus, ac præsertim ex veteribus adhibendæ sunt; ut non obscuritas modo, sed & recentium Criticorum dissensus omnino auferatur. Hisce observationibus positis, & comprobatis, ad res Criticæ sensim pertranseo.

Critices Definitio, & Usus.

SI cupimus afferre omnia Recentiorum verba, quæ de Critices descriptione faciunt: si eorudem dissidia, qui in disceptationibus variis, inque investigationibus multis versantur: si cuncta hæc expensa volumus: immensum quiddam est, ac fere infinitum, quod in medio ponere debeamus; qui tamen brevitatis causa disputationes illas omittere, & circumscriptam Criticæ explicationem tradere cogimur.

Cum itaque alicujus vocis significatio & ex Antiquorum usu pendeat; & etiam ante rei, quam adsignificat, definitionem percipi debeat; quo ipsi rei lumen adhibeatur: tum advertere juvat, κριτικῦ, sive Critici nomen, ex quo Critice efficitur, a verbo κρίνω deduci; quod ex Homero idem est, atque *judico*, (*a*) *censeo*, ac *discerno:* unde oritur κρισις, *judicium*, & κριτὴς, *judex*; & κριτήριον, *nota*, ex qua judicium statuitur, & tandem κριτικὸς, *Criticus*, qui discernendi judicio pollet. (*b*) Hinc Criticen in judicio, & emendatione authorum consistere, Varro præmonuit. Ac generatim Censores alienorum operum Criticos dictos esse, Cicero indicavit. (*c*) Et quamvis Eustathius græcus docuerit, illos, qui ex Grammaticorum doctrina judicare de Poematibus norant, (*d*) Criticos appellatos fuisse: nihilominus quasdam Criticæ species, quæ Poetarum, & Grammaticorum operibus innituntur, non ipsius Criticæ genus respexit: quandoquidem egit de iis, qui Homeri scripta recensuerant, qualis fuit Aristarchus, qui spurios ejusdem Poetæ versus notavit. Criticen igitur, quæ generatim legitima authorum opera, ac gesta percenset, ac spuria notat, Eustathius ad eas species applicavit. Proinde Critice non modo grammaticorum, & Poetarum, verum etiam Oratorum, Historicorum, & authorum omnium volumina spectat, & Gesta.

Quibus expositis, universim Criticen definimus esse facultatem cum judicandi de Authorum operibus, deque Gestis; tum discernendi & germana ac certa ipsorum volumina ab

[a] *Hom. Ilia.*
[b] *Varro apud Diomedem lib. 2.*
[c] *Cic. lib. IX. epist. 10.*
[d] *Eust. in Hom. ad Iliad. B.*

adulterinis, atque incertis; & vera gesta a falsis, ac dubiis: cujus definitionis tanta vis est, ut Critice Nomine facultatis, quæ scilicet regulas judicandæ, ac dignoscendæ alicujus rei tribuit, cum cæteris Disciplinis conveniat; easque superet ratione & judicandi de Authorum Operibus, ac gestis, & discernendi utraque vera a falsis, ac dubiis: qua quidem ratione speciali ab aliis facultatibus potissimum Critice differt. Nam, ut exemplum ponamus, Logica facultas est, quæ edocet leges ratiocinandi, & secernendi legitima argumenta ab ambiguis, atque fallacibus. Quare aliqui logicam cum Critice minus bene confundunt; quæ etiamsi facultatis, aut disciplinæ universim acceptæ pacto, & generali judicandi ratione conveniant; tamen hoc distant, quod illa facultas judicium ad rectam dirigit ratiocinationem, & ad vitationem fallaciæ: hæc autem & de scriptis, & de gestis judicat, & utraque germana, aut vera a dubiis, falsisque sejungit: quibus in rebus Critice a Logica, atque a reliquis disciplinis quam maxime discrepat.

Hæc igitur de germanis atque integris authorum voluminibus, de incertis ac spuriis; & de veris gestis, ac de falsis judicia profert; simulque ista ab illis secernit.

Qua in causa vel de legitimis cujusdam libris, vel de nothis primum judicium fieri debet; quod etiam aut de veris gestis, aut de falsis profertur. Quum vero germana scripta ut integra ab aliquo edita sint: deinceps Critice integros judicat libros, eosque ab aliquibus contaminatis secernit; itidemque legitima & certa authorum scripta sejungit a dubiis, quæ videlicet partim ob aliquas rationes scriptorum, quorum nomen præferunt, opera esse probabiliter judicantur; partim ob alia argumenta ipsorum fœtus non esse videntur. Unde colligitur, nos certis, & integris præsertim veterum scriptis, non fictitiis, neque adulterinis, uti (a) debere.

Quocirca Critice duas in partes tribuitur; quarum una & de genuinis, certisque authorum libris, qui a dubiis, & nothis distinguuntur; & de veris gestis, quæ ab incertis, falsisque segregantur, pertractat: altera certos, & inviolatos codices a dubiis, ac violatis distinguit; quam partitionem ea Critices definitione breviter ita complexi sumus, ut hic priorem partem, atque in Dissertatione sequenti posteriorem, quæ utique ab illa secernitur, distincte tradectemus; ac modo tendamus ad declarandas Criticæ leges, quæ priorem partem spectant, atque constituunt.

Critices Principium, sive Prior Regula, petita e Testimonio, quo genuina, ac certa Authorum Opera probantur, exponitur.

JAm vero illud, quo Criticæ principium, aut primaria ejus regula sciscitur, non longissimam orationem desiderat, quamobrem præstituamus, „ legitima, & certa cujusque Scri- „ ptoris ea Opera esse, quæ talia „ sive ex Plerorumque, vel Plurium Te-

(a) Possumus etiam dubia quorumdam scripta adhibere ad aliquid non certe probandum, sed verisimiliter edisserendum; cum ista probabilia eorum Opera videantur.

Testium aut coævorum, aut fere æqualium, aut „ ferme supparium, „ aut etiam illorum, qui horum æ„ tatem sequuti sunt, consensu; si„ ve ex unius eorum, & alterius te„ stificatione, cui ipsorum nullus ad„ versatus fuit, evincuntur. „

Ac, ne plura istius principii argumenta, quæ pene sunt innumerabilia, consecter: brevi aliqua comprehendam; quorum unum est de plerorumque, vel plurium Testium consensione; qua, ut primi Scriptoris exemplum ponamus, Divinos sacri Pentateuchi libros a Moyse exaratos esse demonstrant gravissimi Testes, nimirum libri Josue (*a*) sacer auctor, David Propheta Regius (*b*), Helcias summus veteris legis Sacerdos, (*c*) Esdras Sacer scriptor, (*d*) Baruch Propheta (*e*), Joannes Novi fœderis Evangelista (*f*), Manethos externus Historicus, (*g*) Josephus Hebræus (*h*), S. Justinus Martyr (*i*), Tatianus (*k*), Clemens Alexandrinus (*l*), atque Eusebius Cæsareensis Episcopus. Sicut ergo plerorumque, & plurium istorum consensus Critico argumento est, a Moyse Pentateuchum certe scriptum fuisse: ita enucleati Testes vel plerique, vel plures adlegationibus suis consentientibus ad probanda genuina, & indubia cujusque authoris volumina plurimum valent.

Alterum mihi argumentum dat alicujus scripti laudatio, quam unus, & alter Testis aut coævus, aut propemodum æqualis, aut ferme suppar profert, quibus ejusmodi Testium nemo repugnat; quod Caii Romani Presbyteri tertio sæculo clari Tractatus contra Proclum Montani sectatorem ostendit; utpote quem librum illius germanum, ac certum fœtum esse, Eusebius eidem coævus, ac S. Hieronymus suppar testentur; quorum testimoniis a veterum nullo reclamatum est.

Ista autem exceptio uni, vel alteri authori, non plerisque, nec pluribus Testibus aut coævis, aut ferme æqualibus, aut pene supparibus datur; quippe qui majorem Testium partem constituant; cui parti aliquod cujuspiam opus testificanti paucorum immerito contendentium pars minor cedere debet.

Quapropter hoc loco eadem exceptio id tantum includit, ut, si unus aliquis cujuspiam adlegat scriptum, cui alii propemodum plures obsistunt, idem opus sit dubium, majori ferme Testium parte ambigente, ac repugnante; quam rem nonnullis exemplis postea vincemus.

Hic quoque statuimus, hacce in re Critica primum certæ Testium authoritati; deinceps rationi, quæ ex ea pendeat; tum germano scriptorum stylo, de quo infra agemus, adhærendum esse: sublato enim Testimonio, ac proprio cujusque scriptoris stylo, nihil, quod fidem facere possit, habetur.

Ac ne illud quidem de antiquissimis authoribus Ecclesiasticis, quos pertractamus, omitti potest, potissimam operum, quæ ipsi ediderunt, probationem ex priorum quatuor Ecclesiæ

(a) *Jos.* 1. 7.
(b) *David.* III. *Reg.* 2. 3.
(c) *Helc.* 2. *Paral.* 34. 14.
(d) *Esdr.* 2. 8.
(e) *Bar.* 1. 28.
(f) *Joan. Evang.* v. 45.
(g) *Man. ap. Jos. lib.* 1. *cont. App.*
(h) *S. Just. in Dial.*
(i) *Tatian. Orat.*
(k) *Clem. Alex. strom.*
(l) *Eus. lib.* IX. *Præp. Evang. cap.* 26. & 30.

Digitized by Google

clesiæ sæculorum Scriptoribus, & eorum voluminum confirmationem ex subsequentium ætatum authoribus, qui ipsa collaudent, ita sumi debere, ut Patrum, qui iisdem quatuor primis sæculis sibi proximi fuerunt, authoritas sit hujus Criticæ fundamentum & radix: qua posita, quinti, & sexti sæculi testes vim habent; qui etiam quarti sæculi opera, dummodo aliis Testimoniis assentiantur, ostendunt. Sicque certos illorum voluminum authores declarant.

Hic Criticus eandem fere Regulam servet, qua & veræ Historiæ judicantur & gesta: quorum unum fundamentum est Testium vel coævorum, vel propemodum æqualium, vel ferme supparium, vel etiam aliorum hosce sequentium consensio; quæ ut firmissima ratio primum ex genuinis plerorumque Scriptorum monumentis adsertur, & præsertim ad probanda vetustarum Historiarum capita, simulque ad ea ex plerisque antiquorum Testium certo dignoscenda adhibetur: quandoquidem antiquitatis gesta sine veterum testimonio sciri non possunt.

Quamobrem vetusta, & publica aliquot facta, quæ aut in authorum ipsa describentium regionibus contigerunt, aut multi Scriptores probati a gravissimis Testimoniis acceperunt, indubia sunt; quippe quæ vera ex horum consensu, qui illorum gestorum substantiam respicit, ostendantur; quorum si circumstantiæ quædam ab aliquibus authoribus varie enarrentur; non ideo res gestæ, de quarum extantia, ac præcipuis partibus complurium Testium nullus dissentit, veræ non sunt. Quis autem dubitet, quin magna hujusce rei argumenta ex Historia sacra, & Ecclesiastica proferre possimus? Ecquid enim certius Christi morte? Quæ a Sanctis Apostolis ipsi præsentibus prædicata, ab antiquioribus Patribus tradita, ab aliisque Scriptoribus istorum ætates consectantibus asserta, firmissime creditur: & tamen de temporis circumstantia, sive de anno, quo Dominus gloriæ mortuus est, diversa nonnulli veteres sentiunt: quæ diversitas quum ejusdem mortis circumstantiam, non capita, spectet; idcirco mors ipsa, quod ad ejus substantiam & potiores partes attinet, consentientibus permultorum veterum authoritatibus, quas brevitatis causa prætereo, certissima demonstratur. Præterea isthæc Critices documenta firmat S. Petri Apostolorum Principis in urbem adventus; quem & S. Clemens I., Romanus Pontifex illi (a) coævus indigitat, & docent S. Irenæus (b), ac Tertullianus ejusdem Petri ferme æquales (c), atque Eusebius (d), Lactantius (e), & S. Athanasius ipsi Apostolorum Principi propemodum suppares (f), ac S. Epiphanius (g), S. Hieronymus (h), Paulus Orosius (i), ac S. Leo Magnus (k), æva sequentes; qui sunt plerique ex authoribus Ecclesiasticis. *Neque ulla*, inquit Samuel Basnagius Hæreticus (l), „ unquam traditio „ fuit, quæ majori Testium nume- „ ro

[a] *Clemens Epist. 2. ad Corinth.*
[b] *S. Iren. lib. 3. adv. hær. cap. 3.*
[c] *Tertull. Præscript. cap. 36.*
[d] *Eus. lib. 2. Hist. Eccl. cap. 25.*
[e] *Lact. de mort. persec. cap. 2.*
[f] *S. Athan. in Apol. ad Const. cap. 3.*
[g] *S. Epiph. hæres. 27.*
[h] *S. Hier. in Catal. Vir. ill. cap. VIII.*
[i] *Paul. Oros. lib. 7. cap. IV.*
[k] *S. Leo M. serm. de SS. Apostol. Pet. & Paul.*
[l] *Sam. Basn. Tom. 1. annal. Polit. ad an. D. 64. num. IX. pag. 727.*

„ ro cingatur, ut de Petri in urbem „ adventu dubitari non possit, quin „ omnia Historiæ fundamenta con„ vellantur: „ ad quæ proinde ponenda plerorumque testium consensus, quo cujuslibet Historiæ capita evincuntur, maxime aptus est, atque validus: quamvis de quadam Historiæ circumstantia aliqui auctores diffideant; sicuti quidam scriptores in anno, quo idem Apostolorum Princeps Romam se contulit, a cæteris discrepant; cujus adventus Epocha, atque etiam annus, quo Christus Jesus mortem oppetiit, figenda sunt ex probatioribus testibus, velut ex Eusebio, & S. Hieronymo, qui Chronica procuderunt.

Quare eos, aliosque probatos auctores ab illis commentitiis, aut fictoribus, qui vel fabulas, vel falsitates, vel errores conscripserunt, distinguimus, quo vera gesta ex prioribus, non ex posterioribus, evincantur.

Quapropter plures certi, gravesque scriptores aliquod factum, cujus capita fictionibus haud immiscentur, narrantes prævalent aliis auctoribus aut fictitiis, aut commenta non raro exhibentibus: qui etiamsi quandoque aliquid narrent, quod vel ex aliis gravioribus testibus, vel ex ratione congruenti verisimile censeatur; tamen, cum plura falsitatis plena depingant: ideo hisce illi auctores probati longe præstant.

Atque, ut a genere ad quandam Historiæ speciem descendam, ea præstantia certis antiquis auctoribus Ecclesiasticis maxime convenit; quorum aut plures, aut unus, & alter multos Martyres, multa Ecclesiastica gesta, multasque res similes pure describunt, quas veritate niti, rata ipsorum auctoritas, quæ nonnullis figmentis interdum opponitur, plane commonstrat.

Equidem mihi videor navasse operam, quod tandem huc venerim: sed cur dimitto quædam vetera monumenta Ecclesiastica, quorum auctores aut ignorantur, aut probabiliter noti sunt, aut prorsus incerti? Ex illis quippe uti antiquis aliqua Ecclesiasticæ vetustati, tempori rationi, & circumstantiis apparentibus congruentia, ac sic credibilia eruuntur, exceptis quibusdam gestorum, ac temporum descriptionibus, quæ vel ab iisdem dubiis auctoribus diverse dicuntur; vel cum certorum scriptorum veterum, qui sane incertis præferendi sunt, monumentis nequaquam conspirant.

Alterum Critices Præceptum de Personis scribentibus, earumque Stylo.

POsteaquam cujusque scriptoris opus genuinum, ac certum esse ex testimoniis cognovimus: hocce fundamento prius nixi, ad spectandas auctorum personas hanc notam regulam damus, qua constat, & cer„ nitur, aut Prophetas, sacrosque „ auctores veteris Testamenti; & „ Evangelistas, Apostolosque novæ „ legis scriptores; atque Ecclesiasti„ cos Patres suorum operum opifi„ ces extitisse: aut externos aliorum „ librorum fuisse scriptores: eorum„ que Stylum & scribentis perso„ næ, & temporis, quo quisque „ scripsit, proprium esse atque præ„ cipuum. „

Sane uti quidpiam excellens est in germana alicujus hominis effigie, cujus ad cogitatam personam referuntur illa, quæ sub oculos ipsa cadunt: ita genuinos auctorum libros vide-

videmus; animo autem ea, quæ in istis continentur, ad personas, quarum nomen præferunt, quæque libros ipsos aut scripserunt, aut dictarunt, apte referimus: qua sine relatione cujusque operis scopus, argumenta, & sententiæ percipi nequeunt. Si enim gravissimorum authorum, ut Moysis, ut Isaiæ volumina perlegamus: in iis prædictiones, ac descriptas res futuras ut illorum cuique præsentes inveniemus; quas nunquam assequemur; nisi illos Dei Prophetas, qui prophetico lumine futura prænoverunt, utque sibi præsentia quandoque narrarunt, fuisse secundum veteres credamus, atque spectemus. Quidquid est igitur in legitimis libris, de quorum ratione agitur; id referendum ad auctorum personas. Hinc sacrorum scriptorum, Evangelistarum, Apostolorumque scripta singularibus titulis indicantur; quæ etiam Ecclesia suis Doctoribus innixa adprobavit, & coluit; quorum Ecclesiasticorum libri distinctis eorum personis conveniunt; quum ipsi Patres specialibus operibus suarum Personarum characteres exprimentibus vel catholicam fidem contra externos scriptores aut Ethnicos, qui extra veram unius Dei religionem fuerunt; aut Hæreticos, qui extra Ecclesiam erant, propugnarint; vel populum fidelem docuerint; vel Ecclesiasticam Historiam concinnarint.

Ad has scribentes personas aut sacras, aut Ecclesiasticas pernoscendas afferam Styli genera, quibus Hebræi, Græci, & Latini usi fuere.

Et quidem vetustissimi Judæi primitus contractum, inde paulo diffusum, rursus concisum; ac postea ampliorem loquendi modum sæpius adhibuerunt, nonnunquam intermittentes inchoatum sermonem, ad quædam alia transeuntes, ac deinceps priora dicta repetentes; ut ea populus, quocum loquebantur, memoria custodiret: qua in re non styli diversitas, sed simplicitas nonnullis Prophetis, Apostolis, & præcipue Apostolo Paulo ad Hebræos scribenti familiaris apparet tanto mirabilius, quanto altius Divina Mysteria includuntur in illa scribendi simplicitate; quæ non perpolita, non labore parta, non adeo prorsus æqualis, sed vulgarium sermonum, qui inæquales ejusdem locutionis modos habent, similis lucet.

Et vero de Græcorum, ac latinorum stylo proferam in medium Tullii documenta; qui de eloquentiæ forma differens, ait: „ (a) Tria sunt „ omnino genera dicendi, quibus „ in singulis quidam floruerunt.... „ Nam & grandiloqui, ut ita dicam, „ fuerunt cum ampla & sententiarum gravitate, & majestate verborum, vehementes, varii, copiosi, graves: ad permovendos, „ & convertendos animos instructi, „ & parati; quod ipsum alii aspera, tristi, horrida oratione, neque perfecta, neque conclusa: alii „ levi, instructa, & terminata: & „ contra tenues, acuti, omnia docentes, & dilucidiora, non ampliora, facientes, subtili quadam, „ & pressa oratione limati: in eodemque genere alii callidi, sed „ impoliti, & consulto rudium similes, & imperitorum: alii in „ eadem jejunitate concinniores, id est,

(a) *Cicer. Orator pag. 499. To. 2. Gen. edit. an.* 1743.

„ est, faceti, florentes etiam, & leviter ornati. Est autem quidam interjectus, inter hos medius, & quasi temperatus, nec acumine posteriorum, nec fulmine utens superiorum, ut Cinnus amborum, in neutro excellens, utriusque particeps, vel utriusque (si verum quærimus) potius expers. Isque uno tempore, ut ajunt, in dicendo fluit, nihil afferens præter facilitatem, & æquabilitatem: aut addit aliquos, ut in corona, toros, omnemque orationem ornamentis modicis verborum, sententiarumque distinguit. Horum singulorum generum quicumque vim singulis consecuti sunt, magnum in Oratoribus nomen habuerunt... itaque Caria, & Phrygia, & Mysia, quod minime politæ, minimeque elegantes sunt, asciverunt aptum suis auribus optimum quoddam, & tanquam adipatæ dictionis genus, quod eorum vicini.. Rhodii nunquam probaverunt, Græci autem multo minus; Athenienses vero funditus repudiaverunt .... ornate vero, & graviter, & copiose dicere, aut Atticorum sit, aut ne sit Æschines .... Sed id mihi quærere videbare, quod genus ipsius orationis optimum judicarem. Rem difficilem..., atque omnium difficillimam. Nam cum est oratio mollis, & tenera, & ita flexibilis, ut sequatur quocumque torqueas: tum & naturæ variæ, & voluntates, multum inter se distantia effecerunt genera dicendi.., ut alii graves, alii tenues, alii temperati vellent videri: quot Orationum genera esse diximus, totidem oratorum reperiuntur. „

Et quoniam cæpi cumulatius hoc agere, quam fortasse requiritur: nec nunc quidem solum de Græcis, ac Latinis Patribus, sed etiam de Ecclesiasticis Historicis antiquioribus brevem faciam sermonem.

Nam, ut prophanos Scriptores a Cicerone commendatos relinquam, plures Patres Græci, ac Latini, subtili quadam, & pressa Oratione limati, adversus Hæreticorum erratum disceptantes, dilucidiora, non ampliora, quæsierunt. Quidam vero Ecclesiastica gesta & graviter narrarunt & probe. Alii etiam ampla sententiarum gravitate, ac majestate verborum aut orationes fluentes, aut libros uberius, & ornatius instruxere. Alii denique vel horum generum aliquo usi, vel consulto rudium impolitorum, quibuscum sermocinabantur, similes, ac leviter ornati fuerunt: quod dicendi genus a quibusdam Patribus adhibitum nonnulli perperam reprehendunt; quum Tullius ipse testetur, quod quicumque eorum *singulorum generum*, atque adeo ultimi, *vim singulis consecuti sunt: iidem* magnum in oratoribus nomen habuerunt. Hos igitur loquendi modos imitatione antiqui Patres affectati; atque optimo Catholicorum dogmatum, Disciplinæ Ecclesiasticæ, & Historiæ studio præditi; easque res maximas Græcis, ac Latinis litteris persecuti; stylo proprio suarum personarum, ac temporum, quibus vigebant, luculenter scripsere.

Tum autem aliqui Patres dicendi genere non multum, sed parum vario aut in libris, & orationibus, aut in sermonibus, & Epistolis uti consueverunt, priora stylo amplo, posteriora minus amplo exarantes; quæ parva varietas demonstrat, unius alicujus Patris illa opera esse; quemadmo-

admodum una cujusdam certi Scriptoris oratio, aut Epistola, ornatior, vel elegantior videtur, quam altera; & tamen utraque ejusdem authoris est proles; quia & in illis, & in istis eadem lucet structura verborum, aut fluentium, aut minus fluentium, aut elegantium, aut elegantiorum; quæ ipsa scriptionis forma magnam styli, quem unus Scriptor adhibuit, partem refert, ideoque modicam ipsius styli efficit disparitatem; & utraque unius authoris scripta genuina, atque indubia esse declarat.

Quod si verborum structura modo eadem, modo diversa in aliquo Opere apparet: tum illud cujuspiam Scriptoris, cujus stylus in aliis certis ejus voluminibus ubique idem enitescit, dubium opus judicatur ex ea styli confusione.

Quum itaque ex Testimonio, & stylo valde æquali, ac proprio cujusdam certi authoris, præsertim veteris Ecclesiastici, de quo hic loquimur, alicui Critico liqueat, quodpiam scriptum, quod vocibus, ac rebus, quas ere significant, constat, illius esse fœtum: deinceps idem Criticus noscere debet cum res, quas Scriptor pertractat, tum ejus scopum, locutiones, enuntiata, atque argumenta, quibus illas aut exponit, aut probat. Nihil enim de iis, quæ authores intenderunt, atque exararunt, judicare eruditus potest, nisi illa omnia speciatim intelligat. Nam quæ Patres scriptis mandarunt, ea referuntur ad res, quas generalibus ac specialibus propositis suis, & particularibus argumentationibus illustrare adnitebantur; qui sane de Fidei Catholicæ rebus, de Infidelium, & Hæreticorum expugnationibus, de Sacrarum Scripturarum expositionibus, de Traditione, de Disciplina Ecclesiastica, deque Ecclesiæ gestis distinctius egerunt; quorum proinde mens, stylus, specialia argumenta, itidemque antecedentia, & consequentia, quæ in singulis eorum Tractatibus istorumque capitibus, & Epistolis, atque Orationibus, ac narrationibus Historicis extant, pervestiganda sunt, ac deprehendenda. Unde si qua in aliquo ipsorum capite subobscura, & ambigua locutio est de quapiam re, quam ibi non tractant; illa vel ex antecedentibus, & consequentibus, vel etiam ex aliis capitibus, præsertim ex iis, in quibus ex professo eandem rem agunt, explicari debet ac statui.

Sane quia id patet: missa non afferam sanctorum Martyrum acta ad Historiam Ecclesiasticam pertinentia; de quibus hoc dico; „ quod illa acta Martyrum sunt genuina, quæ „ & antiquorum Scriptorum, qui „ eadem aut exararunt, aut testati „ fuere, testimonio, & enucleata „ styli simplicitate fundantur„: cujus regulæ Criticæ ratio petitur ex Martyrum Lugdunensium, & Viennensium Actis, quæ Eusebius describit; quæ Ecclesiarum, Lugdunensis, ac Viennensis, atque etiam ipsius Eusebii testificatione muniuntur; (*a*) in quibus stylus non exornatus, neve elaboratus industria, nec barbaris vocibus scatens; sed passim fluens, & plurium narrationum plenus, & quandoque contractus perspicitur: quo liquet, strictam brevitatem a Tillemontio, & Bailleto requisitam in illis præcipuis, & authenticis actibus

[a] *Eus. lib. v. Hist. Eccl. cap. 1. pag. 170. & seq.*

ctibus minime reperiri; ideoque eam, quamvis in nonnullis aliis inveniatur, tamen omnium genuinorum ejusmodi actuum notam haud esse. Quapropter quum aliquot Martyrum acta longis narrationibus, ac non exculiis sermonibus constent; quædam vero brevitate gaudeant; profecto utraque legitima sunt, dummodo allatis characteribus ipsa instruantur: in quorum aliquibus si quæ voces sunt Tyrannorum impietatem reprobantes, non idcirco germana haud censentur, quoniam in sacris Machabæorum libris extant similia Martyrum verba. Tum etiam in quibusdam authenticis actibus, quæ Ruinartius adfert, plura miracula describuntur; quorum aliquot de S. Polycarpi Smyrnæ Episcopi Martyrio Smyrnensis Ecclesiæ Epistola, (*a*) & Patres de aliis Martyribus narrant; quas ob narrationes, ob veterum testimonium, atque ob styli simplicitatem pleraque Martyrum acta genuina creduntur, & præcipue utraque nota, quam & initio posuimus, distinguuntur ab iis, quæ plurium verborum barbarie, Personarum suppositionibus, aliisque falsis indiciis notha probantur.

Alia Critices lex fertur de conjectura, quæ legitima Opera attingit.

„ Conjectura, quæ est rectum alicujus rei non plane apparentis judicium, tum firma censetur, quum in subobscuro quidem, at certo testimonio, in genuino „ operis stylo, inque rerum convenientia innitatur. „

Et quia cogitatione attigi conjecturæ vim, idcirco hæc ita explicanda videtur, ut sit rectum, non contortum, judicium, sive ut non constet fallaciis, sed æquas argumentandi regulas servet; quibus id, quod aliqua in re non plane apparet, sed subobscurum, ac non prorsus apertum est, quadamtenus declaretur: quæ declaratio ut ad probandum aliquod cujuspiam opus firmitudinem habeat, plane colligitur & ex indubio alterius Scriptoris vel coævi, vel supparis, vel propemodum supparis testimonio, quo, licet iste illius operis Authorem non exprimat; attamen innuit: & ex legitimo stylo, aut cui ejusdem ætatis Scriptores adhæsere, aut quem idem ille author in alio suo opere adhibuit: & ex rerum convenientia, quas ipse scripsit, quæque tempori, causæ, & personis, de quibus egit, apte conveniunt. Sic Eusebius (*b*) ut nonnulla **Caii Romani** Præsbyteri loca ex relata hujus disputatione adversus Proculum expresse retulit; utque *multorum lucubrationes* generatim indicavit: (*c*) tum cujusdam ex *illis authoribus librum adversus Artemonis hæresim elaboratum*, istiusque libri fragmentum produxit; quod cum illorum locorum stylo, & (*d*) *Zephirini* hic laudati temporibus, quibus Cajus floruit, penitus congruat: merito conjicitur, hunc librum Caii ipsius, quem Eusebius postea non expressit, sed sub *cujusdam* nomine pro-

[a] *Epist. Smyrn. Eccl. apud Euf. lib. iv. Histor. Eccl. cap. 15. pag. 138.*

[b] *Euf. lib. 2. Hist. Eccl. cap. 25. pag. 76. & lib. 3. cap. 31. pag. 110.*

[c] *Idem lib. v. Hist. Eccl. cap. 27. & 28. pag. 218. & seq.*

[d] *Romanus Pontifex tertio sæculo enituit.*

protulit, esse fœtum; quem dehinc Photius (*a*) eidem Cajo expressim attribuit.

Ad eandem ferme regulam spectant quædam facta, & aliquæ temporum, ac personarum circumstantiæ, quæ ex certis scriptorum authoritatibus, exque inscriptionibus, ac numismatibus eruuntur; quorum indicia cum prioribus testificationibus cohærere debent: quoniam inscriptiones, ac Numismata circumstantiarum varietatem, uti liquet, sæpenumero faciunt; ad quam vitandam, & ad conciliandas circumstantias conjectura capienda est aut ex liquido, aut ex subobscuro quidem, at quidpiam indicante alicujus Scriptoris testimonio: cui si illa omnino repugnant, tunc in isto, non in illis, ut quæ varia identidem sint, insistendum. Ac si authores quidam non de re ipsa, sed de temporis circumstantia diffideant; aut si factum eo tempore, in quo a nonnullis ponitur, evenisse nequaquam appareat; tum aut alio certo Scriptore res gestas, ac tempora accuratius describente, aut verisimili rerum convenientia, quæ aliis consimilibus factis confirmari potest, ita uti debemus, ut verisimili tanquam certo principio, ac falsis, mendosisque inscriptionibus minime abutamur: neque enim verisimile est certum, sed dubium; nec falsæ, ac mendosæ inscriptiones vel sinceram veritatem, vel quandam verisimilitudinem, quæ a falsitatibus, atque a mendis fallacibus abest, continere judicantur.

Cæteræ Critices Regulæ de suppositiis operibus proferuntur.

PRius de his Criticum Præceptum a Testimoniis repetendum est; quo dicimus, „ quod ea alicui Scri-„ ptori supposita certe sunt opera, „ quæ coævi Testes, vel propemo-„ dum æquales, vel ferme suppares, „ iisque proximi aut notha prorsus „ affirmant, aut de illis ipsis uni-„ versim silent. „

Cujus regulæ altera pars adfirmationem, altera silentium requirit, ut notha volumina sciri, & a genuinis secerni queant: quam secretionem primum antiqui, præcipue Ecclesiastici, Testes, ut supra vidimus, effecerunt, dum quædam scripta Patribus abjudicarunt, atque a germanis eorum operibus discrevere: quæ cum genuina esse ex ipsorum Testium authoritate noscantur, etiam alia scripta Patribus supposita fuisse, ex eorumdem Criticorum veterum testimoniis plane intelligitur; nisi Testimonii vis, quæ Criticæ principium est, injuria effringatur; sine quo vera a falsis, certa opera a dubiis, ac legitima a spuriis distingui non possunt.

Quum autem Testium authoritas, quæ aliquod opus nothum affirmat, multum firmamenti habeat & roboris; profecto generale ipsorum silentium, quo alia quædam opera non attulerunt, nec indicarunt, ad horum suppositionem demonstrandam plurimum valet: quod silentium uti hujusce suppositionis radix quatuor sæcula, in quorum spatio authores sibi proximi fuerunt, includit; quibus accedens Patrum, qui duobus aliis

(*a*) *Phot. BB. Cod. 48.*

aliis ſequentibus ſæculis floruere, ſilentium, illam ſuppoſitionem confirmat. Quare ſi quis ſæculi quinti Scriptor alicujus Patris, qui vel in primo, vel in altero ſæculo tantummodo enituit, volumina adſert, quæ tamen a nullo quatuor priorum ſæculorum authore laudata ſunt, aut indigitata; hæc quodammodo dubia videntur; quippe quæ a priorum quatuor ſæculorum Authoribus neutiquam agnita, & aliunde a poſito quinti ſæculi Scriptore, qui tertii ſæculi Patribus fere ſuppar, ac ſæculi quarti Scriptorum ferme æqualis extitit, adducta fuerint: quas ob rationes de illorum operum authore ſolum dubitatur; cui proinde eadem certo ſuppoſita haud ſunt, ſicuti ſuo loco explicabimus. Hinc quo ſilentium ſit certa ſuppoſitionis nota, debet habere & in quatuor priorum ſæculorum Scriptoribus omnino tacentibus fundamentum; & in quinti, vel etiam ſexti ævi authoribus uſquequaque ſilentibus firmitatem; id quod eſt generale ſex ſæculorum ſilentium.

Atque illud hujus notæ fundamentum obſervatum velim. Nam quum unus, vel alter probatus quatuor priorum ſæculorum author aut prioris Patris, qui in aliquo ipſorum ævo extiterit, opus, aut factum, quod in illis evenerit, adferat, tum non eſt univerſale ſilentium. Quocirca ſeu opus illud, ſeu factum proculdubio (a) legitima ſunt, atque vera, etiamſi de iiſdem complures alii veteres plane ſiluerint; ipſa enim ab uno, vel altero antiquo Teſte aut æquali, aut fere coævo, aut pene ſuppari, aſſeruntur; quæ aſſertio ſic, ut res exiſtens nihilo, pluribus aliis nihil dicentibus, prævalet.

Ex adverſo igitur ea vel ſcripta, vel geſta ſunt illarum ſex ætatum veteribus ſubdita, quorum nulla mentio facta eſt ab univerſis eorumdem ſex ſæculorum Scriptoribus.

„ Altera ſuppoſitionis Nota ex ma-
„ gna ſtyli diverſitate elicitur, ac de-
„ claratur. „

Nimirum illud ſcriptum cuidam authori probato ſuppoſitum eſt, quod dicendi genere, aut partium periodi ſtructura magnopere differt a ſtylo alterius legitimi libri, quem a Scriptore aliquo editum fuiſſe conſtat. Quamobrem nec verba magis, minuſve elegantia, nec parva ejus ſtructuræ varietas, ſed magna locutionis, ac Dictionum diverſitas illam ſuppoſitionem oſtendit: quoniam major pars Orationis, & phraſeos, quæ in quoque volumine conſpiciuntur, cujuslibet authoris ſtylum exprimit, atque demonſtrat. Quocirca verba, & orationes magis, minuſque excultæ, in quibus aliqua ſermonis elegantia antiquitus adhibita minime deſideratur, vacant magna ſtyli varietate; in qua tamen conſtituuntur plura ſequiorum ſæculorum conſcripta veteribus ſubdita, quæ voces multas, harumque compoſitiones, quibus priſcarum ætatum Authores uſi haud fuere., præſeferunt, iiſque propterea falſe adſcribuntur.

Sunt & alia ſuppoſitionum genera ex rebus ipſis, quas libri exhibent, ſum-

(a) Adverte, quod, cum aliquis Pater vel poſt medium ſæculum quartum, vel eo labente, & quinti initiis clarus alicujus opus, aut geſta, & aliquam traditionem indubitanter collaudet; jam hæc indubia ſunt; quia is Scriptor ſecundi, ac tertii ſæculi Patribus fere ſuppar, & ferme coævus extitit.

sumpta ; quorum prius est istud ; „ quod liber, in quo legitur alicu- „ jus momenti doctrina illi contra- „ ria, quam scriptor, cujus nomen „ præfert, in aliis suis operibus aut „ constanter, aut speciatim tradit, „ non videtur ipsius esse, nisi aliun- „ de liqueat, ab authore sententiam „ mutatam fuisse ; „ quam mutationem patefaciunt S. Augustini retractationes ; cui tamen liber hypomnesticos suppositus est ; quia & aliquos errores continet, quos S. Doctor constanter refellit ; & nonnullos haud retractat, sed astruit, quos idem Augustinus diserte retractavit.

Alterum postremum suppositionis genus res quasdam, vel gesta, tempora, ac personas quaspiam respicit ; de quibus Prophetas, quorum prædictiones generatim jam observatæ sunt, quodammodo excipimus, deque aliis Scriptoribus hoc affirmamus, „ librum, in quo exhibentur „ vel res, vel historiæ, vel personæ ipso „ Scriptore, cujus titulo signatur, „ recentiores, aut ei addictum esse, „ aut quadamtenus auctum. „

Hujus notissimæ regulæ exempla inde exponentur, ne modo in plura distrahatur Oratio. Quare nunc ex iis Critices præceptis potiora colligemus, atque tuebimur.

§. II.

Dallæi Opinationes propositis veterum authoritatibus evelluntur.

UT intellectum est, quantam vim haberet Critices antiquorum aut testimonio, aut generali silentio munita ; quorum uno vel omnia legitima, ac certa Patrum opera, vel aliqua dubia, vel notha ; & altero supposititia demonstrarentur : tum Dallæus studuit utrumque elevare infirmis argumentis ac mixtis : contra quæ hanc legem Criticam de superioribus sumptam constituo.

„ Quæ aut uti genuina, & certa „ Patrum Opera, eorumque stylum „ referentia a veteribus consentien- „ tibus adducta sunt, aut in dubium „ revocata, aut excepta ut spuria, „ aut etiam generali istorum silen- „ tio, & magno styli discrimine „ probata ut commenta : ea vel cer- „ ta, vel dubia, vel notha osten- „ duntur. „

Ac mihi quidem primorum sex Ecclesiæ sæculorum Scriptores, majus quiddam animo complexi ; plus multo etiam antiquorum Patrum scripta pernovisse videntur, quam quantum nuperorum ingeniorum acies adspicere potest : utpote qui Patribus ipsis, a quorum ætate recentiores longe remoti sunt, proximi fuerint : quorum proinde aut authoritate, aut silentio vel certa Patrum volumina, vel dubia, vel ficta probantur.

Eusebius sane tertio, ac quarto sæculo clarus, ac sic antiquis Patribus aut coævus, aut suppar, de Sancto Ignatio Antiocheno Episcopo, ac Martyre, deque septem ejus Epistolis agens, eas vetustiorum testimoniis legitimas vincit : quorum propterea, & aliorum quoque, qui illas consentientibus animis laudarunt, silentio, quædam aliæ Epistolæ S. Ignatio suppositæ, cumque iisdem illis genuinis litteris haud confusæ monstrantur. Eusebius (a) igitur

[a] *Euseb. lib. 3. Hist. Eccl. cap. 36. pag. 113. & sequent.*

Digitized by Google

tur ait: *Ignatius .. multorum sermonibus nostra etiam ætate celebratus, secundus post Petrum Antiochensem Ecclesiam sortitus est. Hic ob fidem Christi e Syria ad urbem Romam perductus, bestiis objectus esse dicitur. Et cum per Asiam sub accuratissima Satellitum custodia ductaretur, singularum nihilominus Civitatum, quas ingrederetur, Ecclesias sermonibus, & cohortationibus suis confirmans, monebat in primis, ut sibi a pravis Hæreticorum opinionibus caverent, quæ tunc primum in lucem emergere cum cæpissent, copiosius postulabat: hortatusque est, ut Apostolorum traditionibus tenaciter inhærerent: quas quidem ad certiorem posteritatis notitiam testimonio suo confirmatas scriptis mandare necessarium duxit. Itaque cum Smyrnam venisset, in qua tum erat Polycarpus, unam quidem Epistolam scripsit ad Ecclesiam Ephesiorum, in qua Onesimi ipsorum Pastoris mentionem facit. Alteram quoque dedit ad Ecclesiam Magnesiæ Civitatis, quæ ad Meandrum sita est, in qua etiam Damam Episcopum nominat. Aliam item ad Ecclesiam Trallianorum, cujus Antistitem tunc fuisse memorat Polybium. Præter has est & alia ejus Epistola ad Ecclesiam urbis Romæ ... Postea vero a Smyrna ulterius progressus, cum Troadem venisset, inde ad Philadelphenses litteras dedit, & ad Smyrnæorum Ecclesiam, privatimque ad Polycarpum eorum Episcopum: quem cum Apostolicum virum esse plane cognosceret, ipsi tanquam bonus, ac fidelis Pastor gregem Antiochenæ Ecclesiæ commendavit: rogans, ut omni cura, ac diligentia illum fovere vellet. Idem in Epistola ad Smyrnæos de Servatore nostro loquens, quædam ejus verba recitat ... Hujus porro Ignatii & Martyrium, & Epistolas commemorat Irenæus his verbis:* (a) ὡς εἶπέ τις τῶν ἡμετέρων, quemadmodum dixit quidam e nostris, ob Christi fidem damnatus ad bestias: frumentum ego sum Dei, & ferarum dentibus molior, atque comminuor, ut panis mundus efficiar. *Sed & Polycarpus in sua ad Philippenses Epistola earumdem meminit Epistolarum:*
„ Obsecro, *inquit*, vos omnes, ut
„ pareatis Præpositis vestris, omnem-
„ que patientiam exerceatis, quam
„ spectastis non solum in Ignatio,
„ Rufo, ac Zosimo Viris beatissi-
„ mis, sed etiam in aliis Civibus,
„ atque inquilinis vestris, & in ipso
„ præcipue Paulo, cæterisque Apo-
„ stolis: pro certo habentes, quod
„ hi omnes non frustra cucurrerunt,
„ sed in fide, ac justitia ingressi,
„ ad locum sibi a Deo debitum per-
„ venerunt: quandoquidem & Pas-
„ sionum ejus participes extiterant.
„ Neque enim præsens sæculum,
„ sed eum, qui pro nobis passus,
„ & a Deo suscitatus est, adama-
„ runt „. *Et paulo post addit:* „ scri-
„ psistis ad me & vos, & Ignatius,
„ ut si quis forte in Syriam profi-
„ cisceretur, & vestras litteras eo fer-
„ ret. Quod quidem perficiam, si
„ tempus opportunum nactus fuero,
„ vel ego ipse, vel per alium quem-
„ piam, cui id munus vestra causa
„ delegabo. Epistolas omnes Igna-
„ tii, quas ad me scripsit, & quas-
„ cum-

(a) Valesius hoc verbum εἶπε perperam vertit, „ *dixisse fertur*: cum & illud non sit infinitivum, „ sed præteritum verbi ἔιπω; & Irenæus, referente Eusebio, nullum ferendi Verbum inibi „ ponat.

„ cumque demum apud nos reperi- „ re potuimus, quemadmodum no- „ bis mandaſtis, ad vos miſimus: „ quas quidem huic Epiſtolæ ſubje- „ cimus. Ex iis magnam utilitatem „ percipere vobis licebit. Continent „ enim fidem, patientiam, & cæte- „ ra, quæ ad augendum Domini „ noſtri cultum pertinent. „ *Atque hæc quidem de Ignatio.*

S. Hieronymus, quarto, & quinto ſæculo celebris, ubi eaſdem Ignatii Epiſtolas; quæ etiam a S. Athanaſio, (*a*) ac Theodoreto laudantur, (*b*) in Catalogo (*c*) virorum illuſtrium recenſuit: deinde Modeſti Scriptoris Eccleſiaſtici, qui ſecundo ſæculo floruerat, librum contra Marcionem adprobavit; ab eoque opere *alia ſyntagmata*, (*d*) ſive tractatus; qui quidem ſub illius nomine ferebantur, ſed ab *eruditis* uti *ſpuria repudiabantur*, ita ſejunxit: *Modeſtus & ipſe ſub Imperatore M. Antonino, & L. Aurelio Commodo adverſum Marcionem ſcripſit librum, qui uſque hodie perſeverat. Feruntur ſub nomine ejus & alia ſyntagmata, ſed ab eruditis quaſi* ψευδογραφα *repudiantur.*

Idem S. Doctor inibi Minutii Fælicis, qui tertio ſæculo ſplenduerat, Dialogum ut certum ejus fœtum diſtinxit ab alio dubio libro, qui cum *ſuperioris libri ſtylo non convenire* ſic Hieronymo viſus eſt: *Minutius Fælix Romæ inſignis Cauſidicus, ſcripſit Dialogum Chriſtiani, & Ethnici diſputantium, qui Octavius inſcribitur. Sed & alius ſub nomine ejus fertur de Fato, vel contra Mathematicos, qui cum ſit & ipſe diſerti hominis, non mihi videtur cum ſuperioris libri ſtylo convenire. Meminit hujus Minucii & Lactantius in libris ſuis.*

S. Auguſtinus, præcipue quinto ſæculo clarus, in laudato opere contra Fauſtum Manichæum, qui ſacra Pauli Apoſtoli, & aliorum ſcripta a (*e*) quibuſdam ſuppoſita magno errore affirmabat, critices regulam, quam hic propugnamus, maxime comprobavit; dum ante ea ipſius verba, quæ in proluſione retulimus, hoc documentum, quo Divinæ Apoſtolorum litteræ, & genuini Eccleſiaſticorum, atque etiam externorum authorum libri firmiſſime aſſeverantur, ac nothi ejiciuntur, liquido ſcripſit: *Quid vobis faciam, quos contra teſtimonia Scripturarum ita obſurdeſcit iniquitas, (f) ut quidquid adverſum vos inde prolatum fuerit, non eſſe dictum ab Apoſtolo, ſed a neſcio quo falſario ſub ejus nomine ſcriptum eſſe, dicere audeatis? Uſque adeo a Chriſtiana doctrina aperte aliena eſt, quam prædicatis, doctrina Dæmoniorum, ut eam ſub Chriſtianæ doctrinæ nomine defendere nulla ex parte poſſitis, niſi dicatis falſas eſſe Scripturas Apoſtolorum. Infelices inimici animæ veſtræ, quæ unquam litteræ ullum habebunt pondus authoritatis, ſi Evangelicæ, ſi Apoſtolicæ non habebunt? De quo libro certum erit, cujus ſit, ſi litteræ, quas Apoſtolorum dicit, & tenet Eccleſia ab ipſis Apoſtolis propagata, & per omnes gentes tanta eminentia declarata, utrum Apoſtolorum ſint, incertum eſt; & hoc*

erit

[a] S. *Athan. in Epiſt. de Syn. Arimini, & Seleuciæ.*
[b] *Theodor. in Epiſt. ad Mon. Conſtant.*
[c] *Sanctus Hier. in Catal. cap.* XVI. *pag.* 842. *Tom.* II.

[d] S. *Hier. ibid. cap* 33. *pag.* 858.
[e] Id conſtat ea Fauſti Manichæi verbis antepoſitis loco mox referendo.
[f] S. *Aug. lib.* 33. *cont. Fauſt. Man. cap.* VI. *pag.* 466. *Tom.* VIII.

erit certum, scripsisse Apostolos, quod huic Ecclesiæ contrarii Hæretici proferunt authorum suorum nominibus appellati longe post Apostolos existentium? quasi vero & in litteris sæcularibus non fuerint certissimi authores, sub quorum nominibus postea multa prolata sunt, & ideo repudiata, quia vel his, quæ ipsorum esse constaret, minime congruerunt, vel eo tempore, quo illi scripserunt, nequaquam innotescere, & per ipsos vel familiarissimos eorum in posteros prodi, commendarique meruerunt. Nonne, ut alios omittam, sub Hippocratis medici nobilissimi nomine quidam libri prolati in authoritatem a Medicis non recepti sunt? nec eos adjuvit nonnulla similitudo rerum, atque verborum, quando comparati eis, quos vere Hippocratis esse constaret, impares judicati sunt, & quod ab eo tempore, quo & cætera scripta ejus, non innotuerunt, quod vere ejus essent. Hos autem libros, quibus illi, qui de transverso proferuntur, comparati respuuntur, unde constat esse Hippocratis; unde si quis hoc neget, nec saltem refellitur, sed videtur, Nisi quia sic eos ab ipso Hippocratis tempore usque ad hoc tempus, & deinceps successionis series commendavit, ut hinc dubitare dementis sit? Cæt.

Gennadius Massiliensis Præsbyter, labente quinto-ævo illustris, eandem ferme Critices legem sequutus videtur; quum in virorum illustrium catalogo legitima scripta Theophili Alexandrini Episcopi, qui sæculi quinti anno 12. obiit, testificetur, eaque ab adulterinis sic separet: (a) *Theophilus Alexandrinæ Civitatis Episcopus scripsit adversum Origenem unum grande volumen, quo omnia penes ejus dicta & ipsum pariter damnat, simul docens, non a se primum eum, sed ab antiquis Patribus, & maxime Heracla, fuisse & a Presbyterio ejectum, & de Ecclesia pulsum, & de Civitate fugatum. Sed & Anthropomorphitas Hæreticos, qui dicunt, Deum humana figura, & membris constare, Disputatione longissima confutans, & Divinarum Scripturarum testimoniis arguens, & convincens eos, ostendit Deum incorruptibilem, & incorporeum juxta Fidem Patrum credendum, neque ullis omnino membrorum lineamentis compositum . . . Paschalem etiam recursum, quem magna apud Nicæam Synodus post nonaginta & quinque annos agi in tempore, & die, & luna secundum suum statum invenerat, additis quibusdam ipsius Festivitatis rationibus, & expositionibus, Theodosio obtulit. Legi & tres de Fide libros sub nomine ejus titulatos; sed quia lingua inconsonans est, non valde credidi.*

Denique illæ veterum testificationes in posteriori Dissertatione exhibitæ, atque etiam istæ, positis exceptionibus superioribus, monstrant, permulta Patrum volumina, quæ plerique, aut plures Testes ipsis propiores asseruerunt, esse certa: alia ob aliquot styli similitudines, & dissimilitudines dubia: alia demum notha vel propter multam styli discrepantiam, quatenus cum genuinis Authorum scriptis *non conveniunt;* vel quia de illorum fictorum operum quibusdam universi veteres silent; vel quoniam hi *eruditi* ob diversas alias

[a] *Genn. in Catal. Vir. ill. cap. 33. pag. 966. Tom. 11. op. S. Hier.*

alias circumstantias eorumdem aliqua *repudiarunt*.

§. III.

Præcipua Dallæi objecta redarguuntur.

HIc ego Dallæi oppositiones, quas superioribus jam eliminatis adjungit, quibusque antiquorum Patrum opera, illorumque Criticen immerito aggreditur, solum adducam, atque exagitabo; prætermissis tum levibus, & odiosis ejus verbis, tum nonnullis Recentiorum scriptis, quæ veterum libros, de quibus disserimus, quam minimum tangunt.

Ille igitur fatur hoc modo: illud
„ inprimis constat, per septem illa
„ sæcula, (*a*) quæ ab an. D. 800.
„ ad 1500. decurrerunt, rem litte-
„ rariam & sacram & prophanam
„ vix alios in occidente tractasse,
„ quam Monachos, & Clericos.
„ Istius vero Ordinis hominibus ple-
„ risque vulgo persuasum fuisse, si
„ quid ad religionis commodum con-
„ ferre videretur, id impune finge-
„ re, ac spargere licere, satis, ut ego
„ quidem reor, probant tam innu-
„ merabiles istis temporibus exortæ
„ ac disseminatæ de Ecclesiarum o-
„ riginibus, de Sanctorum prodigiis,
„ de Angelorum, vel mortuorum vi-
„ sionibus, deque aliis id genus ad
„ religionem utilibus rebus fabulæ.
„ Ita Hilduinus Abbas sub Ludovi-
„ co Pio paulo post noni sæculi ini-
„ tia Dionysium, qui Parisiensis E-
„ piscopus fuit, Pauli discipulum,
„ domo Atheniensem fuisse, præter
„ veterum fidem primus finxit, &
„ posteris persuasit, edito, quod et-
„ iam hodie superest, de hoc argu-
„ mento Areopagiticon Opere, fa-
„ bellis, & imposturis bene instru-
„ cto, cujus vanitatem viri eruditis-
„ simi, Jacobus Sirmondus, & Pe-
„ trus Launoyus, Romanarum par-
„ tium Theologi ita demonstrarunt,
„ (*b*) ut nemo cordatus repugnare pos-
„ sit. Ad hoc postea exemplum Ab-
„ bas quidam Lemovicensis circa
„ an. D. 1024. cum toto suorum
„ Monachorum grege Martialem
„ quoque suum Apostolorum choro
„ inserere, & falsa antiquitate exor-
„ nare ausus est; & licet repugnan-
„ tibus, qui sanioris erant judicii,
„ tandem obtinuit, ut Martialis A-
„ postolis coævus, & Gallorum A-
„ postolus vulgo habeatur; quod
„ fuse apud Roiquetum docet Joan-
„ nes Cordesius, (*c*) Lemovicensis Ca-
„ nonicus, ex Jordani, veteris ejus-
„ dem Civitatis Episcopi, litteris.
„ Multis ante hunc annis, *pro more sæ-*
„ *culi synchronismum Apostolorum u-*
„ *bique affectantis* (inquit Launojus)
„ *Fulco Bernensis Archiepiscopus Six-*
„ *tum suum Adam Petri discipulum*
„ *asseruit, Rhemorum Episcopum con-*
„ *stituit*, (*d*) *& ex authoritate Petri*,
„ *& totius Gallicanæ regionis Prima-*
„ *tem*. Paribus studiis impulsi Arela-
„ tenses, Trophimum, Paulum Nar-
„ bonenses, Gratianum Turonenses,
„ Cataleunenses Memmium, Vien-
„ nenses Crescentem ab Apostolis
„ ad se missos commenti sunt; ac
„ breviter paucissimæ fuerunt vel in
„ nostra Gallia, vel in vicina Hi-
„ spania, ac Britannia paulo vetu-
stio-

[a] *Dall. lib. 1. de usu Patr. cap. 3. pag. 30. & seq.*
[b] *De duobus Dionys.*
(c) *Dissert. de Martial. apud Rosq.*
[d] *De duob. Dion.*

„ ftiores celebrioresque Ecclesiæ, quibus Apostolicam originem non affinxerint superiorum sæculorum „ Monachi. Francisci Bosqueti de „ Ecclesiastica nostræ gentis historia optime meriti testimonium hic „ recitare satis est, qui præfatur, (a) „ *incertam longa antiquitate, & posterorum commentis esse* Gallicanæ „ Ecclesiæ *Originem*, cum commentorum authores persequens, *Primos*, inquit, *si verum amamus*, „ *hujusmodi zelotas Monachos in Galliis habemus. Illi simplici, ac fervida, ideoque minus cauta, ac sæpe inconsulta religione perculsi, ad „ illiciendas hominum mentes, & augustiori Sanctorum nomine ad eorum cultum revocandas, illustres „ eorum titulos primum sibi, dein „ credulæ plebi persuasos proposuerunt. „ Ex horum officina Martialis Lemovicensis Apostolatus, Ursini Bituricensis Discipulatus, Dionysii Parisiensis Areopagitica, Pauli Narbonensis proconsularis dignitas, ambvorum Apostoli Pauli Magisterium, „ & in aliis Ecclesiis similia prodiere*. Hæc de nostris Bosquetus ita „ primo scripserat, atque ita excusa ex codice sibi lecto describit „ Usserius; quæ postea mutavit. (b) „ De suis Britannicis eadem Usserius & testatur ipse diserte, & laboriosissimo Antiquitatum opere „ satis fatetur. Hispanienses, notum est, quanta sibi contentione „ vindicarint Jacobum Apostolum. „ Jam in exornandis varia fictorum „ prodigiorum narratione Sanctorum „ vitis quantum sibi superiorum sæculorum Scriptores indulserint, „ & res ipsa loquitur, & nonnullorum, licet eorumdem temporum, „ tamen verecundiorum querelæ testantur; cujusmodi hæc est Letaldi „ Monachi (qui Juliani Cenomanensis vitam an. D. 1020. describit) a Joanne Launoyo Parisiensi „ Theologo non semel commemorata: (c) *sunt*, inquit, *nonnulli*, „ *qui dum attolere Sanctorum facta „ appetunt, in lucem veritatis offendunt, quasi Sanctorum gloria mendacio erigi valeat; qui si mendacii „ sectatores fuissent, ad sanctitatis „ culmen nequaquam ascendere potuissent*. Petrus Damiani Cardinalis, „ qui ad annum 1060. floruit, eundem hominum sui temporis morbum tangit, qui se in vita Mauri Cæsenatis narranda *veritati consulturum* præfatus, *quod temerarius „ sit narrator, qui dum laudum „ præconiis alios extollere nititur*, „ (d) *ipse mergi in falsitatis barathrum non veretur:* hæc continuo „ addit; *nonnulli enim se Deo deferre existimant, si ad efferenda „ laudis ejus insignia falsitatis argumenta componant, qui nimirum si „ egregii Prædicatoris verba diligenter attenderent, talia non sentirent:* tum recitatis Pauli ex 1. „ Cor. 15. ver. 14. & 15. verbis; *secundum hæc ergo*, inquit, *apostolica verba falsus Testis Deo merito „ dicitur, qui indiscrete eum cupiens „ laudare, mentitur, & adversus „ Deum proculdubio perhibet testimonium, quisquis, in ejus laude, perversa molitur arte commentum*.

 „ Item

[a] *Lib. 1. Hist.*
[b] Dominæ, ut „ suspicor, Romæ iras, ac „ fastidia veritus.„

[c] *Discuss. contr. Mil. cap. 19.*
[d] *Præfat. in vit. Maurin. Cæsen. Tom. 2.*

„ Item alibi nonnullos esse ait, *qui* „ *se Deo deferre existimant, si in ex-* „ *tollendis Sanctorum virtutibus men-* „ *dacium fingant*, (*a*) *quique ignoran-* „ *tes, Deum nostro non egere mendacio,* „ *relicta veritate, quæ ipse est, fal-* „ *sitatis ei putant se placere posse* „ *commento*. Ex istorum genere, „ vel aliquanto etiam deteriori, erat „ Gausbertus ille sub Hildegario Le- „ movicensi Episcopo Chorepisco- „ pus, qui Scripturam de S. *Fronto*, „ sive Frontone Petracoricensi *no-* „ *vam lucri causa edidit*, quod a So- „ lemniacense quodam Abbate in Le- „ movicensi Concilio an. D. 1031. „ observatum, (*b*) ac traditum fuis- „ se refert idem Launojus. Sed hæc „ eorum, qui Sanctorum vitas lit- „ teris mandarunt, vanitas ita cla- „ ra, manifestaque est, ut viros et- „ iam de Papæ urbici communio- „ ne gravissimos de ea confitentes „ habeamus. Melchior Canus, Ca- „ nariarum Episcopus, insignis Theo- „ logu , quique unus ex Tridenti- „ nis Patribus fuit, (*c*) *Dolenter hoc*, „ *inquit, dico potius, quam contu-* „ *meliose, multo a Laertio severius* „ *vitas Philosophorum scriptas, quam* „ *a Christianis vitas Sanctorum; lon-* „ *geque incorruptius & integrius Sve-* „ *tonium res Cæsarum exposuisse*, „ *quam exposuerunt Catholici, non di-* „ *co res Imperatorum, sed Martyrum,* „ *Virginum, & Confessorum. Illi enim* „ *in probis aut Philosophis, aut Prin-* „ *cipibus nec vitia, nec suspiciones* „ *vitiorum tacent; in improbis vero* „ *etiam colores virtutum produnt*. „ *Nostri autem plerique vel affectibus* „ *inserviunt, vel de industria quo-* „ *que ita multa confingunt, ut eorum* „ *me nimirum non solum pudeat*, „ *sed etiam tædeat. Hos enim intel-* „ *ligo, Ecclesiæ Christi cum nihil uti-* „ *litatis attulisse, tum incommoda-* „ *tionis plurimum*. Item: *justissima* „ *est Ludovici querela de historiis* „ *quibusdam in Ecclesia confictis*. „ *Prudenter sane ac graviter eos ar-* „ *guit, qui pietatis loco duxerint* „ *mendacia pro religione fingere*, „ tum: *qui falsis, atque mendacibus* „ *scriptis mentes mortalium concilia-* „ *re ad Divorum cultum volvere*, „ *hi nihil mihi aliud videntur egis-* „ *se, quam ut veris propter falsa a-* „ *dimatur fides*. Cæt. *quasi vero sen-* „ *cti Dei homines nostris mendaciis* „ *egeant, qui tam multa vera pro* „ *Christo gesserunt*. Denique, *Eccle-* „ *siæ*, inquit, *Christi vehementer in-* „ *commodant, qui res Divorum præ-* „ *clare gestas non se putant egregie* „ *exposituros, nisi eas fictis & reve-* „ *lationibus & miraculis adornarint*. „ Hæc Canus. Papirius quoque Mas- „ sonus, *mendacis, fabulisque anili-* „ *bus*, (*d*) *sola diversitate, temporisque* „ *lapsu fidem apud posteros nactis*, „ *non modo profana, sed etiam sacra* „ *infecta esse* confitetur; *nec enim*, „ inquit, *permiscentur vitis Sancto-* „ *rum pauciores fabulæ, quam ali-* „ *bi, quia pars earum multis post sæ-* „ *culis ab imperitis scripta est ex quo-* „ *tidianis vulgi sermonibus sæpe de-* „ *lirantis, semperque aliquid adjicien-* „ *tis de suo*. Quin eadem fuerit eru- „ ditissimi Sirmondi sententia dubi- „ tare nos non finit ejus de duobus „ Dionysiis lucubratio. (*e*) Joannes „ Launojus non modo eadem sentit, sed

[a] *Praef. in vit. S. Romual. ib.*
[b] *Dissert. de Mart. ap. Bosq. p. 2. Hist. Gall.*
[c] *De loc. Theol. lib. 2. cap. 5.*
[d] *In Hist. Calamit. Galliæ.*
[e] *Dissert. 3.*

„ sed etiam ultra progressus, nihil-
„ que veritus, ὁ φιλομύθων, quos
„ apud suos plurimos esse novit, o-
„ dio ac invidia, horridam illam,
„ ac squallentem a Caroli Magni
„ temporibus enatam, ac longe, la-
„ teque fruticantem fabularum, ac
„ figmentorum sylvam, immisso ac-
„ curatissimæ, ac sagacissimæ dis-
„ quisitionis, Criticesque, ut sic di-
„ cam, ferro, ita nuper concidit,
„ ac demessuit, ut ni mens læva a
„ pulcherrimo incæpto mortales de-
„ terreat, spes sit cætera, si ejus ex-
„ emplum, ac fortitudinem invi-
„ ctumque veri studium imitamur,
„ purgari tandem posse. Tanto au-
„ tem licentius in hoc genere ver-
„ sati sunt, qui post octavum sæcu-
„ lum vixerunt, quod superiorum
„ temporum Patres nonnulli, præ-
„ sertim vero Severus in opera de
„ Martini vita, Gregorius Romanus
„ in Dialogis, Beda in historiis, &
„ alibi passim suo exemplo præivis-
„ sent, veris multa fabulæ propiora
„ admiscentes, ut ex inspectis eorum
„ libris patet: in his quidem duo-
„ bus, Gregorio, inquam, & Beda
„ *judicii severitatem* & curam Canus
„ ipse diserte desideravit, *equidem*,
„ inquit, *historiolas illas*, ab istis
„ narratas intelligit, *probarem ma-*
„ *gis, si earum auctores juxta præfi-*
„ *xam normam severitati judicii cu-*
„ *ram in eligendo majorem adjunxis-*
„ *sent*. Unus *legendæ*, ut vulgo vo-
„ cant, *aureæ* liber, magnæ proxi-
„ morum retro sæculorum deliciæ,
„ satis ostendit, quam immanis fue-
„ rit istorum hominum quidvis pro
„ libidine in hoc genere fingendi
„ audacia, ut ipsi nunc de Romana
„ communione Theologi scribere non
„ dubitarint, hujus operis Authori
„ *os* quidem fuisse *ferreum*, *cor* ve-
„ ro *plumbeum*, & *animum* parum
„ *sincerum*, *ac prudentem*; item *vi-*
„ *ros eruditos ad ejus nomen expave-*
„ *scere*, id *genus operis execrari*, *&*
„ *aversis* in sinistram palmis abomi-
„ nari.. (a) in Visionibus, quæ & ad
„ hoc genus pertinent, non fuisse
„ veraciores, unum, sed illustre ex-
„ emplum probabit. Provinciarum
„ Rhemensis, & Rotomagensis E-
„ piscopi, Carisiaci ann. D. 858.
„ congregati, Ludovico Germaniæ
„ Regi tum in Attiniaco Palatio con-
„ sistenti Epistolam mense novem-
„ bri scripserunt, in qua hæc nar-
„ ratio habetur: *S. Eucherius*, in-
quiunt, *Aurelianensium Episcopus in oratione positus*, (b) *ad alterum sæculum est raptus*, *& inter cætera, quæ Domino sibi ostendente conspexit, vidit illum* (Carolum Principem Pippini Regis Patrem, quem vulgo Martellum vocant) *in inferno inferiori torqueri. Cui interroganti ab Angelo ejus ductore responsum est, quia Sanctorum indicatione, qui in futuro judicio cum Domino judicabunt, quorumque res abstulit, & divisit, ante illud judicium anima, & corpore sempiternis pœnis est deputatus, & recipit simul cum suis peccatis pœnas propter peccata omnium, qui res suas, & facultates in honore & amore Domini ad Sanctorum loca in luminaribus Divini cultus, & alimoniis servorum Christi, ac pauperum pro animarum suarum redemptione tradiderunt. Qui in se reversus* (Eucherius scilicet) *S. Bonifacium, & Fulradum Abbatem Monasterii S. Dionysii, & summum*

[a] *Laun. Diss.* 3.

[b] *Conc. Gall. Tom.* 2.

mum Capellanum Regis Pippini ad se vocavit, eisque talia dicens, in signum dedit, ut ad sepulchrum illius irent, & si corpus ejus non reperissent, ea, quæ dicebat, vera esse concederent. Ipsi autem pergentes ad prædictum Monasterium, ubi corpus ipsius Caroli humatum fuerat, sepulchrumque illius aperientes, visus est subito exisse draco, & totum illud sepulchrum interius inventum est denigratum, ac si fuisset exustum. Nos autem illos vidimus, qui usque ad nostram ætatem duraverunt, qui huic rei interfuerunt, & nobis viva voce veraciter sunt testati, quæ audierunt, atque viderunt. Tum nonnullis interjectis, *hanc etiam relationem & in scriptura habemus, & quidam nostrum etiam viva voce Dominum Ludovicum Imperatorem, patrem vestrum, referre audivimus*,,. Hæc veteres illi duarum Provinciarum Episcopi, quorum pars erant Hincmarus Remensis, & Wenilo Rotomagensis, nobilissimi illius ævi Antistites. Eadem narrant tum Flodoardus Remensis, qui an. D. 966. Chronicon, ut ipse testatur, septuagenarius absolvit; tum scriptor vitæ Eucherii vetustissimus, & ex Surio Eucherii æqualis, & Author vitæ Rigoberti Regiensis Episcopi. Et hanc tamen tot tantisque illorum temporum authoribus firmatam relationem, meram esse fabulam non tantum ipse rei apparatus, ille ex imo monumento erumpens Draco, illa tumuli velut exusti nigricans species, omnia ad mendacii pompam, ac speciem adornata suadent, sed etiam alia non pauca evincunt: quale illud est imprimis, quod isti, præter scripturæ authoritatem, hominem etiam corpore apud inferos ante ultimum judicium cruciari fingunt. Tum & quæ narrantur, pugnant cum historiæ veritate. Nam qui hic corpore, & anima in æternum damnatus dicitur Carolus, is princeps fuit & religione, & cæteris bonis artibus florentissimus, a Gregorio III. P. R. ob pietatem laudatus (a) unicum illis temporibus rei Christianæ columen, cujus invicta manu cæsæ sunt uno, & altero prælio Maurorum innumerabiles copiæ, depulsumque a totius Europæ cervicibus Mahumedismi jugum. Sed & qui Testis inducitur Ludovicus adeo nescivit quod isti calumniantur, ut aliud diserte affirmet. Nam in Epistola ad Hilduinum, summo, quod decuit, cum honore de Carolo proavo suo loquens ait: *cum decurso mortalitatis tempore, quod carius potuit habere depositum, corpus scilicet proprium in magni die judicii suscitandum, & animam Domino præsentandam fideliter Dionysio commendasse*. Quid? quod & Bonifacius, unus, ut isti volunt, ex revelationis testibus, quo loco ipsam illam Caroli in bona Ecclesiastica licentiam exagitat, & pœnas, quibus Deus eam ultus est, exaggerat, nihil de istis monstris memorat, quæ, quo erat ingenio, omissurus profecto tali loco non fuit, si quid ejusmodi vel vidisset, vel audivisset unquam. Tantum ait, Carolum *longa torsione*, (b) & *verenda morte consumptum* esse. Habet quidem & hoc de spiritu Mo- ,, na-

(a) *Epist. ad Bonif.*

(b) *Epist. ad Ethelb.*

„ nachali aliquid, estque, si non fal- „ so, certe temere, & maligne di- „ ctum. Falso, inquam, nam vetu- „ stissimus vitæ Pipini Ducis apud „ Chesnæum Scriptor tradit, Caro- „ lum, non quod affirmat iste Bo- „ nifacius, *longa torsione, & veren-* „ *da morte consumptum*, sed placi- „ da, & optata morte compositum fuisse, his verbis: *post multiplices alias & insignes victorias, quas ob prolixitatis fastidium silentio supprimo, divisit regnum duobus filiis suis, ac deinde bellicosissimus, ac victoriosissimus Princeps in pace quievit*. „ Et manuscriptus Bibliothecæ Ale- „ xandri Petavii codex, *Carolus*, in- „ quit, *Parisiis Basilicam S. Dionysii Martyris multis muneribus ditavit. Veniens Carisiacum Villam Palatii super Isivarim fluvium valida febri correptus obiit. Obtinuit principatum annis* 27. Denique Fredegarius Schola- „ sticus in Chronico, quod Childe- „ brandi Pippini Regis patrui jussu, „ adeoque proximis post Caroli obi- „ tum temporibus scripsit, narrat, „ eum, cum *in Villa Verneria super Isiverim fluvium ægrotare cæpisset*, „ *ditata multis muneribus Parisiensis S. Dionysii Basilica, venientem Carisiaco Villa Palatii super Isiram fluvium valida febre correptum, obiisse in pace, cunctis in gyro regnis acquisitis, cum regisset utraque regna* „ annos „ 25. Hæc profecto mors non *veren-* „ *da*, quod ait Bonifacius, sed fæ- „ lix, & optanda potius fuit. Sed „ fac Carolum *longa* illa *torsione*, „ cujus nulla in istis Historicis ap- „ parent vestigia, *consumptum*, quod „ vult Bonifacius fuisse; ne sic qui- „ dem a temeritate purgari potest „ malignum ejus judicium, qui in „ Divinorum judiciorum abyssum pa- „ rum irreverenter irrumpens, maxi- „ mi Principis lethalem morbum sic „ interpretatur, ut ac si ei ob vio- „ lata Ecclesiarum bona inflictus fue- „ rit, quasi non quotidie *longa tor-* „ *sione consumi* videamus etiam pios, „ & Sanctos Viros, quorum non mo- „ do a sacrilegio, sed & a cæteris „ gravioribus criminibus vita omnis „ immunis fuerat. Deo suorum ju- „ diciorum plerumque humanis sen- „ sibus imperscrutabilem rationem „ committi decet. Itaque illa Boni- „ facii de morte Caroli verba mor- „ bum animi istis solemnem produnt; „ quo, ut mortales a suis tangendis „ bonis deterreant, quidvis solent in „ eos comminisci, quos sua vel le- „ viter libasse suspicantur .. qui er- „ go sic affectus in Carolum fuit, „ dubitandum non est, quin si eum „ rescivisset corpore, & anima ob „ violatas Ecclesiæ opes *æternaliter* „ *damnandum*, id in primis hoc lo- „ co commemoraturus fuerit. At il- „ le nihil hujusmodi hic narrat. „ Ergo neque eum quicquam hu- „ jusmodi scivisse (quod mentitur „ superior Episcoporum relatio) cla- „ rum, certumque est. Sed & ipse „ Eucherius, qui præcipuus totius „ relationis author fuisse fingitur, „ quo tempore Carolus in æde Dio- „ nysii sepultus est, jam pridem ipse „ mortuus erat, ut neque in exsta- „ sin rapi, neque ea, quæ vide- „ rat, Bonifacio, & Fulrado narra- „ re, neque, ut Principis sepulchrum „ explorarent, jubere potuerit: con- „ stat enim ex Eucherii vita, ipsum „ annis vel 14. quod ponit (*a*) Mola- „ nus,

(a) *Vide Baron. an. D. 741.*

„ nus, vel certe decem, quod vult „ Baronius, ante mortuum esse, „ quam Carolus vivere desierit; cu- „ jus mortem an. D. 741. contigis- „ se, certa fides est. Denique & il- „ lud quoque falsum esse liquido de- „ prehenditur, quod diserte habet ea- „ dem relatio, *Fulradum abbatem, „ summum Cappellanum Regis Pippi- „ ni ab Eucherio ad se vocatum fuis- „ se:* cum enim constet, Pippinum „ Regis nomen decimo demum post „ Caroli Patris obitum anno Domi- „ ni 751. sumpsisse, fieri non potest, „ ut ante illud tempus Fulradus sum- „ mus Pippini Regis Capellanus fue- „ rit ut Eucherium, si quid cum „ illo Regis Capellano gesserit, pla- „ ne necesse sit, post annum D. 751. „ vixisse, quod immane est, & ab „ omnium verorum scriptorum ra- „ tionibus alienum mendacium. His „ rationibus, quas ex iis plerasque „ collegimus, victi non modo Pi- „ thæus, & Sirmondus, sed & ipse „ annalium parens Baronius, (*a*) to- „ tam hanc de Caroli damnatione „ narrationem fabulosam esse & con- „ fitentur & probant. Sed ut noris, „ quam sit φιλόμυθον istorum genus, „ falsissima ista relatio tota etiam „ hodie legitur in decreti Gregoria- „ ni novis adnotationibus; ac ne no- „ stra quidem memoria defuit Theo- „ logus, qui optimam fabulam sibi „ de manibus eripi doleret, (*b*) ac „ pene indignaretur; & tametsi ni- „ hil haberet, quod ad clarissimas „ Baronii, Sirmondique rationes re- „ poneret, negaret tamen ea con- „ vellenda, quæ ex Patrum scriptis, „ maxime ex Synodorum actis, ha- „ bentur, quasi mendacium uspiam „ sit ferendum. Extant in illorum „ sæculorum libris aliæ sexcentæ e- „ jusdem furfuris imposturæ. Tu ab „ una disce omnes, quas singillatim „ recensere neque hujus loci, neque „ nostri instituti est. Illud quidem „ non videtur omittendum, Mona- „ chorum Benedictini instituti jam- „ pridem in hoc rerum genere sub- „ lestam esse fidem. Ex eorum enim „ officina multa suppositiția jam o- „ lim prodierunt; e quorum nume- „ ro imprimis esse videtur Sancti Me- „ dardi Suessionensis Monasterii pri- „ vilegium Gregorio P. R. I. affi- „ ctum. Sed inter Benedictinos jam „ ante multa sæcula exarsit (*c*) de „ sui authoris corpore controversia, „ quæ quo ipsi sint ingenio abunde „ patefecit. Benedicti enim corpus „ ex Cassinensi Monasterio in Flo- „ riacense ad Ligerim olim transla- „ tum, ibidemque adhuc quiescere, „ contendunt Galli, plerique illius „ Ordinis Fratres. Itali contra pu- „ gnant, id in Cassinensi Monaste- „ rio & fuisse semper, & nunc et- „ iam servari. Nostri Pauli Diaco- „ ni, & Andrevaldi, antiquissimo- „ rum Monachorum, traditione se „ tuentur. Itali Leonis Hostiensis te- „ stimoniis nituntur. Magnis utrin- „ que contentionibus res agitur. „ Multa Paparum & Principum re- „ scripta, ac diplomata afferuntur. „ At nostri quidem quæ ab Italis in „ rem suam eduntur, Benedicti VIII. „ Alexandri II. Urbani II. & Za- „ chariæ Pontificum Romanorum „ Bullæ; eas falsas, confictasque & „ absurdis scatere dejerant, ipsum- que

(*a*) *Ad Capit. Car. Cal.*
(*b*) *Ad Cauf. 16.*

(*c*) *Baron. an. D. 591.*

„ que Leonem Hostiensem, qui an„ no 1112. floruit, (*a*) *mendaciter* „ *esse locutum* affirmant, & *Cassinen*„ *ses Monachos mendacii*, *falsitatis*, „ & *imposturæ* insimulant. Itali in „ nostros similia spargunt, eosque „ vicissim fraudis, & sophistices ac„ cusant. Fieri potest, ut utrique men„ titi fuerint; ut neutri, non potest. „ Sed & nuper, in re pene nihili „ apparuit, quam sit promptum ad „ fingendum istorum ingenium. Ut „ enim suo Ordini assererent opu„ sculum *de Christi imitatione*, quod „ vulgo sub nomine Thomæ a Kem„ pis circumfertur, sparserunt, esse „ Romæ apud suos aliquot manu„ scriptos optimæ Fidei codices, in „ quibus id opus Joanni Gersen Ver„ cellensi sui Ordinis Abbati inscri„ beretur. Eruditissimus Gabriel Nau„ dæus an. D. 1641. cum esset Ro„ mæ, secum communicatos illos li„ bros reperit Sodalis cujusdam Be„ nedicti scelere corruptos fuisse, ac „ vitiatos; & rei totius historiam, „ quod digna hominum memoria, „ atque animadversione videretur, „ litteris simpliciter mandatam ad „ clariss. viros Puteanos Fratres huc „ misit. Quæ cum post annos ali„ quos a Joanne Frontone S. Gene„ vefæ Canonico Benedictinorum ad„ versario esset publici juris facta; „ Benedictini tanto impetu Nau„ dæum invaserunt, ut is coactus „ sit apud Prætorem scenam aperi„ re. Prostant typis excusæ multi„ plices ejus defensiones. A quo non „ abludit Joann. de Launoy, quasdam „ Pippini litteras e Sandonysiano Be„ nedictinorum Monachorum arma„ rio sibi objectas refutans; *Tabula*„ *rium*, inquit, *unde prodierunt*, „ *spuriarum Chartarum*, (*b*) *& privile*„ *giorum officina quondam fuit*, *ut* „ *constat legentibus antiquitates San*„ *cti Dionysii*, *quas Jacobus Duble*„ *tius in lucem emisit*. Sed non soli „ Benedictini illa fingendi prurigine „ laborarunt. Rhenanus quidem cer„ te Benedictinum fuisse non dicit „ magnum illum etiam gratis men„ tiendi artificem, de quo lepidam „ hanc historiolam narrat: *quidam*, „ inquit, *superioribus* (*c*) *annis*, *quem* „ *adhuc audio superesse*, *Beatum Ana*„ *choretam Helveticum*, *ut vulgus* „ *prædicat*, *Svetonium fuisse voca*„ *tum affinxit*, *illius vitam descri*„ *bens*, *& socium habuisse*, *cui no*„ *men esset Achita*: *adii hominem* „ *quæsiturus*, *undenam id assereret*. „ *Putabam enim hæc illum absque* „ *authore non dicere* .. *sed audi im*„ *pudentiam*: *propterea*, inquit, *ad*„ *di Svetonium fuisse vocatum*, *quod* „ *legerem e Surdia prodiisse*, *& quia* „ *Ænææ Virgiliano fidus Achates sem*„ *per adhæsit*, *ideo sodalem illius hoc* „ *nomine donavi*, *alioqui Anonymum* „ *futurum*. *Et tamen hæc historia*, „ *si ita vocare libet*, *non solum pi*„ *cta est* .., *sed etiam typis excusa*.. „ Huc accedit, quod hujus generis „ fabulis etiam qui non credunt, „ favent tamen. Narrat Mariana no„ tissimus Jesuita, (*d*) Germanicum „ quendam Centurionem ob violata „ Missæ sacra subito *diruptis*, *effu*„ *sisque visceribus Judæ instar periis*„ *se*: sed parum licet sibi comper„ ta, ait, *interesse publice ut credan*„ *tur*. Et alibi quas nostri Scripto„ res

(a) *Miller. de Transf. S. Ben.*
(b) *Discuss. cap.* 10.
(c) *Rhen. rer. Germ. lib.* 3. *pag.* 161. *edit. Basil.*
(d) *Hist. Hispan. lib.* 30. *cap.* 15.

Digitized by Google

„ res memorant, (a) alternas Bonifacii 8. & Philippi Regis Epistolas, quod eæ ad Papæ dignitatem „ parum faciant, *interesse*, ait, *ad* „ *exemplum*, *ut falsæ esse videantur*. „ Interest scilicet humani generis, „ ut quæ falsa, fictaque sunt, pro „ veris; vel quæ vera, certaque sunt, „ pro dubiis, ac falsis habeantur. „ Multa idem in Hispanicis Historiis ejusdem generis inspersit, a „ veteribus quidem tradita, sed incredibilia, & ab omni veri specie „ abhorrentia; quod ne ipsi fraudi „ apud lectorem esset, non plane „ stultum, quasi ea qui facunde tradit, vera quoque esse crediderit, „ hanc suspicionem occupandam ratus, nos alicubi diserte monet, „ se *multo plura transcribere*, *quam* „ *credere*. (b) Quod autem talia non „ credit, ratio, ut opinor, hæc fuit, „ quod non putavit esse cordati hominis ea credere, anilesque, ut „ loquitur, *fabulas*, pro veris habere .. Ex quibus .. (c) jam constare arbitror plerosque vulgo mortales, præsertim Clericos, & Monachos Latinos ab octavo ad nos „ usque sæculo sensisse, fas esse quædam confingere, mutare, & interpolare, si quando id ad suæ religionis emolumentum conferre videretur. Itaque cum quidquid habemus veterum librorum, non ab „ aliis, quam ab istis habeamus; ego „ non tam admirandum puto, quod „ plurima nunc veterum nomine circumferantur, partim falsa, & suppositititia, partim vitiata, & corrupta, quam quod aliqua, licet „ pauca, vera, & sincera ad nos „ pervenire potuerint. „

„ Equidem scio, viros doctos pene innumerabilia ejusmodi scripta „ observasse, & in editionibus, quas „ adornarunt, ut plurimum in postrema volumina rejecisse, & de „ hoc argumento libros totos composuisse, quales sunt apparatus Antonii Possevini, Catalogus Bellarmini, medulla Patrum Sculteti, „ Criticus Sacer Riveti, censura Roberti Coci, & alii ejusmodi editi. Sed quis fidem faciet, nullum „ ab iis omissum? Adde quod novus hinc accrescat labor, superiore haud multo levior, in tot „ scriptis recentibus evolvendis. Sed „ nec sine examine admittenda sunt „ omnium judicia; cum enim ad ea „ ferenda, partim, quibus enutriti „ fuerant, plerique attulerint anticipatas opiniones, quis pro iis fide jubebit? quis eos affirmabit, „ nihil partium suarum studio, & „ gratiæ dedisse? Hujus suspicionis „ adeo evidens ratio est, ut neminem vel tantillum in his controversiis versatum esse putem, qui „ ejus a me probationem sit quæsiturus. Quam vera, justaque sit nostra hæc suspicio, satis, ut alia taceam, docet ipse judiciorum conflictus, dum hi passim tanquam „ genuina admittunt, quæ illi tanquam adulterina exauctorant, & „ repudiant. Neque de his illi modo dissentiunt, qui aliam atque „ aliam religionem sequuntur. Earumdem etiam partium Theologi „ sæpe de istis inter se certant. Pontificii Theologi, quos supra retulimus, maximam partem decretalium

[a] *Ibid. lib.* 15. *cap.* 6.
[b] *Ibid.* 10. *cap.* 4.
[c] „ Et hic tamen publice interesse censet, „ ut hæc credantur, credique ipse a lectoribus cupit.

„ lium antiquissimis Romæ Episco-
„ pis adfictarum explodunt. Turria-
„ nus pro iis omnibus tanquam pro
„ aris, & focis pugnat, & de hoc
„ argumento ingens volumen condi-
„ dit. Baronius (a) recognitionum libros Clementi Romano tributos *tanquam cænosum gurgitem protensis mendaciis, & insanis deliriis refertum*
„ improbat, & procul rejiciendum
„ non dubitat. Bellarminus (b)
„ contra libros istos vel Clementis
„ Romani, vel alterius æque docti,
„ ac antiqui esse dicit. Sunt qui
„ fragmenta Hilarii, quæ Nicolaus
„ Faber edidit, pro genuinis, & le-
„ gitimis habeant; non desunt qui
„ repudient. Erasmus, Sixtus Senen-
„ sis, Melchior Canus, Baronius li-
„ brum de Nativitate B. Virginis
„ Mariæ falso tribui Hieronymo e-
„ xistimant. Christophorus a Castro
„ aliter sentit. Cardinalis Cajetanus,
„ Laurentius Valla, Erasmus, &
„ nonnulli alii libros Dionysii Areo-
„ pagitæ pro dubiis & incertis ha-
„ bent. Baronius, & alii ferme om-
„ nes de his dubitari non sinunt.
„ Turrianus, Bovius, & alii Con-
„ stitutiones Apostolorum pro indu-
„ bitatis obtrudunt. Baronius, Pos-
„ sevinus, Petavius eas in medio re-
„ linquunt. Super hoc argumento
„ sexcenta occurrunt in scriptoribus
„ Pontificiis ejusmodi judiciorum di-
„ vortia. Si quis aveat exempla col-
„ ligere, legenti passim erunt obvia,
„ maxime apud Cardinalem Perro-
„ nium, qui non minus ab aliis in
„ hac Critice, quam in disputandi
„ methodo sæpissime divortium fa-
„ cit. Inter istas pugnantes senten-
„ tias constitutus, quo se vertet?
„ quem cursum tenebit sub Ducibus
„ tam parum inter se consentienti-
„ bus? Verum enim vero fac istos
„ nullis studiis ductos, nullis præ-
„ conceptis opinionibus præpeditos,
„ in id opus incubuisse, quis fide
„ jubebit, tanto operi pares, ido-
„ neisque facultatibus instructos fuis-
„ se? An tu cujusvis esse putas, an-
„ tiquitatem universam velut in Ca-
„ tinum fusorium excoquendam con-
„ jicere, & scoriam omnem & re-
„ crementa, quæ non solum ei ad-
„ derent, sed quæ una permixta in
„ unum veluti cum ea corpus coa-
„ luere, detergere, ac repurgare?
„ Hoc vero opus magnum, ut li-
„ quet, virum requirit, qui sit im-
„ primis acerrimo ingenio, ac pla-
„ ne defæcato, naso sagacissimo, o-
„ culis perspicacissimis, auribus pu-
„ rissimis, qui omnem & Eccle-
„ siæ & sæculi cum veterem, tum
„ recentem historiam ad unguem
„ calleat; qui linguas Eruditorum
„ omnes, atque disciplinas accura-
„ tissime didicerit, qui & Scriptores
„ omnes veteres, medios, recentes
„ diuturno, ac indefesso studio per-
„ volutarit, qui singulorum os, ac
„ vultum, venam, ut sic dicam, ac
„ pulsum familiariter norit; inven-
„ tionem, dispositionem, elocutio-
„ nem diligenter observarit; singula
„ enim sæcula, singulæ nationes,
„ singuli Scriptores habent proprios
„ characteres, & aliquid singulare.
„ Ut ex his omnibus certum de iis
„ judicium ferre queat, vix sæcu-
„ lum integrum hujusmodi homini
„ condendo satis sit. Qui vero no-
„ stris temporibus in hoc argumen-
„ to versati sunt, nemo non videt,

[a] *Baron. Annal. to. 1. an. 51.*

[b] *Bellar. de lib. arbit. lib. v. cap. 25.*

„ eos ad id operis plerosque accessisse, vel ab omnibus his, vel certe a plerisque partibus imparatos. „ Sed esto; presto sit vir aliquis harum rerum peritissimus, qui se ad „ opus tantum ab omni parte paratus accingat: ille, fateor, fraudem facile odorabitur, si incidat „ in crassum, & plumbeum impostorem, qui Scriptoris, quem simulare, ac mentiri instituit, typum, formam, colorem, & pondus inepte, ac pingui minerva expresserit, ex. gr. Si Hieronymo, „ aut Chrysostomo balbutiem, aut „ sermonis infantiam affinxerit; Si „ stylum barbarismis, incondita latinitate, aut putido Hellenismo „ respserserit; Si in loquendi formulis, sive in rebus ipsis, sive in allegatis authoribus ea, quæ nonnisi longo post tempore in usu fuerunt, adhibuerit; Si ab eo, quod „ fingit, sæculo aliena argumenta „ usurpaverit; Si authores secum „ pugnantes induxerit; sententiasque „ non suas iis tribuerit; qualia fuere pleraque scripta, quæ nostri „ Critici, & Censores hactenus proscripsere. Sin res sit cum elaborato Vafri, & ingeniosi artificis „ opere, qui linguam, qui res gestas, qui arcana, mores, cognationes, inimicitias ejus familiæ, „ in quam irrepere satagit, ad unguem didicerit; qui omnia cum „ arte adhibuerit: pro certo affirmare ausim, nostrum Aristarchum „ in hujusmodi fraude detegenda „ haud minus sudaturum, quam in „ convincendis Martini Guerræi imposturis in Gallia olim laboratum „ fuisse accepimus. Cur autem fiat „ verisimile, inter tot Veteratores, „ qui variis de causis, tanto studio „ in confingendis & supponendis libris operam posuerunt, non extitisse tot sæculis aliquos, & eos „ quidem non paucos, qui tanta arte stylum, & ingenium transformarint, & personam alienam induerint, ut fucus nemini patere queat? „ Cum præsertim ea nomina usurpare potuerint, quæ cum ex authoribus ipsis sola in hominum memoria supersint, nec vestigium, „ nec indicium ullum præbere possint vel styli, vel sententiarum, „ quarum in hoc examine usus esse „ possit. Qua quidem in re eum, „ qui Dionysio Areopagitæ opera „ sua supposuit, prudentissimum fuisse judico. Cum enim authoris illius scriptum nullum certum, & „ indubitatum supersit, quocum furtum illud conferri queat; fallacia „ vix revinci potest; quod ipsum „ longe difficilius futurum erat, si „ auctor genus orationis modestius, „ humiliusque secutus esset. At cum „ Hieronymi, Cypriani, Augustini, „ & similium plurima genuina, & „ indubitata scripta habeantur; si „ qui eorum nomina ementiti sint; „ & sola collatione styli, nullo negotio, fraus retegitur. Gothicis quippe, semiferisque ingeniis in adumbrandis magnorum virorum lepore, & elegantia non fælicius cessit.

„ Jam ad veteres ipsos veniamus, „ ex quorum cum luce, tum industria fateor nobis suggeri, quæ in „ hac investigatione viam complanent, & longe maximi usus esse „ queant. Veteres enim ipsi nonnunquam de aliis Ecclesiæ Scriptoribus agunt, qui sive suo tempore, „ sive superiore vixerunt. Inter latinos Hieronymus Authorum Ecclesiasticorum, qui ab Apostolis ad „ sua usque tempora ad cognitionem suam venerant, catalogum

„ præ-

„ prætexuit; quem Gennadius continuavit. Adde his temporibus editam, cum nulla alia conferendam. „ Photii Bibliothecam; in qua vir „ ille magnus sententiam suam de „ scriptorum Ecclesiasticorum Græciæ maxima parte nobis exponit. „ Istius autem subsidii duplex potest „ esse usus. Alter ad libri approbationem, si ejus mentionem faciant; „ alter ad rejectionem, si de eo sileant. Prior ex Authorum, qui „ librum, qui in dubium vocatur, „ probant, authoritate, & conditione pendet. Nam, ut supra monuimus, & veterum nonnulli his „ artibus usi sunt. Alii quod a consiliis suis, & proposito non essent „ alienæ, ab aliis adhiberi non inviti passi sunt; alii fraudes non „ olfecerunt; alii notas retegere vel „ non potuerunt, vel quacumque „ ratione ducerentur, noluerunt. De „ iis, qui ejusmodi commenta edidere, nihil repetam; qui vero alienatis fraudibus, ac imposturis „ faverunt, eorum exempla obvia „ sunt. Justinus, Theophilus, & alii „ ex carminibus Sibyllinis, quam „ vis proculdubio suppositis, argumenta, tanquam ex oraculis, petunt. Quoties Clemens Alexandrinus Veterum, judice Hieronymo, „ (*a*) eruditissimus, allegat libros Apocryphos sub Apostolorum, (*b*) „ & Discipulorum nomine, quibus „ falso tribuebantur? Nonne Barnabæ, & Hermæ adficta citat? Nonne denique, quod & supra dictum „ est a nobis, in Concilio septimo „ quædam sub nomine Athanasii, „ & alia non melioris commatis „ supposititia in medium prolata fuere? Patres autem non semper iis „ facultatibus fuisse instructos, quibus omnes ejusmodi fraudes possent retegere, quis in dubium vocabit, qui, quanta ad hanc operam omnino necessaria eis defuerint, non ignorabit. Hieronymus ipse Latinorum omnium, maxime in hoc eruditionis genere, „ doctissimus, quædam non raro in „ medio relinquit, (*c*) veluti cum „ de libro quodam Minutii Fælicis „ contra Mathematicos agens, subjungit, (*d*) *Si tamen inscriptio non mentitur authorem*. Et alibi, quæcumque fuerit facti ratio, Pauli „ ad Senecam, & Senecæ ad Paulum Epistolas agnoscit, atque probat; quæ tamen Baronio, & Bellarmino suspectæ redduntur, & „ supposititiæ, quales re ipsa sunt, „ censentur. Sed & ii ipsi, qui scripta „ notha infamare potuerunt, id neglexerunt, vel ne authores in se provocarent, vel ne iis libris authoritatem omnem abrogarent, quibus tamen utilia nonnulla, nihil „ vero falsi, vel noxii, contineri arbitrabantur. Unde fit, ut præstare existimarent libros istos quorumdam manibus teri, quam sibi „ odium, & invidiam, si eos aliqua animi religione infamarent, „ gratis quærere, cum in illo nihil „ periculi esset, in hoc vero labor, „ & molestia. Sic mea quidem sententia, ut hoc exemplum afferam, „ nunquam Hieronymus in retegendis Ruffini commentis, & suppositionibus operam posuisset, ejusque „ malevolentiam in se provocasset, „ ni

[a] *Hier. Ep. 88. ad Magn.*
[b] *Clement Alex. strom. lib. 1. lib. 2. & alibi.*
[c] *Epist. 80. ad Mag.*
[d] *In Catal.*

„ ni alia de causa ab ipso alienatus „ fuisset, nec, ut item censeo, Pa„ tres Africani de supposititiis Ni„ cenæ Synodi Canonibus tam acri„ ter cum Zosimo disputassent, ni „ sua multum interfuisset, nec enim, „ quandiu aliter fieri potest, gravis, „ & sapientis viri est cum quoquam „ amicitiam dissolvere; nec adver„ sus abusus, ni magni, & periculi „ certissimi pleni sint, solent levi „ negotio viri cordati insurgere. Pa„ lam autem est incommoda, quæ „ fraudes istas consecuta sunt, pri„ mo quoque tempore non appa„ ruisse, licet cum tempore, & sen„ sim bonos, genuinosque libros pe„ ne oppresserint. His animadversis, „ facile, mea quidem sententia, pa„ tet de titulo libri, ejusque nata„ libus, non satis constare, quam„ vis sub eodem nomine apud u„ num, aut alterum veterum ci„ tatus occurrat. Sic ex. gr. & Ju„ stinus ipse & Clemens Alexandri„ nus, & plerique omnes veteres „ Christiani Sibyllina Carmina pro „ vero, & genuino censent Sibyllæ „ fœtu, quæ tamen post an. D. 130. „ ficta fuisse & res ipsæ liquido vin„ cunt, & Claris. Blondellus noster „ luculentissime demonstravit. Ori„ genes, si Philocaliæ fides, Cle„ mentis Romani nomine laudat, „ ac describit locum satis prolixum „ velut ex libro 14. itinerarii, sive, „ ut ipse vocat, περιόδων, qui totus „ habetur in iis, quæ nunc circum„ feruntur, Clementis recognitioni„ bus lib. x. non procul ab initio. „ Hoc tamen Clementis opus quin „ spurium & a male feriato aliquo „ impostore confictum, nemo nunc „ fere litteratorum dubitat. Baro„ nius quidem certe non semel ex„ plodit, & *mendaciis confectum*, „ (a) *& ab omnibus Patribus proscri*„ *ptum* esse affirmat. Non fuerunt „ fæliciora sæculorum sequentium „ de veterum libris judicia: nam ex„ tat liber *de duodecim abusionibus* „ *sæculi* inter Cypriani opera, quem „ ejus nomine Troslejana Synodus „ ante annos 743. diserte laudavit. „ (b) Hunc ipsum tamen negat Bel„ larminus, & quidem verissime, „ (c) *Cypriani esse posse, cum passim* „ *citet scripturas ex versione S. Hie*„ *ronymi*. Ita etiam qui Ambrosii „ nomine jampridem circumferun„ tur in universas Pauli Epistolas „ Commentarii, pro vere Ambro„ sianis, & a Synodo Parisiensi ante „ an. 828. (d) & ab Aquisgranensi „ ante annos 790. & circa idem „ tempus ab Hincmaro Rhemensi, „ & a Prudentio Tricassino Episco„ pis, & ab aliis ad hoc usque sæ„ culum pene innumerabilibus lau„ dati sunt. Et tamen certissimum „ est, & apud utrarumque partium „ Theologos liquido confessum, non „ esse hos Ambrosii, sed Hilarii cu„ jusdam, sive, ut volunt quidam, „ Romani Diaconi, sive, ut alii pu„ gnant, alterius nescio cujus igno„ ti, verum ac genuinum fœtum. „ Ejusdem Ambrosii nomine jam„ pridem ab Hincmaro, & a Ratra„ mno, sive Bertramo ejus æquali „ allatos scimus libros sex de Sacra„ mentis, & deinceps ab omnibus „ fere Theologis cum vetustioribus, „ ut Lanfranco, & Guitmundo, tum „ re-

[a] *Ad an. Dom. 44.*
[b] *An. 909. c. 4.*
[c] *Bell. de Script. Eccl. in Cypr.*
[d] *Ann. 862.*

„ recentioribus, eodem quoque loco, & numero habitos. Atqui res „ ipsa negat eos esse Ambrosii, ut a „ Roberto Coco, & aliis fuse, solideque demonstratum, vix repugnante Arnaldo Magistro Sorbonico. Concilium Lateranense sub „ Martino I. P. R. tria quædam loca Athanasii nomine citat, *ex sermone in* illa verba, *quicumque dixerit Verbum* &c. neque tamen dubitarunt Perronius Cardinalis, & „ Coifettellus Madauræ Episcopus, „ negare sermonem esse Athanasii. „ Homiliæ in Matthæum latinæ, „ quarum *opus imperfectum* vulgo dicitur, ante annos 792. ab Hincmaro Chrysostomi nomine laudatæ, ex omnium consensu habentur, & quidem vere ac merito „ pro hominis Hæretici, & Chrysostomo multo recentioris opere. „ Symbolum ad Damasum, quod „ incipit, *credimus in Deum Patrem*, „ Hieronymi nomine citavit & Carolus Magnus ante annos 858. & „ Remigius Lugdunensis Episcopus „ ante annos fere 800. atqui id Symbolum neque Hieronymi est, neque hominis Catholici, neque simplicis, & privati cujusdam Hæretici, sed ipsius Hæresiarchæ Pelagii, ut utrarumque partium eruditi ex Augustino pari consensu „ observarunt. Ejusdem quoque Pelagii (ut hoc obiter dicam) certo „ esse docti deprehenderunt & Epistolam ad Demetriadem Virginem, „ quæ incipit, *si summo ingenio*, & „ Commentarios in omnes Pauli Epistolas, quod utrumque opus a „ multis retro sæculis ad nostram „ memoriam, inter Hieronymi opera, magno errore, legitur. Librum „ quæstionum Veteris & Novi Testamenti ante annos 828. Augustino tribuit Synodus Parisiensis „ sub Ludovico Pio: atqui id opus „ & ab Augustino alienum esse consentiunt omnes eruditi, & alicujus Hæretici esse pronuntiat Bellarminus. Hincmarus & *Hypognosticon*, & *de Prædestinatione & Gratia* libros velut Augustini genuinos citabat an. D. 859. jam vero „ constat, neutrum esse Augustini „ vel Bellarmino Teste. Libros de „ *Vita contemplativa Prospero* asserunt Patres Aquisgranenses ann. „ D. 816. & Theodulfus Aurelianensis an. 809. quos tamen non Prosperi, sed Juliani Pomerii esse, „ veris, certisque rationibus demonstravit Sirmondus. Prudentius Tricassinus circa an. D. 860. librum „ *Mythologiarum*, seu *Virgilianæ continentiæ* (quem Fulgentii Placiadis esse etiam pueri nunc sciunt) „ nominis æquivoco deceptus Fulgentio Ruspensi celeberrimo, sed „ in longe diversa eruditione Episcopo tribuit. Parili errore Ratramnus Corbejensis, & eorumdem „ temporum Monachus, Gennadii „ Constantinopolitani Episcopi esse „ putavit librum de Ecclesiasticis „ dogmatibus, cujus certissimus Auctor est Gennadius Massiliensis „ Presbyter. Multa ejus generis asserere possem: sed hæc, ut videtur, satis sunt ad id, quod instituemus, probandum, ut nemo „ nunc miretur, quod Ignatii Epistolas, tametsi ex majori, ut videtur, parte Eusebii testimonio firmatas e Protestantibus non pauci „ veluti spurias explodant. Quod vero pertinet ad alteram rationem, „ qua liber ex silentio Veterum in „ dubium vocatur, fateor, neque ex „ ea plane certo, atque indubitato „ argumentari licere, cum fieri pos-

„ sit,

„ sit, ut Patrum uni, aut multis
„ ignotus fuerit superiorum Scripto-
„ rum aliquis, vel, etiamsi notus,
„ tamen vel errore, vel consilio, o-
„ missus fuerit. Sed tamen si & qui
„ de alicujus vetustioris scripto ta-
„ cuit, vir gravis, & eruditus fuit,
„ causasque habuit, cur de eo non
„ taceret; & scriptum ipsum illustre
„ esse, vel ob authoris nomen, vel
„ ob argumentum debuit, admodum
„ probabile est, nullum ejus tempo-
„ re extitisse, quod vir talis hujus-
„ modi loci tacuit. Itaque hujus-
„ modi probatione merito usus est
„ Hypathius Ephesius anno D. 532.
„ ad evertendam Dionysii Pseudo-
„ Areopagitæ fidem, cum quædam
„ ejus testimonia ab Hæreticis, qui-
„ buscum disputabat, objicerentur
„ (quo loco obiter observandum,
„ primum hunc videri ex omni an-
„ tiquitate locum, quo facta reperi-
„ tur istorum Dionysiacorum, quæ
„ nunc orbem sua fama impleve-
„ runt, mentio) *illa*, inquit Hypa-
„ thius, *testimonia, quæ vos Diony-
sii Areopagitæ dicitis, unde potestis
ostendere, vera esse, sicut suspicamini?
Si enim ejus erant, non potuissent la-
tere B. Cyrillum. Quid autem de B.
Cyrillo dico? quando & B. Athana-
sius, si pro certo fuisset, ejus fuisse,
ante omnia in Nicæno Concilio de con-
substantiali Trinitate eadem testimo-
nia protulisset adversus Arii diversæ
substantiæ blasphemias: Si autem nul-
lus ex Antiquis recordatus est ea, un-
de nunc potestis ostendere, quod illius
sint, nescit:* „ hactenus Hypathius.
„ Quo exemplo non minus valide
„ argumentamur, suppositìtias esse
„ eas Epistolas, quæ jam ab Euse-
„ bii sæculo Ignatii nomine circum-
„ feruntur.. *Si enim ejus erant*,
„ *non potuissent*, inquam, *latere* B.
„ Irenæum qui earum disertissima
„ de Patris rerum omnium Creato-
„ ris Deitate, Christique Filii veri-
„ tate *testimonia* adversus Hæreticos
„ *protulisset*, qualiter Clementis E-
„ pistolam ad Corinthios, & Poly-
„ carpi ad Philippenses laudavit.
„ Ille vero nusquam istas Ignatii E-
„ pistolas *recordatus est*, tamesi ta-
„ cito ejus nomine quoddam dictum
„ alicubi referat. Quod in iis hodie
„ legitur, nempe ex Irenæo ab Im-
„ postore, qui eas finxit ad rem suam
„ usurpatum, ὥς εἶπέν τις τῶν ἡμετέρων
„ inquit Irenæus, *ut dixit quidam
„ de nostris:* non ait, *ut scripsit*,
„ vel, *ut in Epistola aliqua dixit*,
„ sed simpliciter, ut *dixit*. Neque
„ eæ Epistolæ, si veræ erant, Cle-
„ mentem Alexandrinum, qui ipsis
„ etiam Apocryphis libris multum
„ utitur, latuissent, vel Tertullia-
„ num, qui nusquam eas memora-
„ verunt. Sed hæc disputandi ratio,
„ præterquam quod admodum est
„ probabilis, & illud etiam habet
„ præcipui, quod priori longe est
„ tutior, cum multo minus pericu-
„ losum sit, scriptum aliquod genui-
„ num repudiare, quam suppositi-
„ tium admittere. Levius enim est,
„ veritate aliqua carere, quam men-
„ dacio, quod ei opponitur, fidem
„ adhibere. Quemadmodum enim
„ minus peccat, qui bonum aliquod
„ omittit, quam qui malum, quod
„ ei opponitur, committit; sic ejus,
„ qui, quod res est, credere abnuit,
„ quam ejus, qui falsum, quod rei
„ veritati opponitur, temere admit-
„ tit, levior error est. Ea est vete-
„ rum librorum confusio, eaque ra-
„ tionum, quibus veri a falsis, ge-
„ nuini a suppositìtiis discerni pos-
„ sint, infirmitas, adeout sepenume-
„ ro levioris sit negotii, quid res-
„ puen-

„ puendum, quam quid recipiendum sit, constituere. Judicet nunc „ lector, cum scripta ista tot sæculis voluta sint, & per tot manus, vel nullius, vel certæ dubiæ „ Fidei transierint, veritate ipsa „ languide, & quasi persunctorie „ adversus fraudes istas obsistente, „ annon inter tot librorum, qui sub „ nomine Patrum feruntur, millia, „ qui sint veri, & legitimi, qui vero nothi, & supposititii, difficillimum sit certo statuere. „

Videat Censor, atque consideret, quid valeant suæ argutationes; quæ & a nonnullis auctoribus, quos ipse memorat, & ab aliis gravioribus exagitantur; quorum testimonio certa Patrum opera, quæ ad nos pervenerunt, a dubiis, & a nothis distincta vincuntur.

Atque imprimis verum, certumque est, Ecclesiæ Romanæ, & Catholicæ principia a Sanctis Apostolis fluxisse; & Ecclesiarum Gallicarum, Hispaniensium, aliarumque origines, vel labente priori Ecclesiæ sæculo, vel posteriori ineunte, ab apostolicis viris manasse: quas res (*a*) S. Irenæus, (*b*) Tertullianus, Eusebius, S. Epiphanius, cæterique Patres testantur; e quibus aliqui veras Angelorum visiones, ac mortuorum resurrectiones a sacris litteris, atque ab antiquis Ecclesiasticis Scriptoribus narratas; mirabilem quoque Christianæ Religionis propagationem, & Catholicæ Ecclesiæ fundationem ab Apostolis, eorumque Discipulis, ac successoribus factas; denique plura Sanctorum prodigia exponunt, atque confirmant. Hanc firmissimam veritatem perspicere, atque a dubiis gestis, ac falsis distinguere Dallæus primitus debuit, ut non effutiret, octavo, & nono sæculo fabulas de rebus ad religionem utilibus ortas fuisse: fabulæ enim Christi religioni veræ, ac sanctæ repugnant, eique adeo non sunt accommodatæ, atque utiles; quas tales esse, perdoctis illorum sæculorum Scriptoribus persuasum non fuit.

Nam argutator illud primum affirmat, *rem litterariam sacram in Occidente a Monachis*, & Clericis per septem sæcula, quæ ab anno 800. ad sequentia decurrerunt, ita tractatam fuisse, ut, si quid ad religionis commodum conferre videbatur, id impune, sive sine censura, fingere, ac spargere ipsis liceret. Atqui litterariam rem sacram, quæ certe est Sacra Scriptura fabulis omnibus adversa, quæque veræ Dei religionis fundamenta continet, illi tractarunt. Non igitur fabulas de rebus ad eam Religionem utilibus confinxerunt, neque illas huic utiles esse, habuerunt persuasum; quum videlicet sacras litteras pertractarint: qua sua assertione Dallæus calumniam depellit, quam ipse iisdem bonis Viris objectat: qui viri litterariam rem prophanam ut a litteraria re sacra expresse distinctam, sicuti idem Censor ait, etiam discusserunt; ideoque prophanas fabulas a sacris Scripturis, & a sacra Religione secretas, atque alienas, non istis accommodatas, voluere: quin etiam eruditiores illorum temporum latini Auctores Ecclesiastici Divinas Litteras suis adlegationibus non commentitiis,

(*a*) S. Iren. lib. 2. adv. hæres. cap. 2.
[*b*] Tertull. adv. Jud. cap. 7. Euseb. lib. 1. Hist. Eccl. cap. 4. S. Epiph. hæres. 51.

tiis, neque adulterinis, sed sinceris, quæ in manentibus ipsorum operibus emicant, adfirmarunt, nihil, quod ad litterariam rem sacram pertineat, impune fingentes.

Sed enim res Ecclesiasticas, ad quas Censor statim pertransit, intueamur; quarum prior illa dicitur, quæ fert, S. Dionysium, qui primus Parisiensis Episcopus extitit, S. Pauli Apostoli Discipulum fuisse & Atheniensem; quod non in commento, sed in opinione positum est, quam Natalis Alexander (*a*) tuetur.

Utcumque vero se res habet: sane alium Dionysium primum Antistitem Parisiensem fuisse adsignificat S. Gregorius Archiepiscopus Turonensis (*b*) anno 573. constitutus: qui quidem in libro de gloria Confessorum tradit, *S. Ursinum a Discipulis Apostolorum ordinatum Episcopum*, & *in Gallias destinatum*; ab eoque *Bituricensem Ecclesiam primitus institutam*: sed tamen postea Decio imperante in alias Galliarum Civitates alios Episcopos primum *missos* esse, in Historia Francorum sic narrat (*c*): *Hujus tempore septem viri Episcopi ordinati ad prædicandum in Gallias missi sunt, sicut Historia Passionis Sancti Martyris Saturnini denarrat: ait enim*; sub Decio, & Grato Consulibus, sicut fideli recordatione retinetur, primum, ac summum Tolosana Civitas Sanctum Saturninum habere cæperat Sacerdotem. *Hi ergo missi sunt, Turonicis Gratianus Episcopus, Arelatensibus Trophimus Episcopus, Narbonæ Paulus Episcopus, Tolosæ Saturninus Episcopus, Parisiacis Dionysius Episcopus, Lemovicis Martialis est determinatus Episcopus.*

Deinde quum in Parisiensi Conventu, qui anno 825. habitus est, diceretur, Dionysium Areopagitam a S. Clemente in Gallias missum fuisse: hæc fama adversarios passa est; quemadmodum Hincmarus anno 845. Rhemensium Episcopus ordinatus in Epistola ad Carolum Calvum refert: *quæ*, inquit, *sunt illorum reliquiæ, qui negabant Dominum*, (*d*) *& Patrem nostrum Dionysium esse Areopagitem, & a Beato Paulo Apostolo baptizatum, & Atheniensium ordinatum Episcopum, & in Gallias a S. Clemente directum; ex his, quæ Græca testificatio.., & Gallicana intimat contestatio, ratum & in hoc recognoscant quod ante nos dictum est.*

Sed & Joannes Erigena eodem nono sæculo ad ipsum Imperatorem Carolum Calvum Epistolam scripsit: ubi de S. Dionysio Areopagita in Gallias misso sic disputavit: *fertur præfatus Dionysius fuisse Discipulus, atque adjutor Pauli Apostoli, a quo Atheniensium constitutus est Episcopus; cujus Lucas commemorat conversionem in Actibus Apostolorum, & Dionysius Corinthi vir antiquus.., Eusebius item Pamphili in Ecclesiastica Historia, necnon etiam S. Gregorius in homilia sua, ubi breviter ordines Angelorum exponit. Hunc eundem quoque* (*e*) *non præfati viri, sed*

[a] *Natal. Alex. in Hist. Eccl. saculi* 1. *Diss.* 16. *Tom.* 3.

[b] *S. Greg. Tur. lib. de Glor. Conf. cap.* 8.

[c] *Idem in Hist. Franc. lib.* 1. *cap.* 30.

[d] *Hincm. Rhem. in Epist. ad Car. Cal. apud Mabil. tom.* 1. *Anal. pag.* 61.

[e] Natalis Alex. ibidem ait, hæc verba, *non præfati viri*, in duobus Erigenæ Manuscriptis haud reperiri; verum editi libri ex melioris notæ codicibus ea exhibent: quæ etiam exigit contextus Erigenæ, ut qui *præfatos* antiquos provinciæ ante posuerit, & *modernos* [illegible].

sed alii moderni temporis asserunt, quantum vita ejus a Fidelibus Viris tradita testatur, temporibus Papæ Clementis, successoris videlicet Petri Apostoli, Romam venisse, & ab eodem, prædicandi gratia, in partes Galliarum directum fuisse, & Parisiis Martyrii gloria coronatum.

Quidnam igitur est illud, quod Dallæus de litteraria re Ecclesiastica inchoavit, ac prius ex ea collegit? Id voluit, illam a sæculi octavi, noni, & sequentium Monachis, & Clericis fictam fuisse: quod primum eo probare sibi visus est, quia illi ostentarunt, S. Dionysium Areopagiten, Pauli Apostoli Discipulum, extitisse Parisiensem Episcopum. Num ergo iidem viri pii certos illos S. Gregorii Turonensis libros vel confinxere, vel adulterarunt? Ne hoc quidem Censor ipse protulerit: quoniam Gregorius idem suis in libris aliud, quam ipsi quidam Monachi & Clerici de S. Dionysio opinati sunt, scripsit, ac posuit. Ii igitur Ecclesiastici genuinos ipsius Gregorii libros, ac sic germana scripta præcedentium Patrum Græcorum & Latinorum, qui aut de S. Dionysio Areopagita, aut de eo tanquam Parisiensi Antistite nihil dixerant, quique aliunde Catholicam religionem illustrarant, nec supposuere, nec depravarunt: quibus proinde non licuit, certissima antiquiorum Patrum monumenta, quæ ad ejusdem Religionis commodum, ac dignitatem proculdubio conferebant, impune fingere, & spargere. Quo uno argumento ex ipsius Dallæi prætextibus eruto quanta quanta ejus ratiocinatio falsa monstratur.

Neque vero omnes illorum sæculorum Clerici, & Monachi, ac mortales putarunt, S. Dionysium Areopagitam in *Galliarum partes profectum* esse, ac Parisiensem Episcopum constitutum: sed hoc ipsum alii, Hincmaro Teste, *negarunt*, alii ab *antiquis* Ecclesiæ scriptoribus *non* traditum plane vicerunt, illud factum dubium hac ratione facientes; qua ipsum non ut fabulam, sed ut adductum in dubitationem, quæ certa in Fide non locaretur, quæque adeo Catholicæ religioni certo utilis haud esset, profecto indicarunt. Adhæc Hincmarus admisit illud uti *ante dictum*; in quo dubii aliquid recognovit, quum factum ipsum ab aliis *negaretur*. Quapropter idem Scriptor dumtaxat id *ratum* voluit, quod neque ipse, neque alius sui temporis excogitarit, S. Dionysium Areopagiten fuisse Episcopum Parisiensem: quia hoc *ante* ipsos *est dictum*. Non igitur istud Abbas Hilduinus, cujus auditor Hincmarus fuerat, primus finxit, nec posteris persuasit; quandoquidem a nonnullis id *ante* eum *dicebatur*; quod tamen a *reliquis*, qui vel Hincmari ætate existebant, *negatum* est, ac non adeo iis, neque Hincmaro ipsi persuasum; ut qui acceperit illud ut *dictum*, quod non ejus probationem, nec persuasionem, sed famam quandam ferebat.

Opera S. Dionysii Areopagitæ.

HAc quamvis ab ipso producta esse certum non sit, quoniam nec S. Athanasius, nec ullus primorum quatuor sæculorum Scriptor ipsa laudavit: attamen probabile est, (*a*) eadem

E 2

(*a*) Probabilia Areopagitæ opera hæc sunt: de Cœlesti Hierarchia, de Ecclesiastica Hierarchia, de Divinis nominibus, de mystica Theologia libri IV. Epistolæ ad Cajum 4. ad Dorotheum 1. ad Titum 1. ad Apollophanem 1. ad Sosipatrum 1. ad Polycarpum 1. ad Demophilum 1.

Digitized by Google

eadem ab Areopagita Dionyſio, qui priori Eccleſiæ ſæculo floruit, ſcripta fuiſſe.

Enimvero S. Gregorius magnus, ante medium ſextum ſæculum Romæ natus, hujuſque anno 90. ad ſummum Pontificatum evectus, homilia XXXIV. in Evangelia egit de ſuperioribus beatis Spiritibus, ac de minoribus ſanctis Angelis ad homines miſſis: ad quæ enucleanda locum attulit ex cœleſti Hierarchia, quæ *Dionyſii Areopagitæ, antiqui, & venerabilis Patris* nomine *fertur*: quo verbo aliquam hæſitationem habente S. Doctor ſignificavit, illud opus non certe, ſed probabiliter Dionyſio Areopagitæ attributum: probabile enim in opinione ponitur, quæ quidem incertum quippiam, at veriſimile fert. Falſa autem & fictitia ea opinio non erat; quandoquidem Pontifex ipſe non dixit, quod ipſum volumen fingitur, ſed ait, quod *fertur*. Ferri vero, & fingi admodum diſtant. Ac ſi, uti quidam arbitrantur, idem opus ab Apollinario, qui ſæculo quarto vivebat, confictum fuiſſet; hanc fictionem Gregorius Magnus illi fere ſuppar ſenſiſſet ac declaraſſet; quemadmodum S. Eulogius Alexandrinus Antiſtes ſuperiori in Diſſertatione laudatus, ac ſexto itidem ſæculo celebris, aliud ſcriptum, quod idem Apollinarius Sancto Gregorio Thaumaturgo ſuppoſuerat, novit, ac patefecit; qui Apollinaris figmenta optime ſciens, etiam areopagitica, ſi ab eo ſubdita forent, exagitaſſet: quæ cum neuter ficta docuerit: patet, ea opera ab Apollinario ſuppoſita haud eſſe. Areopagiticon igitur opera illi Dionyſio probabiliter adſcribi Gregorius Magnus ideo putavit; quia & a nullo quarti, aut etiam quinti ſæculi Scriptore conficta, & aliunde antiquiorum Patrum ſilentio prætерita erant. Itaque Gregorius Magnus (a) hæc verba habet: *Supernæ illæ diſtinctiones beatorum Spirituum ita ſunt conditæ, ut aliæ aliis ſint prælatæ. Fertur vero Dionyſius* (b) *Areopagita, antiquus videlicet, & venerabilis Pater dicere, quod ex minoribus* „ Angelorum agminibus foras ad explendum miniſterium vel viſibiliter, vel inviſibiliter mittuntur.

Hinc Hypathius Præſul Epheſinus, ante idem medium ſæculum ſextum clarus contra Severianos Hæreticos Eutychetis ſectatores, qui uti S. Cyrilli Alexandrini Antiſtitis, ita Sancti Dionyſii Areopagitæ verbis aliquibus abutebantur, in Conſtantinopolitana Collatione dixit, quod B. *Athanaſius* (c) *ſi pro certo ſciſſet*, illa Dionyſii *fuiſſe, eadem protuliſſet*. Quare Hypathius ex Athanaſii ſilentio Dionyſii Areopagitæ ſcripta *certa* non habuit, ac proinde ea dubia, & probabilia, non fictitia, exiſtimavit: *certo* quippe non fictum, ſed dubium opponitur. Cur autem Dallæus integra Hypathii dicta exſcribit; exque Areopaticon opere, quod Hilduinus edidit, infert, „ ſatis conſtare, Clericos, & Monachos latinos ab octavo ad nos uſque ſæculo quædam confinxiſſe ſuppoſititia, & mutaſſe. Nonne iſtud conſequens vel ex Areopagiticis, quæ in priori ejus argumento octavum, & nonum ſæculum, ac ſequens tempus

pus

[a] *S. Greg. M. lib. II. Homil. 34. in Evang. pag. 1607. Tom. 1. noviſſ. Ven. Edit.*

[b] *Dion. Arop. de Cœl. Hier. cap. 7. & 9.*
(c) *Concil. Lab. Tom. IV. pag. 1767.*

pus complectente primum ponuntur, elicitum falsitatis arguit ipsius Dallæi narratio? is namque in posterioris argumenti fine refert, anno 532. Areopagiticos libros in collatione relata adductos fuisse. Non igitur Hilduinus Abbas, qui etiam labente sæculo octavo floruerat, illos suppofuit: sed eosdem ut multo ante adlegatos ad suæ religionis emolumentum probabiliter conferre putavit. Quare satis constat, ex areopagiticis libris Censorem falso argumentari, quædam ab octavi sæculi, & reliquorum Ecclesiasticis conficta esse; cum illi libri fuerint antea commendati. Præterea S. Gregorius Magnus sub ejusdem sexti sæculi finem non suppositionis, non doli, non inanitatis, quæ a Dallæo obtruduntur, Areopagiticon opus insimulavit: sed *Dionysii Areopagitæ, antiqui, & venerabilis Patris dictum*, quo Sanctorum *Angelorum missio* explicatur, quodque in Cœlesti ejus Hierarchia extat, adduxit: ex qua ficte deducitur, aliqua opera ab octavi, & noni sæculi Ecclesiasticis conficta fuisse: quia multo ante Areopagitica uti probabilia ejusdem Dionysii scripta a Gregorio Magno, cujus declarationem sequi debemus, cuique Sirmondus, ac Launojus cedant oportet, laudata fuere.

Rursus eam fictionem, mutationem, vanitatem, ac fabellas, quas Dallæus invehit, abjicere æquum est. Certe Sophronius eodem sexto sæculo labente ortus, ac deinceps Ecclesiæ doctrinis imbutus, & sub septimi sæculi initia Hierosolymitanus Patriarcha declaratus, Epistolam adversus Heterodoxos Monothelitas conscripsit; ubi ex veterum, ac singillatim S. Dionysii Areopagitæ authoritate duplicem in Christo Deo, & Homine operationem evicit. Illamque Epistolam Photius noni sæculi scriptor exhibuit, ac *Sanctorum Patrum*, præcipue S. *Dionysii* Areopagitæ *Athenienfis* Episcopi, & *Martyris testimonia*, quæ inibi Sophronius descripserat, numeravit. At si Areopagiticon opus, ex quo testificationem ipse Sophronius eruerat, fictum esset, atque a Latinis mutatum, & imposturæ plenum & fabulæ; profecto ipsius locum ut *Sancti Patris Dionysii testimonium* Photius haudquaquam laudasset; quippe qui Criticus perspexisset, ac pronuntiasset, ex opere commentitio, inani, mutato, ac fabellis referto *testimonium* ad edisserendas geminas Christi operationes, quæ ad Catholicam fidem commendandam maximi momenti sunt, sumi non posse ac laudari. Quum autem illud Photius commendarit, sane innuit, Areopagiticon opus non fictum, neque a Latinis immutatum, nec fabulis, & imposturis bene instructum; sed Ecclesiæ traditionibus ornatum, & a *Dionysio Pauli Apostoli Discipulo* credibiliter effectum fuisse. Quocirca Photius ea, quæ in illis unis Sophronii litteris comprehensa erant, isto modo narravit: (a) *In hoc volumine continebantur testimonia Sanctorum variorum Patrum, qui ante quartam Synodum fuerunt, & qui post illam floruerunt, & post nati sunt; quæ testimonia duplicem in Christo Deo nostro operationem prædicarunt: quorum principes, & præcipui erant Leo veteris Romæ Pontifex,*

[a] *Phot. BB. Cod. 231. pag. 890.*

fex, *& quarta illa œcumenica Synodus*, *Petrus Sanctissimus Myrorum Episcopus*, *Gennadius Constantinopolis & Photiæ Diadochus*, *& Ephremius Antiochiæ Præsul* . . , *& Dionysius copiosus quidem verbis*, *copiosior autem speculatione*, *Discipulus S. Pauli*, *Christi Martyr*, *Athenienfium Episcopus*, *& Justinus*.

At vero Heterodoxus Joannes Clericus objicit, (*a*) quod „ Photius Cod. 1. meminit cujusdam *Theodori* „ Præsbyteri, qui adgressus erat o„ stendere, genuinos esse libros, qui „ tribuuntur Dionysio Areopagitæ; „ & profert Criticorum objectiones „ quatuor, quas confutandas susce„ perat: *Prima quidem*, *si genuinus est*, *cur nemo Patrum*, *qui postea vixerunt*, *ex eo libro sententias*, *aut testimonia citarit? Altera vero*, *quod Eusebius Pamphili recensionem faciens librorum scriptorum a beatis Patribus nostris*, *nullam hujus mentionem fecerit*. „ Theodori responsiones non „ addit Photius, forte quod ineptas „ duceret . . . , cujus„ hæc verba sequuntur, (*b*) *Tertia objectio*, *quomodo Traditionum earum*, *quæ paulatim*, *& longo tempore auctæ sunt in Ecclesia*, *liber hic adcuratam expositionem habet? Magnus enim Dionysius æqualis erat*, *ut adapparet ex Actibus*, *Apostolorum*. *Quæ vero habet liber*, *ea pertinent ad descriptionem potissimum Traditionum*, *quæ sensim*, *& postea invaluerunt in Ecclesia*. *Non est ergo verisimile*, *immo vero confictum*, *quæ longo tempore post mortem magni Dionysii creverunt*, *ea Dionysium describenda suscepisse*. *Quarta*, *cur Epistolæ Divini Ignatii meminit hic liber? Dionysius enim temporibus Apostolorum floruit*; *Ignatius vero Trajano imperante martyrii certamen decertavit*. *Et paulo ante mortem Epistolam*, *cujus meminit hic liber*, *scripsit*. „ Talia multa animad„ verterunt viri eruditi in libris sup„ posititiis. „

Sed Criticus Joannes potius advertat, quod, cum alicujus scriptoris locus adlegetur, ejus contextus adferendus est; quo ipsius mens plenius intelligatur. Et vero Photius illis ista, quæ Censor præterit, statim adjecit: ταύτας ἐν τὰς τέσσαρας Ἀπορίας διέλυσε, ἐναγωνισάμενος βιβλίοις πάγε ἐπ' αὐτῷ γνήσιον εἶναι τοῦ μεγάλου Διονυσίου τὴν Βίβλον: *Has igitur quatuor quæstiones dissolvit*, *præter hæc decertans pro viribus confirmare*, *eum esse legitimum magni Dionysii librum*.

Videsne igitur, ut in Photii contextu, quem argutator occuluit, quam ambigua Criticorum argumenta, & quam probabilis Theodori responsio, & confirmatio appareant? Siquidem illa tanquam *Quæstiones*, seu dubitationes, ac non adeo velut res certas, Photius retulit. Et addidit, quod eas *Quæstiones* Theodorus *dissolvit*: cujus proinde responsa non erant inepta: quandoquidem aptis responsionibus *Quæstiones solvuntur*. Cumque Photius non adstituerit, quod Theodorus illud demonstrabat; sed dixerit, quod is pro suis *viribus decertabat*, sive contendebat *confirmare*, eum *magni Dionysii librum legitimum* esse: ex hisce colligitur, ipsum Theodorum non indubia demonstratione, sed ancipiti contentione usum fuisse; qua eundem librum

(a) *Jo. Cler. art. Crit. P.* III. §. II. *cap.* III. *pag.* 341. Tom. II.

(b) *Ibid. cap.* XV. *pag.* 155.

librum Dionysio probabiliter tribuit, dum id *certatione*, ac non adeo certis argumentis *confirmare* adnitebatur: Cujus singularia responsa Photius ideo dimisit, ut, quod dubium erat, incertum relinqueret ac verisimile. Ob idque postea ejusdem Areopagitæ locum ut *testimonium*, quod videlicet ipsius esse probabile erat, laudavit.

Hinc ex eo, quod neque Eusebius, neque alius quatuor primorum sæculorum Scriptor Dionysii Magni operum mentionem fecerit, dumtaxat sequitur, ut eadem Areopagitica volumina incerta, & probabilia, non supposititia, Criticis videantur: qui utraque distinguentes, sex primorum Ecclesiæ sæculorum silentium requirunt, ut aliquod opus, quod a quopiam illarum sex ætatum authore productum dicitur, fictum probetur. Quare si hoc a quatuor priorum sæculorum Scriptoribus nec adsertur, nec indicatur: ac si aliunde a quodam aut quinti, aut sexti sæculi authore idem vel exhibetur, vel in dubio ponitur: sane ipsum scriptum non certum, neque fictum, sed dubium censetur, ipso Joanne Clerico id significante; qui ea, (*a*) „ quæ in dubium revocata „ sunt ab antiquioribus, „ declarat, atque a *supposititiis* distinguit. Atqui S. Gregorius Magnus sexto sæculo celebris, vetustus Ecclesiæ Doctor, & Criticæ artis, qua sermones aliquos sibi suppositos, uti prædiximus, rejecit, haud ignarus; S. Dionysii Areopagitæ libros dubios, non commentitios, ut vidimus, denotat. Isti ergo non suppositi, sed incerti agnoscendi sunt atque probabiles.

[a] *Ibid. cap.* 3.

Quod vero ad Traditiones pertinet: hoc brevi exponendum est, & in unum plura sunt conducenda, ut ne fictitium Areopagiticon opus, sed dubium videatur.

Equidem hocce in volumine perspicio quasdam Apostolicas traditiones, quæ nec passim, nec longo tempore, sed ab initio apud Ecclesiam valuerunt, utpote ab aliis Apostolicis Patribus dubio procul conscriptæ. Quam responsionem adhibuisse Theodorus existimandus est, ut qui illam objectionem e Traditionibus petitam, Photio teste, *dissolverit*.

Sed & Epistolam ad Romanos scriptam a S. Ignatio Antiocheno Episcopo, qui Trajano Imperatore adversus Christianos persecutionem movente circa æræ Christianæ annum 110. Martyr occubuerat, Dionysius Areopagita commendare potuit, cujus martyrium in ipsius Trajani tempora confert Suidas eruditior cæteris Scriptoribus, qui eundem Dionysium sub Domitiano mortuum volunt. Quo in loco aliqui proferunt, ab Areopagiticorum authore Clementem Alexandrinum, qui vel tertio sæcuculo floruit, adlegatum fuisse: quæ adlegatio si in Areopagiticis extitisset, eam Photius, qui ipsam Ignatii Epistolam a Dionysio adductam haud omisit, notasset: quam notam quum iste Criticus illis scriptis minime inusserit, certe Clementis Alexandrini adlegatio in Photii codicibus nequaquam existebat; quæ proinde Areopagiticis libris addita recte censetur.

At etiam sunt, qui dicant, Areopagiticon authorem grandiloquis verbis,

bis, præfertim Theologi voce, quæ ab Apoftolico ftylo abhorrebat, ufum effe: *Filii* nomen Timotheo Ephefino Antiftiti, qui Fratris titulo compellandus erat, impofuiffe: Monachorum, qui poftea fuerunt, confecrationes tractaffe: ab eoque Hæreticorum millenariorum, qui deinceps extiterunt, errorem, Arii blafphemiam, ac Neftorii hærefim, exagitata fuiffe. Qua ex re aliqui colligunt, Areopagitica fcripta quinto fæculo, quo Neftorius errores fuos genuit, in lucem prodiiffe.

Quæ oppofitiones facile eliminantur. Joannes enim Apoftolus fuo in Evangelio grandiora ea verba θεοῦ, & λόγου, e quibus Theologi nomen conftat, tum iis, qui Chrifto nomen dabant, cum Fidelibus ipfis propofuit, Ac propterea ab Apoftolico ftylo Theologi nomen alienum non erat; quod ex Apoftolicis Scripturis Dionyfius elicere valuit, ac declarare. Qui etiam Timotheum Ephefinum Epifcopum *Filium* propterea vocavit, quia hunc Paulus Apoftolus, quum ipfi Epiftolam infcripfiffet, eodem nomine ita donarat: *Paulus Apoftolus Jefu Chrifti .. Timotheo* (a) *cariffimo filio gratia, & mifericordia:* ad quam infcriptionem Dionyfius uti ejufdem Pauli Difcipulus adlufiffe putandus eft; ideoque Timotheum non ut fuum, fed ut *Filium* ipfius Apoftoli, qui eum Chrifto per Evangelium genuerat, recognovit; in quo nihil, quod ab Apoftolico loquendi more diffideat, apparet.

Monachi autem, de quibus Areopagita fermonem inftituit, erant *Afcetæ*, aut *Therapeutæ*; qui, *omnibus bonis ad propinquos fuos tranfmiffis, extra urbem*, uti Philo Judæus primo fæculo notus enarrat, degebant: (*b*) *quod*, inquit Eufebius, *illius temporis Chriftiani generofo quodam, ac Divino Fidei ardore fuccenfi inftituiffe mihi videntur, quum Propheticam vivendi rationem æmulari ftuderent*. De Horum igitur aliquibus *Chriftianis Afcetis*, qui priori fæculo in publicum prodire cæperunt, ac deinceps facros in ordines ab Epifcopis adlecti funt, Areopagita fine fictionibus egit.

Eadem labente tempeftate Cerinthus, cujus errantia portenta Cajus Romanus Presbyter, & Eufebius referunt, hærefim fuam invexit, qua commentus eft, (*c*) *poft refurrectionem Chrifti regnum in terris futurum; ac rurfus homines Hierofolymis degentes cupiditatibus, & voluptatibus corporis obnoxios fore; ac mille annorum fpatium in nuptialibus feftis tranfactum iri:* quæ figmenta eo tempore infælicius oborta Dionyfius, qui etiam tum in vita erat, fuis fermonibus profligavit.

Verum alii primum ex eo, quod Areopagiticon Scriptor Filium Dei Deum adftruat, deducunt, eundem authorem poft Arium, qui ipfum Dei Filium factum, ac Deum non effe impie proferebat, quarto fæculo ortum fuiffe. Quam opinionem ex S. Athanafio Alexandrino Epifcopo refellimus, qui eodem ævo illas Arii blafphemias redarguit ex S. Ignatii Antiocheni Antiftitis Epiftola ad Ephefios; ubi is docuit, Chriftum Deum & hominem effe, *factum, &* non

(a) II. *ad Tim.* v. 1. & 2.

(b) *Philo apud Eufeb. Hift. Eccl. lib.* 2. c. 17. *pag.* 61.

(c) *Eufeb. lib.* 3. *Hiftor. Ecclefiaft. cap.* 28. *pag.* 107.

non factum, *in Homine Deum*. Quæ traditio eas Arii hæreses aperte retundit, & tamen multo ante ipsas ab Ignatio prolata est, referente Athanasio. (*a*) Quod igitur areopagiticon Auctor Christi Divinitatem asseveret, quarto sæculo vixisse falso putatur; quoniam ante hoc ipsum tempus, ante Arium, ante Athanasium hujus expugnatorem illa a Patribus tradita fuit.

Deinde ad illud idem argumentum adscribunt enuntiationes alias ejusdem auctoris, qui in cœlestis Hierarchiæ capite II. ad significandas Divinas personas, prout hæ formali sensu, non reapse ab essentia distinguuntur τῶν ὑποστάσεων, hypostasum nomine utitur; & ipsius operis capite VII. Deum vocat *unitatem in tribus personis subsistentem*: atque etiam postremo Hierarchiæ Ecclesiasticæ capite adfirmat, Præceptores suos *antiqua traditione* edoctos esse de baptismate parvulis conferendo; atqui hypostasis nomen personam denotans usurpari cœpit post Concilium Alexandrinum anno 362. celebratum, quemadmodum (*b*) Socrates in Historia Ecclesiastica testificatur. Hoc igitur sæculo quidam Scriptor Areopagitica opera effinxit, præcipue quod illam traditionem appellarit *antiquam*, antiquis videlicet prioribus sæculis adnuntiatam.

Quid ergo censores sequuntur? ne ipsi quidem, ut gravissime loquar, quicquam aliud proferent, præter documentum ab Ecclesiasticis ea Synodo vetustioribus traditum. Siquidem Tertullianus secundo sæculo clarus, & græca lingua instructus, *Personam*, quæ græce hypostasis dicitur, adlato sensu a *substantia* distinctam, ac fere illam ipsam posteriorem Areopagitæ propositionem enuntiavit; dum adversus Praxeam, qui Patrem, Filium, & Spiritum sanctum unam, eandemque esse Personam errore volebat, asseveravit (*c*) *unitatem Trinitatis... alium autem quomodo accipere debeas, jam professus sum Personæ, non substantiæ nomine, ad distinctionem, non ad Divisionem... Ubique teneo unam substantiam in tribus cohærentibus.*

Præterea S. Petrus Alexandrinus Episcopus, inclinante tertio sæculo illustris, anno 311. passus martyrium, sicque multis annis illud Alexandrinum Concilium antegressus; ad Alexandrum Constantinopolitanum Antistitem Epistolam scripsit: in qua Dei Filium ex nihilo factum non esse adversus Arium evicit; *propriam* ejusdem *Verbi Dei hypostasim* confirmavit; atque adeo ex antiquiori Ecclesiæ usu illud vocabulum, quo persona Filii Dei speciatim declararetur, attulit hisce verbis: (*d*) *jam vero quod Verbum Dei inter res ex nihilo creatas non contineatur..., Joannes testatur, cum ait*, (*e*) omnia per ipsum facta sunt. καὶ γὰρ ἰδιότροπον αὐτοῦ ὑπόστασιν ἐδήλωσεν; *propriam enim ipsius hypostasim declaravit dicens*, in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est. *Nam si omnia per ipsum facta sunt, quomodo is, qui*

(*a*) S. Athan. in Epist. de Synodis Arimini, & Seleuciæ pag.

(*b*) Soc. lib. 1. Hist. Eccl. cap. IV.

(*c*) Tertull. adversus Prax. cap. XII. pag. 506.

(*d*) S. Petr. Alex. in Epist. ad Alex. Episc. Constant. apud Theodor. Hist. Eccl. lib. 1. cap. IV. pag. 10. & sequ.

(*e*) Jo. 1. 1.

rebus factis præstitit, ut essent, ipse aliquando non extitit? Verbum enim quod facit, nequaquam ejusdem esse φυσεως *naturæ cum rebus factis intelligitur*.

Nunc quoniam Areopagita Deum *unitatem in tribus Personis subsistentem* appellavit eo pacto, quo Tertullianus asseruit in Deo *unitatem Trinitatis*, & unam *substantiam in tribus cohærentibus*: idcirco sic ille hypostasis, & naturæ voces, ut hic *personæ*, & *substantiæ nomina*, distinxit, ut traderet unam Dei naturam, & *tres personas*, quæ quidem sunt una essentia, *una substantia*, unus Deus. Non itaque quarto sæculo tantum, sed etiam antecedentibus ævis *hypostasum* vocabulo ad declarandas *tres Personas* divinas in naturæ *unitate* subsistentes adlata fuere. Hinc prius, quam disceptatio de Hypostasis significatione nasceretur, S. Petrus Alexandrinus *propriam Verbi Dei hypostasin*, quæ increata persona est, ex Joannis Evangelio *declaravit*: qua declaratione S. Martyr ad prosternendum Arium usus non esset, nisi eam a Majoribus, qui sæculo tertio decesserant, accepisset. Quapropter hypostasis vox personam proprie significans, ante quartum sæculum a veteribus adhibita fuit. Non igitur ex eo ipsius vocis usu Areopagiticon opus quarto sæculo effictum monstratur. Neque vero in adducto hujusce operis græco loco habetur *antiqua traditio*, sed τῆς ἀρχαίας παραδόσεως, *prima traditio*, utique Apostolica; ex qua baptisma parvulis conferendum, divinas hypostases, sive personas, & alia, quæ ad ipsam traditionem pertinent, retulit Areopagita. Tum autem (a) Socrates de illo Alexandrino Concilio ita locutus est, ut *substantiæ*, & *hypostaseos voces* distingueret: qua distinctione posita narravit, *hypostaseos nomine usum esse Apostolum*; eandemque Synodum, quum *nonnulli postea hac de re contendere cœperint*, decrevisse, eas *voces admittendas esse, tunc videlicet, cum opinionem refutarent Sabelli*, qui *Trinitatem* esse *unam* personam *triplici nomine appellatam* errore putabat. Cum ergo *Apostolus* Paulus ad Hebræos 1. (b) *hypostaseos* voce personam significarit, secundum hujus arbitrium, sicque ante illius Concilii Alexandrini tempora Dionysius hypostasis nomine personam, *tresque* Divinas *hypostases* in *unitate* substantiæ, ac non adeo unam Divinam personam triplici nomine appellatam, plane denotavit: cujus proinde opus post Synodum ipsam fictum haud est.

Quæ cum ita sint, videamus, quid tandem alii censores de Areopagitico volumine judicent: nam post hæreses Quinto sæculo obortas scriptum hoc adornatum propterea contendunt, quia ejusdem auctor Nestorii errorem refellit his verbis: (c) *Dei principalis bonitas... nostrorum omnium vere facta particeps absque peccato, humilitatique nostræ unita, salvo proprietatum suarum statu, eoque prorsus inconfuso, & inviolato*. His quoque, aliisque enuntiationibus Eutychetis hæresim exagitare vide-

(a) Socr. lib. 3. Hist. Eccl. cap. 7. pag. 153.

(b) Ad Heb. 1. v. 2. Paulus de Filio Dei dicit, χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ quo hipostaseos vocabulo significari *personam*, docet S. Gregorius Nyssenus in libello de *differentia essentiæ, & hypostasis*.

(c) Dion. de Cæl. Hier. cap. 3.

videtur, cum afferat (a) *Verbum divinissimum.... per inconfusam humanitatis nostræ assumptionem*.

Tolle id ex hac causa, quod in Areopagitæ causa non est: Doce, nullum doctrinæ ab eo profectæ vestigium in vetustioribus patribus reperiri: vince etiam, nihil de una Christi Dei, & hominis persona; nihil de inviolato ipsius proprietatum, quæ enodandam communicationem habent, statu; nihil de inconfusa humanitatis assumptione eosdem antiquiores dixisse: tum Censorum opinionem amplexator; tum Areopagiticon volumen quinto sæculo effictum esse defendito. Dum vero oppositum constabit, quid est, quod illam censoriam recentiorum notam adjuvare videatur?

Enim vero Tertullianus Apostolicis temporibus proximus, Hæreticum Praxeam, qui Jesum a Christo dementer sejungebat, hoc sermone protrivit: (b) *De Spiritu sancto Virgo concepit, & quod concepit id peperit; id ergo nasci habebat, quod erat conceptum, & pariendum; id est Spiritus, cujus & vocabitur nomen Emmanuel, quod est interpretatum* nobiscum Deus. *Caro autem Deus non est, ut de illa dictum sit*, quod nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei: *sed ille, qui in ea natus est Deus... Quis Deus in ea natus? sermo & Spiritus.... quoniam Deus homo natus est in illa, ædificavit eam voluntate Patris; certe usquequaque Filium Dei, & Filium hominis, eum Deum, & hominem, sine dubio secundum utramque substantiam in sua Proprietate distantem: quia neque sermo aliud, quam Deus: neque caro aliud, quam homo. Sic & Apostolus de utraque ejus substantia docet:* qui factus est, *inquit*, ex semine David... *hic erit homo, & Filius hominis, qui definitus est Filius Dei secundum Spiritum. Hic erit Deus, & sermo Dei Filius. Videmus duplicem statum, non confusum, sed conjunctum in una Persona, Deum, & hominem Jesum. De Christo autem differo*.

Nunc quid pertractetur, & quid ab Areopagita, atque a Tertulliano tradatur, vide. Prior enim *Dei bonitatem humanitati vere unitam* affirmat: quo pronuntiato clarior est assertio Tertulliani, qui *conjunctum in una Filii Dei persona Deum & hominem Jesum* lucidius docet contra Nestorium, qui & ipsam conjunctionem negavit, & duas in Christo personas hæresi adstruxit. Ea porro unio duarum naturarum, divinæ, & humanæ, *in una* Verbi Dei persona radix est communicationis proprietatum, sive, ut vocant, idiomatum: quæ communio, integro manente ipsarum naturarum, proprietatumque discrimine, ita fit, ut quæ unius naturæ sunt, non secundum formam, sed secundum materiam cedant in censu alterius; nempe ut neque Deus in natura sua novam formam admiserit; neque homo Divina natura informatus fuerit; sed Filii Dei hypostasis utrumque capiat, quocirca Divinitas, & Humanitas, & alia, quæ naturas, ac proprietates præcise significant, invicem non prædicantur, neve dicuntur in Christo; qui tamen Deus e Virgine Maria, quæ Spiritu sancto operante ipsum conceperat, natus & recte appellatur & pie; non quo Di-

(a) De Divin. Nom.

(b) Tertull. adver. Prax. cap. 27. pag. 516.

Divinitas nata sit; sed quod homo, qui ex eadem Virgine ortum habuit, a Filii Dei persona, quæ Deus est, unice terminetur, sitque hic homo: ob quam terminationem quum Deus Verbum ea, quæ ad carnem humanam pertinent, sibi propria fecerit, quoniam hæc ipsius, non alterius, est corpus: tum non absolute, sed in carne Deus natus, passus, ac mortuus prædicatur. Hanc prædicationem in personæ unitate, & proprietatum communione fundatam Nestorius errore inficiatus est; quem quidem Areopagita exagitare videtur, dum *Dei bonitatem nostrorum omnium participem factam* esse prædocuit: sed tamen Nestorium ipsum Tertullianus enucleatius refellit, quum dixerit, quod præcise *caro non est Deus*; verum *in ea natus est Deus*, sive *Deus homo natus est in illa*. Demum naturæ Divinæ, ejusque proprietatum *statum inconfusum*, *inconfusamque humanitatis assumptionem* Dionysius proposuit; quam rem Tertullianus contra Eutychetem distinctius monstravit, ajens, *videmus duplicem statum non confusum*, *sed conjunctum in una persona Deum & hominem Jesum*. Quid pluribus moror? illis Septimii documentis hæreses Nestorii, & Eutychetis, qui ab illius scriptoris ætate multum remoti fuere, explicatius confutantur. Atqui certum ipsum Tertulliani volumen, in quo ea effata utrique heterodoxo contraria legimus, quinto sæculo elaboratum inepte dicetur. Itidem ergo Areopagitica scripta, quæ aliquas propositiones illis erroribus oppositas continent, eodem quinto ævo concinnata falso putantur: quæ quia nec ficta, nec certa esse constat; merito ipsa dubia, & probabilia, non subdita, apparent.

S. Martialis Epistolæ, cum Lemovicenses Christi fidem antea in Galliis prædicatam aut non recepissent, aut non conservassent, medio tertio seculo ad erigendam eorum Ecclesiam, uti vetus Historia Passionis S. Saturnini, & Gregorius Turonensis narrant, est missus; ideoque illorum Apostolus ab Αποςέλλω, quod mittere significat, vocatus fuit; non quia unus aliquis e primis Apostolis esset; sed illius destinationis, missionisque causa, ob quam etiam alii post Apostolos priores ab Ecclesiasticis scriptoribus nonnullarum Gentium Apostoli, & quidem secundarii, appellati sunt, nomen illud obtinuit; qua ratione Abbas quidam, ejusque Monachi, qui sæculo XI. vigebant, inter posteriores Apostolos numerarunt Martialem, ac sic eum vera Apostolicorum virorum antiquitate, quæ primis Ecclesiæ sæculis splenduit, ornarunt: qui si eundem Episcopum Apostolis coævum vocarunt, iis tamen venia est danda, quod ista in voce, cui doctiores Ecclesiastici illo sæculo reluctabantur, omnemque confusionem abjiciebant, peccarunt: laus tribuenda, quod non confinxerunt, ut Martialis Galliarum Apostolus secundarius haberetur; id quippe Gregorius Turonensis significavit, & Bosquetus, & Lordesius negare non possunt, nisi antiquis, certisque testimoniis immerito obsistant.

Hic autem de duabus Epistolis, quæ S. Martiali Lemovicensi Episcopo affictæ sunt, quasque Dallæus silentio præterit, disserendum est nobis, quo institutam disceptationem prosequamur. Duæ igitur Martialis circumferuntur Epistolæ; quarum una ad Burdigalenses, altera ad Tolosanos scripta est; quas eidem Martiali,

tiali, qui tertio sæculo florebat, suppositas esse probat generale sex priorum sæculorum silentium; in quorum ultimo S. Gregorius Turonensis clarus, Martialis quidem, at non earum litterarum mentionem fecit: quæ si tunc extitissent, ipsas quoque Gregorius memorasset. Deinceps, ut de aliis taceam, utriusque Epistolæ auctor Sacras Scripturas ex S. Hieronymi versione sæpius adlegat; quod clarissimum indicium est novitatis. Novitatem ætiam redolet ejusdem Martialis vita a quodam Aureliano conficta, utpote quæ recentibus nominibus germanicis, ac fictionibus scateat; illas autem Epistolas atque hanc vitam a Monachis & Clericis excogitatas, ac suppositas nullus auctor antiquus vel perhibuit, vel indigitavit.

Ea, quæ ante alios veterum libros Dallæus confuse objicit, refelluntur.

SEd quid agit Dallæus? Cur isthæc suppofititia dimittit? Profecto ab eorum proposito deterretur, ut plura, quæ ad istud non attinent, quæque solam aliquarum Ecclesiarum antiquitatem spectant, permisceat; quam rursus intueri, ac disertis veterum testimoniis fulcire cogimur.

Tertullianus, cujus sensa, non verba, præmisimus, ex Davidis prophetia Gentes Christo credidisse adversus Judæos sic probat: (*a*) *cui enim dexteram tenet Pater Deus, nisi Christo filio suo? quem exaudierunt omnes gentes, id est, cui omnes gentes crediderunt: cuius & prædicatores Apostoli in Psalmis David ostenduntur:* in universa, *inquit*, terra exiit sonus eorum, & usque ad terminos terræ verba eorum: „ In „ quem enim alium universæ terræ „ crediderunt, nisi in Christum, „ qui jam venit? Cui enim & aliæ „ gentes crediderunt, Parthi, Ela„ mitæ, & qui inhabitant Mesopo„ tamiam, Armeniam, Phrygiam; „ Et incolentes Pontum, & Asiam, „ & Pamphyliam; immorantes Ægy„ ptum, & regionem Africæ, quæ „ est trans Cyrenem, inhabitantes „ Romani & incolæ; tunc & in „ Hierusalem Judæi, & cæteræ gen„ tes: ut jam Getulorum varietates, „ & Maurorum multi fines; Hispa„ niarum omnes termini; & Gallia„ rum diversæ nationes, & Britan„ norum inaccessa Romanis loca, „ Christo vero subdita; & Sarmata„ rum, & Dacorum, & Germano„ rum, & Scytharum, & additarum „ multarum gentium, & provincia„ rum, & insularum multarum no„ bis ignotarum, & quæ enumera„ re minus possumus! in quibus „ omnibus locis Christi nomen, qui „ jam venit, regnat. „

S. Epiphanius quarto sæculo illustris contra Hæreticos Alogos, qui S. Lucæ prædicandi Evangelii munus non esse creditum errore sentiebant, hæc de eodem Luca scripsit (*b*): *Huic igitur prædicandi Evangelii munus est creditum: idque ipse primum in Dalmatia, Gallia, Italia, & Macedonia præstitit; sed in Gallia præ cæteris.*

Episcopi Arelatensis Provinciæ medio sæculo quinto S. Leonem I. Pontificem maximum hoc poposcerunt, ut Metropolitæ Arelatensis jurisdictionem, quam ille ob vicinarum Eccle-

(*a*) Tertull. adv. Jud. cap. VI. pag. 188.

(*b*) S. Epiph. hæresi 51. num. XI. pag. 411.

Digitized by Google

Ecclesiarum pacem attenuarat, integram vellet, atque decerneret: quam rogationem ipsi Praesules expresserunt libello; quem ab iis vere productum fuisse testis est idem Pontifex summus; qui Epistola sua iis Antistitibus id dedit responsum: *lectis Dilectionis vestrae litteris, quas ad nos Filii nostri Petronius Praesbyter*, (*a*) *& Regulus Diaconus detulerunt, quam benevolum Fratri, & Coepiscopo nostro Ravennio impendatis affectum; evidenter agnovimus: Siquidem postulatis, ut ei, quod Decessor ipsius merito nimiae praesumptionis amiserat reformetur. Sed Petitionem Fraternitatis vestrae Viennensis Episcopus missis litteris, & Legatis, sua suggestione praevenerat, conquerens, Arelatensem Episcopum ordinationem sibi Vasensis Antistitis usurpasse*. Haec non animadvertit Launojus, qui contra veritatem, contra Criticae leges, contraque S. Doctoris testimonium gravissimum, quo *Petitio* illa certa monstratur, occentat, eandem petitionem adulterinam sibi videri; quia Titulo Honorifico, ac diei, & Consulum notis vacat: quae oppositiones irritae sunt; propterea quod hujusmodi *litteris* petitiones continentibus, sive libellis precatoribus honorificae inscriptiones non praefigebantur; sed eorum initia Titulos, sive indices Honorificos memorabant. Neque etiam Epistolae aliquae genuinae designabant diem, & Consulem: nam in Synodi Arelatensis Epistola ad Sylvestrum Romanum Pontificem scripta, quae ab eruditis omnibus legitima judicatur, diei, & Consulum notae non insunt; quippe quae ex Constantini Magni decreto, quod apud Theodosii (*b*) Codicem legitur, non simplices Epistolas, nec libellos, aut Apologeticos, aut supplices, sed quamlibet constitutionem spectabant. Hic autem a Titulo Honorifico, in quo Potestatis, & Honoris insignia videbantur, distinguimus supplicis Libelli inscriptionem, quae supplicantium, & ejus, cui supplicatio fiebat, nomina comprehendit; quae supplex Episcoporum Metropolis Arelatensis libellus praetulit; utpote quibus singillatim enumeratis Leo Magnus responderit, eorumque *petitionem* ad se *delatam* significarit: quo coaevi auctoris maximi testimonio Launoi argutationes infringuntur, eademque *petitio* genuina monstratur; qua ipsum Pontificem honorifice precari iidem Praesules sic inceperunt: (*c*) *Memores quantum honoris, & reverentiae, Beatissimae Sedi Apostolicae, cui vos Dominus noster Jesus Christus pro meritis sanctitatis voluit praesidere, semper debitum fuerit, semperque debeatur, ordinationem, quo sanctus Frater, & Coepiscopus noster Ravennius in Civitate Arelate . . . provectus est, missis continuo litteris, Apostolatui vestro indicare curavimus . . . Unde praemissis officiis, quae Apostolatui vestro jure debentur, suggestionem nostram, quae justitiae partibus fungitur, audiendam a Corona vestra minime dubitamus: quippe cum non aliqua nova institui, sed prisca per vos optamus, & antiqua reparari . . . Omnibus etenim regionibus Gallicanis notum est, sed nec sacrosanctae Ecclesiae Romanae habetur incognitum,*

quod

(a) S. *Leo* 1. *Pontif. Epist.* L11. *pag.* 228. *Tom.* 111. *cit. edit. Rom.*

(b) *Theod. lib.* 1. *L.* 1.

(c) *Preces Episcoporum Metrop. Arelat. apud ipsius Leon. Magn. epist. Tom.* 3. *pag.* 224.

quod prima intra Gallias Arelatensis Civitas missum a Beatissimo Petro Apostolo sanctum Trophimum habere meruit Sacerdotem, & exinde aliis paulatim regionibus Galliarum donum fidei, & religionis infusum: priusque alia loca ab hoc rivo Fidei, quem ad nos Apostolicæ institutionis fluenta miserunt, meruisse manifestum est Sacerdotem, quam Viennensis Civitas. . .

Omitto alios, de quibus speciatim, ac breviter dicturus sum. Quæ autem vis ad carpendos *superiorum sæculorum monachos* Dallæum impulit? Falsitas nempe. Quod enim vetustis Galliæ, Hispaniæ, & Britanniæ Ecclesiis Apostolicam originem ipsi Monachi adfinxerint, falsissimum est: hanc enim & Romanæ Ecclesiæ, in qua Apostolorum Princeps Petrus sedit, ac martyrium subiit, & Gallicanis, cæterisque Ecclesiis Tertullianus Apostolorum ætatem secutus attribuit; quum adversus Hebræos ex adlegato Davidis Psalmo evincat, *Christo, cujus Prædicatores Apostoli ostenduntur, credidisse omnes gentes, Parthos* videlicet, *Elamitas, Armenos, Judæos* aliquot, *Ægyptios, Romanos*, Græcos, *Getulos, Hispaniarum omnes terminos, Galliarum diversas nationes, Britannorum loca*, aliasque *multas* orbis *Provincias*, & *Insulas*. Quæ Tertulliani argumentatio *Apostolis Prædicatoribus* nixa valere nequit, nisi tot, tantæque *gentes in Christum credidisse* dicantur, iisdem *Apostolis* aut *prædicantibus*, aut Discipulos suos ad eas *nationes* mittentibus; quarum nationum, præcipue *Gallicarum, Hispaniensium*, ac Britannicarum Ecclesiis vetustissimis Apostolicam originem subinde Monachi illi non appinxere, sed uti veram adfirmarunt, Tertulliano monstrante; cujus testificatione tum Dallæi commenta, tum ea, quæ Bosquetus prius scripserat, refelluntur: qui quum primum eosdem Monachos illius *Gallicanæ* antiquitatis fictores protulisset, id postea bene mutavit, veritus antiquorum Scriptorum eruditionem, ac Dominam Romam, quæ non fastidiis, neque ira; sed placido corde veritatem, quam veteres tradiderunt, amat, ac docet.

Hinc, ut causas singulas dicam, S. Epiphanius, Tertulliano, qui tertii sæculi initiis mortem oppetiit, suppar testatur, quod S. Lucas Pauli Apostoli Discipulus, ac sacer Evangelii Scriptor, *primum in Dalmatiam*, & *Galliam* se contulit, & in hacce posteriori *præ cæteris* nuntiandi *Evangelii* studia navavit: qua in re Epiphanius fucum non facit, utpote consonus Tertulliani enuntiato; qui per *Apostolos Prædicatores*, atque adeo per sanctos Evangelistas, quorum unus Lucas fuerat, *Scythiam*, *Daciam*, & *Gallias* Christo credidisse narravit. Etsi autem S. Gregorius Nazianzenus (*a*), & S. Hieronymus significant, S. Lucam in *Achaja* prædicasse, ibidemque mortuum esse; hoc tamen Epiphanius minime excludit, cum asseveret, eundem sacrum Scriptorem *primum in Dalmatia, Gallia, Italia, & Macedonia prædicandi Evangelii munera præstitisse:* quod *primum* significat, a S. Luca alibi etiam prædicationem, quæ Nazianzeno, Hieronymo, ipsi Epiphanio, cæterisque quarto sæculo viventibus nota erat, poste-

(*a*) S. Greg. Naz. Orat. 25.

ſterius adhibitam eſſe; nimirum ipſum *Evangelii* ſatorem, poſteaquam e *Gallia*, & *Italia* in *Macedoniam* reverſus eſſet, contendiſſe in Achajam, inibi prædicaſſe, ac mortem obiiſſe. Quemadmodum ergo Nazianzeno, & Hieronymo has res utique poſteriores tradentibus credimus; ita Epiphanio horum Patrum temporibus ſplendenti, ac S. Lucam *primum in Dalmatia*, & *Gallia Evangelii* præconem fuiſſe enarranti, illaſque poſteriores Lucæ res innuenti fides eſt tribuenda.

Verum nobis objicitur, quod Severus Sulpitius natione Gallus, patria Aquitanus, anno 401. clarus, id ſacra in Hiſtoria ſcribit (*a*), *ſub Aurelio Antonini Filio perſecutio quinta agitata, ac tum primum intra Gallias Martyria viſa, ſerius trans Alpes Dei religione ſuſcepta*.

At recte enodanda eſt iſta vox, qua primum ſub Aurelio Dei religionem in Galliis non prædicatam, neque in eas quadamtenus introductam; ſed poſtea a Galliarum populis fere univerſis *ſuſceptam* Sulpitius affirmat; quippe qui indigitet *prima* Chriſtianorum Gallorum *martyria*, quæ Euſebius Cæſarienſis Epiſcopus, Severo Sulpitio antiquior, & eruditior, in Eccleſiaſtica Hiſtoria ſic narrat (*b*): „ annus tunc agebatur ſeptimus decimus imperii Antonini Veri: quo tempore quum in nonnullis terrarum partibus violentior adverſus noſtros perſecutio commota eſſet ex incurſione popularium innumerabiles prope Martyres per univerſum orbem enituiſſe, ex iis, quæ in unica Provincia contigerunt, conjicere eſt... (*c*) Porro regio ipſa, in qua ſtadium ad hæc, quæ dixi, certamina conſtitutum fuit, Gallia vocatur. In hac duæ præ cæteris inſignes, præſtanteſque Urbium Matres celebrantur, Lugdunum, ac Vienna; quarum utramque permeat Rhodanus, univerſam regionem præcipiti curſu circumfluens. Igitur nobiliſſimæ horum locorum Eccleſiæ Commentarium de Paſſione Martyrum ſuorum ad Eccleſias Aſiæ, Phrygiæque miſerunt, ea, quæ apud ſe geſta erant, hoc modo commemorantes.. „ *omni.. virium impetu in nos irruit adverſarius*, „ adventus ſui, in quo cum omni licentia graſſaturus eſt, jam tum nobis initia, ac primordia exhibens. Nihil quippe intentatum reliquit, dum miniſtros ſuos aſſuefacit, & quibuſdam quaſi proludiis exercet adverſus ſervos Dei; adeout non ſolum ab ædibus, a balneis, a Foro arcerentur; verum etiam interdictum fuerit, ne quis noſtrum quocumque demum in loco appareret.. ac primum quidem quæcumque a Populo univerſo acervatim ingerebantur, conſtantiſſime tolerarunt; acclamationes ſcilicet, plagas, raptationes, ſpoliationes bonorum, lapidum jactus, carceres.. perducti. deinde in forum a Tribuno militum, & a magiſtratibus Civitatis coram univerſo populo interrogati, confeſſique, uſque ad Præſidis adventum conjecti ſunt in carcerem. Poſt hæc, quum ad Præſidem deducti eſſent, atque il- „ le

(*a*) Sev. Sulp. lib. 2. Sacr. Hiſt.
(*b*) Euſeb. in lib. v. Hiſtor. Eccleſ. proemio pag. 169.
(*c*) Ibid. cap. 1. pag. 170.

„ le omni genere sævitiæ ferretur „ adversus nostros, Vettius Epagathus, unus ex Fratrum numero, „ immensa quadam Charitatis copia erga Deum simul & proximum exuberans..., injustum adversus nos judicium pati non potuit. Sed indignatione commotus, „ postulavit, ut sibi quoque liceret „ pro Fratribus causam dicere, palamque ostendere, nihil apud nos „ impium, aut irreligiosum reperiri. Verum quum illi, qui circum „ tribunal adstabant, adversus eum „ inclamassent .., & Præses ipse petitionem alioqui justissimam egre „ ferret, idque unum ex eo quæreret, essetne Christianus: ille Christianum se esse clarissima voce professus, in Martyrum numerum relatus est advocatus quidem Christianorum ...... (a) Beatissimus „ autem Pothinus, qui Episcopatum „ Lugdunensis Ecclesiæ administrabat, nonagenario major, & corpore admodum infirmo .., mirabili alacritate animi firmatus .., „ absque ullo humanitatis respectu „ raptatus, atque innumeris plagis „ affectus est.„

Ecce Gallicanæ persecutionis *primordia*, & prima *Christianorum* Gallorum martyria, ab antiquioribus Gallis Ecclesiasticis Lugdunensibus, & Viennensibus, qui post medium secundum sæculum florebant, narrata; quæ anno XVII. imperii Antonini Veri, aut Marci Aurelii, sive anno Domini CLXXVII. evenerunt; quorum narratione Eusebius indigitat, *Lugdunum*, ac *Viennam* uti secundi sæculi initiis *insignes præstantesque urbium matres*, ita *nobilissimas Ecclesias*, utique ab Apostolorum Discipulis institutas, explenduisse; in quibus nati sunt ii, qui eodem sæculo Gallorum *Christianorum passiones* scripsere, & *Lugdunensis Ecclesiæ* Episcopatum, quem tunc *Pothinus administrabat*, antea positum significarunt. Et certo ante persecutionem illam, quam gentiles Galliarum populi excitarunt, Christi religio in Gallias ipsas introducta fuerat; quum eadem ardente jam præstitutæ essent *nobilissimæ* Lugduni, ac *Viennæ Ecclesiæ*, in iisque *Christiani* eniterent & *Fratres:* Cui Eusebii, & Gallorum Lugdunensium, & Viennensium testimonio ut vetustiori Severus Sulpitius Gallus, multo post natus, minime adversatur; quoniam eodem tempore, quod Eusebius designavit, *primum intra Gallias martyria visa* conscribit; quo vult, tunc in istis regionibus Christianos, qui martyrio affecti sunt, extitisse; ideoque iisdem in Galliis antea Dei religionem, qua ipsi Martyres imbuti fuerant, prædicatam esse & a nonnullis admissam; verumtamen ab universis populis Gallis, quorum aliqui Gentiles prius erant, illamque persecutionem moverant, *serius susceptam*.

Age nunc adversarius doceat, quonam modo & octavi sæculi, ac sequentium ætatum Monachi Galli in defendenda suarum quarundam Ecclesiarum antiquitate Apostolorum Synchronismum adsectarint: & Arelatenses Trophimum, Viennenses Crescentem, Bituricenses Ursinum, Narbonenses Paulum, aliique alios ad se ab Apostolis missos commenti sint? Commenta sunt ista Launoi, ac

(a) Pag. 175.

ac Dallæi; quos relatus Tertullianus, Eusebius, & Sanctus Epiphanius quarto sæculo noti redarguunt, *diversis Galliarum* Ecclesiis vetustatem Apostolicam tribuentes. Quapropter Eusebius *Crescentem* (*a*) *in Gallias* a S. Paulo Apostolo directum; laudati Arelatenses Episcopi quinto sæculo illustres Trophimum a S. Petro Apostolorum Principe sibi destinatum; S. Gregorius Turonensis Episcopus sexto sæculo illustris *Ursinum ab Apostolorum Discipulis* ad *Bituricenses* missum; denique Martyrologium Romanum, quod S. Gregorius Magnus (*b*) eodem sæculo sexto celeberrimus laudat, *S. Paulum Narbonensem Apostolorum Discipulum*, sane affirmarunt. Itaque Dallæus Launojum sectatus falsissime asserit, illam virorum Apostolicorum in Galliis celebrium antiquitatem ab octavæ, & sequentium ætatum Monachis fictam fuisse; quos etiam Bosquetus priori sua præfatione nequicquam insecutus est. Illi namque, Religione consulta, antiquæ doctrinæ Ecclesiasticæ simplicitate, ac veritate adamatis, non ad illiciendas hominum mentes, neque ad decipiendam piam plebem, sed ad verum Sanctorum cultum docendum, illustres S. Ursini, S. Pauli Narbonensis, S. Martialis, ac S. Dionysii Episcopi Parisiensis titulos, quos S. Gregorius Turonensis, ac vetus Martyrologium Romanum proposuerant, adduxerunt. Ob quæ Bosquetus priorem præfationem ab Usserio citatam bene rescidit; præcipue quod Areopagitica opera, quæ ibi miscuerat, neque ab ipsis Monachis, neque ab aliis ficta monstrentur.

Si vero Fulco Rhemensis Archiepiscopus Sixtum totius Galliæ Primatem effecit; in eoque genere abundavit; Si Turonenses Gratianum, si Catalaunenses Memmium addiderunt: Attamen hos ab Apostolis, eorumve Discipulis in illorum regiones missos fuisse, verisimile est; quoniam Tertullianus docet, *diversas* eas *nationes Apostolis Prædicatoribus*, qui etiam per plures Discipulos suos agebant, in Christum credidisse.

Sed, quoniam antiquiora testimonia elidi non possunt, verum est, vetustissimas, ac celeberrimas *Galliarum*, *Hispaniæ*, ac *Britannorum* Ecclesias Apostolica Origine donatas esse, Tertulliano Teste: quam veritatem ut ab antiquissimo scriptore assertam Usserius evertere nequiit; cui quum recta Bosqueti mutatio displicuerit, idcirco ipse piæ monachorum genti illud appinxit, quod ii prodigiosis mendaciis, ac fabellis Britannicarum Ecclesiarum origines contaminarint: quod Usserii portentum ex eodem Septimio, qui Apostolicam earum Ecclesiarum derivationem tradit, refellitur; quæ subinde a monachis defensa fabellis caret; quas si postea quidam illi unicæ veritati adjunxerunt, nihilominus eadem origo fictitia non est; qua etiam *Hispaniarum omnes termini* exornati, quamvis ab Jacobo Apostolo se christianos institutos non probent; tamen ea apostolica origine, quam ipsis Tertullianus attribuit, vere fruuntur.

Vertit se ad alia Dallæus: differit de

(*a*) *Euseb. lib.* 2. *Hist. Eccl.*
(*b*) *S. Greg. M. lib.* 7. *Epist.* 29. *Martyr. Rom.* a *Rosweydo editum.*

de Sanctorum vitis, fictisque prodigiis; & in earum scriptores exhibet criticas Letaldi Monachi decimo sæculo florentis querelas; quibus is præcise *nonnullos*, qui *mendaciis* quædam Sanctorum facta extollebant, propulsavit: non igitur, ut Dallæus pertendit, eruditi relatorum sæculorum ductores ficta prodigia, falsa gesta, notha opera, ac mendacia concinnarunt: quia Letaldus *nonnullos* mendaces repulit, quos scriptores fuisse non dixit; & quoque idem monachus criticus veram S. Juliani Cenomanensis Episcopi vitam a commentitiis gestis sejunxit, atque etiam de quibusdam veris S. Maximi abbatis Miciacensis miraculis librum composuit: etsi igitur quidam imperiti ficta prodigia, ac gesta Sanctis imputare ausi sunt ore; tamen perdocti monachi fraudem detegentes iisdem superioribus sæculis, vera Sanctorum facta, & miracula a falsis segregarunt.

Perperam alias scriptores monachos Dallæus aggreditur; quem vel Cardinalis S. Petrus Damiani, cujus locus ab ipso adversario refertur, evertit: qui celeberrimus monachus in eodem vitæ S. Mauri Cæsenatis Episcopi Prologo, quem Dallæus exhibet, *digestam* ejusdem *vitæ relationem nonnullis*, qui *falsitatis argumenta componebant*, & commentis ipsius Sancti gesta extollere nitebantur, oppofuit; *falsitatem* a *veritate* distinxit; ac *quorumdam Monachorum narrationem*, qua vera S. Mauri gesta, ac *miracula* commemorabant, laudavit. Non ergo plures superiorum ætatum scriptores „ varia fictorum prodigiorum „ narratione Sanctorum vitas exor„ narunt: „ quod S. Petrus Damiani, cujus dictis Dallæus abutitur, cujusque contextum haud profert, testificatus est: qui quamvis *falsum* aliquem vitæ Sanctorum *testem*, ac *narratorem* repudiarit; attamen illam *quorundam* Mauri æqualium *monachorum non omnino contemptibilium*, quos proinde Dallæus inique contemnit, *narrationem* probavit his verbis: (*a*) „ cupientes ali„ quid scribere ad gloriam Dei no„ stri de B. Mauro Pontifice, sic „ auditorum desiderio satisfacere cu„ pimus, ut juxta digestæ Relatio„ nis modum veritati per omnia „ consulamus; contemnendus quip„ pe pincerna est, qui dum vini „ copiam jactat, fecem quoque pu„ nienda temeritate propinat; im„ probus opipator est, qui tanta „ ambitione aliis convivium præ„ parat, ut in semetipsum æstuan„ tis famis incendium sævire per„ mittat: temerarius nihilominus „ narrator est, qui dum laudum „ præconiis alios extollere nititur, „ ipse mergi in falsitatis barathrum „ non veretur: nonnulli enim Deo „ se deferre existimant, si ad defe„ renda laudis ejus insignia, falsita„ tis argumenta componant, qui „ nimirum si egregii Prædicatoris „ verba diligenter attenderent; ta„ lia non sentirent: ait enim Co„ rinthiis: „ Si autem Christus non resurrexit, inanis ergo est prædicatio nostra, vana est fides vestra. (*b*) Invenimur autem & falsi testes Dei, quoniam testimonium diximus adversus Deum, quod suscitaverit Christum,

(*a*) S. Petrus Dam. in Prologo vitæ S. Mauri Episcopi Cæsenatis pag. 202. Tom. 2. noviss. Ven. edit.

(*b*) 1. *Cor.* 3.

ftum, quem non fufcitavit, *fecundum hæc ergo Apoftolica verba falfus Teftis Deo merito dicitur, qui indifcrete eum cupiens laudare mentitur, & adverfus Deum proculdubio perhibet teftimonium quifquis in ejus laude, perverfa molitur arte commentum. Propheta quoque terribiliter intonat, dicens:* (*a*) odifti omnes, qui operantur iniquitatem; perdes eos, qui loquuntur mendacium: *nimirum manifefte declarans, quia ficut levius eft odire, quam perdere; ita etiam tolerabilius eft iniquitatem ex infirmitate perficere, quam ex ftudio mendacia fabricare: hinc eft, quod per Hieremiam de mendacibus dicitur:* (*b*) docuerunt linguas fuas loqui mendacium; ut inique agerent, laboraverunt, „ qui enim fimplicem veritatem ultro oblatam proferre facile poterant, fatagunt, ut mendacia cum labore confingant. „ Hic, fi quis nos longæ præfationis forte redarguat; atque id quod in Machabæorum libro fcriptum eft, aufterus cenfor opponat: „ (*c*) ftultum eft, *inquiens*, ante hiftoriam effluere in ipfa autem hiftoria fuccingi: „ hanc reddimus rationem; quia ubi materiæ abundantia fuppetit, ipfa ftyli prolixitas prohibet in talibus immorari; hic autem, ubi de beati viri virtutibus pauca, quæ fcribi debeant, præfto funt, utilius arbitramur, ad ædificationem audientium, ad quam omnis Ecclefiaftica intendit Scriptura, in procemio contra mendacium fcribere, quam pro narrationis inopia ipfam hiftoriam mendaciorum finibus protelare: igitur quæ de vita vel miraculis B. Mauri ad noftram notitiam pervenire potuerunt, juxta quod quorumdam monachorum non omnino contemptibilium conjicere narratione potuimus, fidelibus Chrifti fideliter intimamus. „

Sed neque Dallæo idem Sanctus fuffragatur in Prologo vitæ S. Romualdi Abbatis; ubi ait: „ quum ad fepulchrum ejus ex longinquis terrarum partibus, toto anno, maximeque in ejus feftivitate, fidelium multitudo conveniat; miracula per eum divinitus facta confpiciat; audire vitæ ejus hiftoriam defiderabiliter quærat; fed, utpote quæ non fit, audire non valeat; non irrationabiliter pertimefcimus, ne celeberrima ejus fama, quæ adhuc populi totius ore depromitur, labente curriculo temporum, de memoria hominum penitus deleatur. Quapropter hoc timore compulfus, multorumque fratrum precibus, & germana Charitate devinctus, quod de prædicto admirabili viro ab egregiis ejus Difcipulis didici, aggrediar, Deo auctore, fcribere ..... Nonnulli enim Deo fe deferre exiftimant, fi in extollendis Sanctorum virtutibus mendacium fingant. Hi nimirum ignorantes Deum noftrum non egere mendacio; relicta veritate, quæ ipfe eft, falfitatis ei putant fe placere poffe commento: quos bene Hieremias redarguit, dicens; (*d*) „ docuerunt linguas fuas loqui mendacium; ut inique agerent, laboraverunt: qui

(*a*) Pfal. v.
(*b*) Hier. IX. 5.
(*c*) Mach. 2.
(*d*) Hier. IX.

„ qui enim ultro oblatam simplicem veritatem referre poterant, „ in componendis, quæ nesciunt, „ casso labore desudant; & quo se „ pro Deo stare quasi adjutores autumant, eo, ut revera falsi testes, „ contra Deum pertinaciter pugnant.. „ sed quia necessitate ad scribendum coacti, velut commoti ista „ præmisimus, jam precibus ejus, „ de quo loquimur, Deo opitulante, ad narrationis ordinem veniamus. „

Hanc posteriorem S. Petri Damiani authoritatem priori consonam Dallæus fallacibus judiciis vidit, eandem de scriptoribus vitæ S. Romualdi frustra interpretatus: quandoquidem Damianus ipsius Sancti gesta narraturus, illud præmonet, quod *fidelium multitudo audire vitæ ejus historiam quærat, sed, utpote quæ non sit, audire non valeat*. Non ergo illi *nonnulli*, qui *in extollendis Sanctorum virtutibus mendacium fingebant*, S. Romualdi, de quo Damianus locutus *ista præmisit*, *Historiam*, *utpote quæ non esset*, conscripserant: ideoque iidem *ignorantes*, & *commenta* de S. Romualdo, vocibus, non voluminibus, *componentes*; *falsitatem* verbo tenus retulerant, quam Damianus coarguit, cujus documentum ei priori, quod de S. Mauro scripsit, diserte respondet. „ Proindeque superiorum sæculo- „ rum scriptores „ in confingendis Sanctorum vitis, atque prodigiis sibi indulsisse, Dallæus falso asserit nedum ex Letaldo, qui suæ ætatis scriptores quam minimum tangit; verum etiam ex S. Petro Damiani, qui neque de scriptoribus vitæ Sanctorum, præcipue S. Mauri, ac S. Romualdi, sermocinatus, eos dumtaxat, qui quædam mendacia de iisdem Sanctis effutiebant, rejecit, ac propterea commenta a veris ipsorum gestis, ac miraculis seclusit, dum eorumdem, aliorumque *Sanctorum historias*, quæ nihil aliud sunt, nisi ipsorum vitæ, scriptis illustravit: cui si eundem Letaldum, & celebratos *monachos* adjunxeris, intelliges, aliquot illorum ævorum auctores *nonnullis* ignaris hominibus, qui quædam de Sanctis comminiscebantur, verecundiores, doctioresque fuisse; qui sane vera Sanctorum & miracula narrarunt & gesta.

Quare si unus, vel alter in fingendo quopiam alicujus facto tunc elaboravit; nihilominus eum a sinceris scriptoribus distinguere, nec indefinite eorum sæculorum auctores insimulare censor debuit.

Atque etiam est res una ab ipso objecta, quæ id, quod asseveramus, ex Gauzberto, qui sub Hildegario Lemovicensi Antistite corepiscopus fuit, ostendit: qui quum fictitium scriptum, quo S. Frontonem Lemovicensis Ecclesiæ Apostolum fuisse falso ostentabat, lucri gratia temere edidisset: cumque in Lemovicensi Concilio, quod anno MXXXI. actum est, de S. Martiali uti secundario Lemovicensium Apostolo, sicut explicavimus, disputatum esset; ac nonnulli dixissent S. Frontonem eodem modo Apostolum nuncupandum; tum quidam Presbyter retulit a Solemniacensis Monasterii Patre Gauzberti fictionem detectam fuisse; atque ex S. Frontonis *Gestis*, quæ tum *legebantur*, constare, hunc Lemovicensium Apostolum, quemadmodum S. Martialis fuerat, non extitisse: non igitur coævi, vel suppares Testes sanctorum vitam scriptis mandantes, eorum gesta finxere, sed ea ut vera repræsentarunt, quippe quæ erudi-

auditiores Monachi & Presbyteri ei supposito scripto objecerint, atque istud illis inconfusum ita adnotarint (*a*): *Cum quidam ex Clericis Petracoricæ Urbis cum Patre Monasterii Solemniacensis altercaretur, & diceret, eodem modo S. Frontum possumus dicere Apostolum: ille coram omnibus sic ei respondit*: „ Tace, „ inquam, Frater... Scripturam de „ sancto Fronti novam, cujus tu „ auctoritate niteris, Gauzbertus no„ ster edidit lucri causa; qui sub „ hujus Lemovicæ sedis Episcopo „ Hildegario Corepiscopus nobis fuit: „ qua autem ratione potest esse Apo„ stolus, qui indigena Petracoricen„ sis fuit? profecto si ibi a Puero „ psalterium didicit, sicut in ejus „ Gestis legitur, & ibi Clericus est „ factus, ibi sacerdotium, & chri„ stianitas erat, ubi schola Divina„ rum Scripturarum, ubi Clerica„ tus ordo erat. „

Ecquis igitur censorem ferat, qui contra ea apertissima testimonia, quæ ab ipso partim citantur, partim omittuntur, effutit „ hanc eo„ rum, qui Sanctorum vitas litteris „ mandarunt, vanitatem claram esse, „ & manifestam? „ manifesta est hujus enuntiati vanitas, error, atque confusio; quod probatos vitæ Sanctorum scriptores cum iis, qui aut voce, aut scripto quidpiam Sanctis adfinxerunt, commiscet. Nulla enim vanitas, sed veritas lucet cum in Letaldi operibus, quibus aliquas Sanctorum vitas, ac miracula descripsit, nonnullosque ore mentientes reprehendit: tum in inculcata Monachorum relatione: tum in S. Petro Damiani, qui plures *Sanctorum historias* exaravit, ac non scriptores, sed voce mendaces repressit: tum demum in S. Frontonis gestis, quæ illi fictitio operi Synodus Lemovicensis opposuit: quos proinde certos vitæ Sanctorum scriptores cum quibusdam veteratoribus Dallæus confundit arguendo, & errando.

Ac tantum abest, ut Summi Pontificis Papæque Urbici, ac Romanæ, & Catholicæ communionis Theologi illam confusionem profiteantur, ut potius ipsam abjiciant, & plura distinguant.

Primum enim Melchior Canus eo loci ab Adversario relati pertractans humanæ auctoritatem Historiæ, ac vitæ Sanctorum auctores, ista conscribit: (*b*) *omnes Martyres, & eorum gloriosos Agones... Veneramur. item vitas Patrum Antonii, Pauli, Hilarionis, & omnium Eremitarum, quas tamen vir beatissimus scripsit Hieronymus, cum omni honore suscipimus*... (*c*) *in nostris, hoc est, Ecclesiasticis facilior est ratio virtutis, & bonæ fidei cognoscendæ. Optimos enim quosque apud nos non solum humanus sermo, atque existimatio colit, verum etiam Ecclesiæ decretum in Concilio Cœlestium collocat; hos itaque mendacii, impudentiæque arguere impietatis etiam, non modo temeritatis argumentum est. De Vincentio Bellovacensi, & D. Antonino liberius judico*, (*d*) *quorum uterque non tam dedit operam, ut res veras, certasque describeret, quam ne nihil omnino præteriret, quod scriptum in schedulis quibuslibet reperiretur ita ad historiam unamquamque existimandam momen-*

(*a*) Concil. Lemov. sess. 2. pag. 1217. & sequ. Tom. 2. Conc. Labb.

(*b*) Can. de loc. Theol. lib. XI cap. VI. pag. 331. Patav. Edit. an. 1714.

(*c*) Ib. pag. 332.

(*d*) pag. 334.

momentoque suo ponderandam non artificum statera, sed ne populari quidem trutina usi sunt. Quamobrem boni licet, ac minime fallaces viri, quia tamen nec auctores eos, a quibus suos exscripsere libros, diligenter examinarunt, nec res justis libratas ponderibus memoriæ prodiderunt, apud criticos graves, atque severos auctoritate carent. Historicus autem, qui Theologiæ decreto probandus erit, nec omnes schedas lectione etiam indignas excutiet, nec anilibus fabulis accommodabit operam, nec prius lecta, auditaque describet, quam ea prudenti, accuratoque judicio expendat, ac seligat.

Itaque contra est, ac censor prætexit. Nam Canus *gloriosos Martyrum Agones*, atque adeo legitima Martyrum acta, qui eos narrant, & *Patrum vitas*, præsertim a S. *Hieronymo* scriptas, ac sequentium utique scriptorum *Ecclesiasticorum bonam fidem* commendat; atque istos a recentibus scriptoribus, qui neque *auctores* vitæ Sanctorum diligenter examinarunt, nec veros a falsis secrevere, distinguit. Non igitur eorum, qui Sanctorum vitas litteris mandarunt, vanitatem Canus redarguit, sed probatos vitæ Sanctorum authores, ac testes, qui eorumdem Sanctorum vel æquales, vel ipsis ferme coævi, vel fere suppares fuere, collaudat, eosque nuperos scriptores non vanos, sed *bonos ac minime fallaces* viros appellat, qui scilicet *non tam operam dederunt*, ut legitimos *auctores*, qui vera exhibuerunt, a nothis falsa dicentibus secluderent; *quam ne* omnino *nihil præterirent*, *quod scriptum in schedulis quibuslibet reperiretur*. Hi ergo recentiores *nihil*, quod censor pertendit, commenti, quædam falsa veris immixta, quæ illis in schedulis invenerant, exscripsere; quam schedularum confusionem Melchior suis ipsis verbis, quæ a Dallæo proferuntur, ibi repellit, ubi res *divorum præclare gestas a fictis revelationibus*, atque *miraculis*, quæ iidem nuperi scriptores haud finxerunt, sed ut *reperta exposuerunt*, secernit: quæ posteriora *mendacia*, quibus *Sancti non egent*, *si* Ecclesiæ *vehementer*, at non plane incommodant, quippe quam admirabiles virtutes, ac vera prodigia *Sanctorum* extollant, *qui multa vera pro Christo gesserunt*: quorum veritatem *Ecclesiastici* scriptores *optimi* exhibent, qui proinde accuratius, quam a Laertio Philosophorum vitæ, & a Svetonio Imperatorum res expositæ sunt, nonnullorum christianorum culpas, & pœnitentiam, ac *multa vera Sanctorum* Martyrum, Confessorum, ac Virginum *gesta* describunt. Alii vero, qui minus severe, quam prophani illi, scripserunt, relatas *schedulas* non per sese *confingunt*, sed ut istæ *confictæ reperiuntur*, exponunt; quas tamen a *multis veris*, quæ *sancti pro Christo gesserunt*, Canus, ut ajebam, distinguit: Quam distinctionem quum Dallæus ipse referat, hic suum confusum enuntiatum, quod Cano appingit, rejicere debet. Debet quoque Ludovicus Vives agnoscere eandem secretionem, qua *quibusdam veris*, quæ falsis inconfusa sunt, non adimitur fides, quam *multa* vera *Sanctorum gesta*, a nothis sejuncta, utpote ab *optimis Ecclesiasticis* narrata, deprædicant.

Huic veritati Papirius Massonus certam rationem adjungit; ut mirari satis non possimus Dallæum, qui celeberrimum Massoni enuntiatum affert, quod errantem ipsius cen-

censoris confusionem rescindit his verbis ab eodem Dallæo relatis: *nec enim Permiscentur Vitis Sanctorum pauciores fabulæ quam alibi ; quia pars earum multis post sæculis ab imperitis scripta est ex quotidianis vulgi sermonibus semper aliquid adjicientis de suo*. Nulla itaque eorum, qui ut Testes idonei superioribus sæculis, quæ a Dallæo inculcantur, Sanctorum vitas scripserunt, vanitas cernitur, nisi ea, quam censor erratione causatur; etenim *sanctorum vitis pauciores fabulæ multis* post *sæculis* inventæ, *non permiscentur*; Quibus Papirius illorum eorumdem, qui *sanctorum vitas* litteris mandarunt, probitatem, ac fidem, non vanitatem, fatetur, quum doceat eas ipsas *sanctorum vitas haud permixtas pauciorum fabularum* vanitatibus, quas *imperiti* quidam *vulgi* fere semper *aliquid adjicientis*, in eoque additamento solum *delirantis* homines conscripserunt, infectis vel *prophanis*, vel *sacris;* quæ sacra aut in *Sanctorum vitis*, aut *alibi* expressa, cum prophanis fabulis *non permiscentur*.

Hanc eandem sententiam firmant Sirmondus, atque Launojus; qui ea, quæ S. Gregorius Turonensis de S. Dionysio Parisiensi Episcopo scripsit; quæque non commentis quidem, sed dubiis aliorum narrationibus inconfusa probantur, admittunt. Launoj autem disceptationes, quibus is aut plura vera inficiatur, aut auctoritates inconsulto depravat, justis ponderibus libratæ non sunt; ideoque laudem omnem neutiquam habent: quare hic, de quo loquor, falsitatis ferro, ut sic dicam, concisus; atque odio, & invidia laborans; alia vera veterum opera, alia probabilia, de quibus diximus, Caroli Magni temporibus conficta, enata, ac sparsa falso venditat; ac propterea disquitiones aliquas facit ita concinnas, ita argutas, ita festivas, ut non fabularum, & figmentorum sylvam rescindat, sed eam suis augeat commentis: quibus nihil officientibus, plures certæ Sanctorum vitæ, plura certa earum vestigia, ac plurima certa Veterum opera quæ aut sex priorum, aut sex posteriorum, auctores repræsentant, a nullo conficta, & a suppostitiis distincta ostenduntur: in quo supponendi genere quamvis nonnulli ante, & post octavum sæculum licentius versati sint; nihilominus plures eorumdem temporum critici figmenta protrivere, genuina Patrum scripta, ac gesta testati: in quibus factis describendis eruditi ii, qui post octavum sæculum scribebant, immoderata fictione abusi non sunt; sed *Monachorum* (*a*), *egregiorumque* hominum, qui post idem tempus vigebant, *narrationem*, quæ Sanctorum vitas spectabat, sectati, mentiendi licentiam præciderunt, ac non fabulas, sed *Sanctorum Historias* litteris consignarunt.

Verum Dallæus licentius obtendit, quod fictoribus illis, quos aliquis Criticus post octavum sæculum vivens exagitavit, nonnulli superiorum temporum Patres, præcipue Severus Sulpitius in opere de vita S. Martini Turonensis Episcopi, aliique exemplo suo præiverint, veris multa Fabulæ propiora admiscentes.

Hanc vero mixtionem Paulinus, S. Am-

(*a*) Vide adlata S. Petri Damiani testimonia.

Digitized by Google

S. Ambrosii Mediolanensis Antistitis Notarius, quarto, & quinto sæculo illustris, ipsique Martino, qui anno quadringentesimo ad Cœlites abierat, ac Sulpitio Severo coævus propulsavit; quum S. Augustino, petenti, ut ejusdem Ambrosii vitam conscriberet, ita responderit, (*a*) „ Hortaris venerabilis Pater Augustine, ut sicut beati viri, Athanasius Episcopus, & Hieronymus „ Presbyter, stylo prosecuti sunt vitas SS. Pauli, & Antonii in Eremo positorum; sicut etiam Martini venerabilis Episcopi Turonensis Ecclesiæ Severus Servus Dei „ luculento sermone contexuit; sic „ etiam ego beatissimi Ambrosii „ Episcopi Mediolanensis Ecclesiæ „ meo prosequar stylo. Sed ego ut „ meritis tantorum virorum, qui „ muri Ecclesiarum sunt, & eloquentiæ fontes, ita etiam sermone me imparem novi. „ Alter Paulinus Petracoricensis circa annum 460. B. Martini vitam versibus exprimens, Severum his laudibus extulit (*b*).

„ Testis adest docto mirabilis
„ ore Severus
„ Et tota Christum cordis vir-
„ tute secutus...
„ Idem Martini titulos vel ge-
„ sta retexens,
„ Scrutator cautus veri, fidus-
que relator,
„ Protulit in medium tam cla-
„ ræ insignia vitæ;
„ Sic justam retinens æquato
„ examine libram,
„ Ne dubia adstrueret dicens,
„ nec certa taceret
„ Hic Sancto persæpe pie socia-
„ tus adhæsit.
„ Ut solet in speculo cordis
„ perspectio mentis
„ Cognatæ similes morum so-
„ ciare figuras:
„ Quo mage credendum est,
„ Testem magis esse probatum;
„ Qui coram comperta docet,
„ cum visa loquatur.

Gennadius etiam in catalogo de viris illustribus, quem labente sæculo quinto scribebat, Severum sic laudat: (*c*) „ Severus Presbyter, cognomento Sulpitius, Aquitanicæ „ Provinciæ, vir genere & litteratura nobilis, & paupertatis, atque „ humilitatis amore conspicuus, carus etiam sanctorum virorum, Martini Turonensis Episcopi, & Paulini Nolensis, scripsit non contemnenda opuscula ... Composuit „ & Chronica, scripsit & ad multorum profectum vitam B. Martini „ Monachi, & Episcopi, signis, & „ prodigiis, ac virtutibus illustris „ viri. „

Denique Venantius Fortunatus, (*d*) Pictaviensis Episcopus, in vita S. Martini scripta post medium sæculum sextum de Severo hæc habet:

Ante per Hadriacos fluctus dare
vela videbar
Cum Duce Sulpitio, bene cujus
ab ore venusto
Martini sacros dulcis stilus edi-
dit actus,
Quos ego sub geminis claudo pe-
de curro libellis.

(*a*) Paul. initio vitæ S. Ambr.
(*b*) Paul. Petrac. lib. versu 165. & seq.
(*c*) Genn. in Catal. vir. ill. cap. xix.
(*d*) Venant. Fort. in Vita Mart. lib. 1. ver. 19.

Quid nunc Dallæi argutationem, quam non vincit, refutem? Non opus est verbis, sed Critice; quam prior Paulinus amplexus, significavit, *Sanctorum Pauli*, *Antonii*, & *Martini vitas*, quas nonnulli Patres, nimirum S. *Athanasius*, S. *Hieronymus*, ac *Severus stylo prosecuti* sunt, S. Augustino æstimatas; quippe qui ipsum Paulinum *hortatus* sit, ut illarum similitudinem sequens, S. Ambrosii vitam scriptis celebraret: ad quod S. Augustinus illum nunquam *hortatus* esset, si iidem veteres vitis illis multa fabulæ propiora inseruissent; Cui neque Sulpitius adhæsit; qui non modo *luculento*, hoc est, perspicuo, & fideli *sermone* S. Martini vitam illustravit; verum etiam quædam *dubia* gesta a pluribus *certis*, ut posterioris Paulini Crisis docet, secrevit; illaque Martino *non adstruxit*, & ista ut vera ipsius facta non tacuit. Tali, tantaque Critice, quam etiam recensiti Patres adhibuere, Severus *veri scrutator* usus, ac S. Martini res *æquo examine* perscrutatus; non, ut Dallæus per injuriam suspicatur, multa fabulæ similia confecit, neque commentorum, sed justi *examinis* specimen aliis præbuit: quoniam ut *probatus Testis*, cui *credendum* est, *certa* ejusdem Sancti gesta, *sacros actus*, ac vera *prodigia* descripsit, fatentibus antiquioribus Testimoniis.

At S. Gregorium Magnum Dallæus nequicquam petit ex Cano; qui quidem in illius Dialogis *judicii severitatem* desiderari pronuntiat; sed in eis „multa fabulæ propiora„ scripta esse non dicit. Siquidem ex his, quæ S. Doctor ibi refert, aliqua gesta sunt, quibus ipse interfuit, quorum proinde veritatem exhibuit; Quædam autem ab idoneis testibus, nempe ab integerrimis Episcopis, a peritis Monasteriorum Præfectis, a nobilibus viris & ingenuis accepit: in quorum narratione cum S. Doctor Historiæ leges, quæ luculenta testimonia requirunt, servarit; ea ut commentitia minime retulit: unde in eorumdem Dialogorum Præfatione ait: (*a*) *Ea*, *quæ mihi sunt virorum Venerabilium narratione comperta*, *incunctanter narro* ... *Sed ut dubitationis occasionem legentibus subtraham*, *per singula*, *quæ describo*, *quibus hæc auctoribus mihi comperta sint*, *manifesto*. Ac statim prioris libri capite primo quoddam Honorati Abbatis factum ita refert, (*b*) *sicut religiosus vir Laurentius perhibet*. Quibus Gregorius innuit, alia gesta, quæ in Dialogis exponit, sibi *comperta*; alia dubia; id quod ex *perhibendi* verbo præcise accepto apparet, fuisse: ac proinde priora fabularum nihil habentia; posteriora autem incerta, quæ Historiolæ putantur, ipsi esse visa.

Dehinc Venerabilis Beda, sæculi octavi scriptor, postquam Ecclesiasticam gentis Anglorum Historiam e primo Julii Cæsaris in Britanniam adventu usque ad annum DCCXXXI. libris quinque perduxisset; ac Sanctorum, quibus aut suppar, aut fere suppar fuerat, vitas, multaque alia exarasset; tum in suorum operum indice, quem ipse conscripsit, ita fatus est: *Librum vitæ*, & *Passionis S. Anastasii male de Græco transf-*

(*a*) S. Greg. M. in præfat. lib. 1. Dial. pag. 151. Tom. 11.

(*b*) Ibi pag. 156.

translatum, & prius a quodam imperito emendatum, prout potui, scriptum correxi. Quæ correctio patefacit, Bedam Critice quadam haud vacasse, ac sic multa fabulæ propiora suis in Historiis, & alibi nequaquam scripsisse; quarum quidem aliqua antiquitati Ecclesiasticæ correspondent; nonnulla autem nituntur domesticis conjecturis & levibus; quæ priores Ecclesiæ ætates, a quibus ille multum distabat, non posteriores, quibus fere proximus erat, respiciunt.

At quæcumque Launojo venerunt in mentem, aut quæcumque commenta ei occurrerunt, Dallæus ostentat, & progressiones facit ad *auream legendam & ferream*; cujus incertus Author, atque indoctus, aliter, ac certa Sanctorum monumenta loquuntur, fatur, atque deblaterat quem magnas proximorum retro sæculorum delicias fuisse Censor contendit, statim ut Bedam, aliosque posteriores auctores, quos perturbato ordine ante retulerat, objectavit. Atqui Beda eum Exscriptorem, qui utpote imperitus illius operis ferrei Auctor videtur, ejecit; ac cæteri posteriorum ætatum Scriptores *mendacia*, quibus idem liber plumbeus redundat, generatim fregerunt, ac veras Sanctorum historias narrarunt. Non ergo ii proximorum retro sæculorum auctores ea commenta, sed certas Sanctorum vitas in deliciis habuere.

Nunc, ut alia diluamus, hoc ponimus, quod Christus ante universale judicium in particulari judicio, postquam aliquis homo occubuerit, potestatem habet mittendi animam ejus & corpus in inferos; quam potestatem in Lucæ Evangelio Dominus ipse sic declaravit: *Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus* (a), *& post hæc non habens amplius, quid faciant. Ostendam autem vobis quem timeatis; timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam: ita dico vobis, hunc timete:* quæ S. Augustinus, quum spiritum timoris Domini esse magnum Dei donum contra Pelagium monstraret, sic legit: *illius timoris spiritum accepimus, de quo dicit ipse Dominus Christus:* (b) „ Eum timete, qui habet potestatem, & animam & corpus perdere in gehennam. Ita dico vobis, hunc timete.

Non igitur Provinciarum Remensis, & Rotomagensis Episcopi, præsertim Hincmarus, & Wenilo, præter sacram Scripturam, quæ etiam alibi ea Redemptoris verba exhibet, locuti sunt; tametsi Carolum Martellum ab eripiendorum bonorum Ecclesiasticorum licentia non abhorruisse, ob eumque anima, & corpore æternis Inferorum pœnis deputatum esse, dubitanter narrarunt. Primum enim S. Eucherii Aurelianensium Præsulis visionem, qua ipsum Carolum anima, & corpore damnatum adspexisse dicebatur, incertam, sive reapse haud comprobatam significarunt his verbis: (c) „ Carolus Princeps, Pippini Regis Pater, qui primus inter omnes Francorum Reges, ac Principes res Ecclesiarum ab eis separavit, atque divisit, pro hoc solo maxime est „ æter-

(a) *Luc.* XII. v. 4. & 5.
[b] S. *Aug. de Grat. & lib. arb. cap.* XVIII.

[c] *Epist: Episc. Rem. & Rot. inter capitula Caroli Calvi Tit.* 27. *apud Sirm. Tom.* III. *pag.* 99.

„ æternaliter perditus. Nam S. Eu-
„ cherius Aurelianensium Episcopus,
„ qui in Monasterio S. Trudonis re-
„ quiescit, in Oratione positus, ad
„ alterum est sæculum raptus, &..
„ Vidit illum in inferno interiori
„ torqueri ... quia Sanctorum judi-
„ catione, qui in futuro judicio cum
„ Domino judicabunt, quorumque
„ res abstulit, & divisit, ante illud
„ judicium anima, & corpore sem-
„ piternis pœnis est deputatus ...
„ in se reversus S. Bonifacium, &
„ Fulradum Abbatem Monasterii S.
„ Dionysii, & summum Capellanum
„ Regis Pipini ad se vocavit, eisque
„ talia dicens in signum dedit, ut
„ ad sepulchrum illius irent, & si
„ corpus ejus ibidem non reperis-
„ sent, ea, quæ dicebat, vera esse
„ concrederent. Ipsi autem pergen-
„ tes ad prædictum Monasterium,
„ ubi corpus ipsius Caroli humatum
„ fuerat, sepulchrumque illius ape-
„ rientes, visus est subito exisse Dra-
„ co, & totum illud sepulchrum in-
„ terius inventum est denigratum,
„ ac si fuisset exustum. Nos autem
„ illos vidimus, qui usque ad no-
„ stram ætatem duraverunt, qui huic
„ rei interfuerunt, & nobis viva vo-
„ ce veraciter sunt testati, quæ au-
„ dierunt, atque viderunt: quod co-
„ gnoscens Filius ejus Pipinus Sy-
„ nodum apud Liptinas congregari
„ fecit, cui præfuit cum S. Bonifacio
„ Legatus Apostolicæ Sedis Georgius
„ nomine. Nam & Synodum ipsam
„ habemus, quantumcumque de re-
„ bus Ecclesiasticis, quas Pater suus
„ abstulerat, prout potuit, Ecclesiis
„ reddere procuravit. Et quoniam
„ omnes res Ecclesiis, a quibus ab-
„ latæ erant, restituere propter Con-
„ certationem, quam cum Waifario
„ Aquitanorum Principe habebat,
„ non prævaluit, præcarias fieri ab
„ Episcopis exinde petiit, & nonas,
„ ac decimas ad restaurationes te-
„ ctorum .., sicut in libro Capitu-
„ lorum Regum habetur, dari con-
„ stituit ... Unde & domnus Ca-
„ rolus Imperator, adhuc in re-
„ gio nomine constitutus, edictum
„ fecit, ut nec ipse, nec Filius ejus,
„ neque successores hujusmodi rem
„ agere adtentarent; quod manu pro-
„ pria firmavit, cujus plenitudinem
„ habemus, & de quo capitulum
„ excerptum, in libro Capitulorum
„ ejus, quicumque librum illum ha-
„ bet, & legere voluerit, invenire
„ valebit. Hanc etiam relationem
„ & in Scriptura habemus, & qui-
„ dam nostrum etiam viva voce Do-
„ minum Ludovicum Imperatorem
„ Patrem vestrum referre audivi-
„ mus.

Nonne Dallæus in his, quæ ab eo plene haud adferuntur, perspicere debuit, S. Eucherium de sua visione dubitasse? Quippe qui absolute non pronuntiavit, Caroli Corpus suo in *sepulchro* haud repertum iri; sed conditione insinuavit, sua dicta, *si illius corpus ibidem non reperiretur*, vera esse: quod dubium, utpote conditione involutum, Episcopi illi exhibentes, non addiderunt, eandem conditionem, aperto tumulo, absolutam fuisse; sive Caroli Corpus eo loci minime inventum: sed aliter, atque Eucherius dubie protulerat, *Draconem*, utique Dæmone illudente, ibi visum narrarunt, sicut hujusce rei Testes quidam *voce* referebant; quæ etiam ab eo, quod Eucherius vidisse *dicebatur*, distabat. Nihil ergo finxerunt iidem Episcopi; sed visionem illam, in qua dubitatio, atque adeo suspicio suberat, ita repræsentarunt, ut eam reapse

haud

Digitized by Google

haud comprobatam innuerint, filentes de Caroli Martelli corpore nequaquam invento. Hinc fuum inftitutum, quod Ecclefiæ bona non alienanda fpectabat, Caroli Magni Imperatoris edicto vicerunt; ad quod & *relationem* illam, quam *in fcriptura habebant*, & *Ludovici Imperatoris vocem*, quæ res Ecclefiæ non abducendas ob Caroli Magni capitula *referebat*, direxerunt; quum & *relatio* ipfa *fcriptis* mandata, & Ludovici vox, non, ut Dallæus, omiffo allatæ Epiftolæ contextu, argutatur, dubium Caroli Martelli factum, fed eorum *Capitulorum librum*, quem Ludovicus *viva voce* firmabat, proxime attingant.

Præterea illi fuperiorum Epifcoporum reticentiæ S. Bonifacii, qui illius fufpecti monftri teftis appellatur, filentium congruit; qui quidem in Epiftola ad Ethelbertum, quæ a Cenfore producitur, illam, quæ ferebatur, Caroli Martelli licentiam, ac *longæ torfionis*, *verendæque mortis*, pœnas, quibus eam Deus ultus ipfi videbatur, adduxit: Verumtamen Carolum ipfum anima, & corpore damnatum non retulit; quippe quia vifionem, quam defcripfimus, ab Eucherio non profectam probabilius putavit, & ipfius Caroli corpus illo in tumulo neutiquam extare, non vidit: quibus illorum Epifcoporum hacce de re filentium, ac propterea nihil fingentium, narrationem Bonifacius munivit; quem aliunde Dallæus, barbara *Monachalis* voce abufus, incaffum exagitat; nam Martellus Rex in ea *longa torfione*, quæ *febri* quandoque præit, *pacem* cum aliis Principibus facere, *regnumque Filiis fuis* diftribuere valuit, & exinde *febri* ftatim *corripi*, five opprimi, quæ verenda mors eft, facile potuit: quo lethali febri, quæ placidam corporis mortem ab incerto Authore Anonymo narratam excludit, Carolum *correptum* effe, Fredegarius certus Scriptor teftatur. Ac vel Sancti, vel injufti homines fimilibus morbis affecti fuere. Unde Carolus, quamvis nonnullis virtutibus, quas Gregorius II. aliique commendant, ornatus fuerit; nihilofecius omni peccato non caruit. Quibus de caufis Bonifacius nec falfo, nec temere, nec irreverenter indigitat Divina judicia, dum & lethalem Caroli morbum ab aliis certis, & fupparibus Scriptoribus fignificatum vere defcribit; & ifto illum ob violata Ecclefiæ bona, ut quidam dicebant, inflictum effe, probabiliter interpretatur. Quo probabili judicio Bonifacius bene adfectus cum illius morbum eam ob caufam eveniffe putet; nec propterea ipfius Caroli corpus relato in tumulo non inventum dicat; profecto neque ipfa Bonifacii reticentia, neque illorum Epifcoporum narratio, in qua ejufdem rei filentium apparet, mentiuntur: quibufcum non pugnat Ludovici Imperatoris, qui illorum *Capitulorum*, non ejus vifionis Teftis inducitur, laudatio, qua ad Hilduinum fcripfit, quod & Carolus ipfius Proavus animam fuam Deo *fideliter commendaris*; utique culparum fuarum pœnitens; & ifthius corpus in noviffimo *die judicii fufcitandum* fit: cujus corporis refurrectio ante illum diem jam facta ab iifdem Epifcopis, qui idem corpus in tumulo repertum non effe filentio prætereunt, certe non dicitur: quorum Epiftolam anno 858. exaratam Flodoardus Hiftoricus, qui anno 966. fcribebat, *relationem* vocavit, ac de aperto illo Caroli fepulcro talia dixit:

totum

(a) *totum illud sepulchrum vacuum reperitur interius, sicque denigratum, ac si fuisset flammis exustum:* cujus textus priora verba *totum illud sepulchrum interius vacuum repertum* exprimentia haud extant in adlata Episcoporum Epistola. Eam igitur vacuitatem non ex illis Præsulibus, sed ex aliorum hominum post natorum voce, quæ elapso sæculo variari cœperat Flodoardus accepit, & addidit sine illius Epistolæ, quæ tandem vacuitatem non memorat, depravatione. Quod vero S. Eucherius ante Martelli obitum vivere desierit; & Pipinus decimo post sui ipsius Patris mortem anno Regis nomen sumpserit; ac sic ante hunc annum Fulradus Abbas Pipini ut Regis *Capellanus* esse nequaquam potuerit; hæc non ex certis Auctoribus, Fredegario, & Bonifacio, sed ex Anonymis scriptoribus incertis collecta, utique haud constant, sed dubia sunt, ac proinde Eucherii visionem dubiam, non fictitiam, declarant. Quam non, ut Baronius vult, fabulosam, sed incertam, effectuque carentem illi Præsules, & postmodum Gratianus narrarunt, aliis certis Patrum, laudatorumque Imperatorum constitutionibus nixi; quas non uti mendaces ferendas, sed uti veras non convellendas illi Synodi Carisiacæ eodem anno 858. celebratæ Patres, sive relatarum Provinciarum Episcopi adlegata Epistola edixerunt; quam de eo, quod Martelli mortui corpus in ejus tumulo inventum non esset, silentem, & ita nihil confingentem, neque falsissimam Theologi monstrant, & illas, quas Dallæus ex Anonymorum Scriptorum recentiorumque opinione adfert, rationes evellunt.

Omnium autem Monachorum, qui S. Benedicti Ordinem sequuntur, longe præstantissimi Critici sunt ii, qui testantur, ac docent, Privilegium illud, quod Svessionensi S. Medardi Monasterio S. Gregorius (b) Magnus concessisse fertur, in nullis ejusdem Summi Pontificis M. scriptis occurrere, excepto uno Victorino. Antiqui porro ejusdem Ordinis Amanuenses aliqua legitima ipsius Gregorii scripta in Corbejensi, Carnotensi, Lyrinensi, aliisque Bibliothecis servata, in quibus illud privilegium non extat, labente sæculo octavo, atque etiam nono exararunt: quorum proinde sublestam fidem, imposturas, & sexcentos adulterinos Codices Dallæus injuste jactat & falso; quia plures illi Monachi docti ea volumina illo privilegio vacua purius exscripsere: quod si in uno Codice Victorino continetur, non idcirco ex eorumdem Officina multos suppositos libros prodiisse, Dallæus effutire debebat; cum plures alii Codices ab iisdem conscripti eo privilegio careant & suppositione: qua vel unus idem S. Victoris codex ob antiquitatem verisimiliter vacat; ex quo Bellarminus quædam probabilia eruit argumenta; ac Dallæus ipse dicit, quod *privilegium ipsum e suppositorum numero esse videtur:* videtur; ergo id non constat; ac proinde idem privilegium non certe, ut Hæreticus Blondellus arbitratur, S. Gregorio I. adfictum, sed dubium, ac verisimile

(a) *Flod. Hist. Rem. Eccl. lib. II. cap. 12. pag. 86. apud Sirm. in fine Tom. III.*

(b) *Vide tom. II. operum S. Greg. M. a Bened. Monachis editorum pag. 1284. nov. Ven. edit.*

mile apparet: quod cum Dallæus ipse amplectatur, huic tot illæ, tantæque calumniæ adhibendæ non sunt; sed & verisimilitudines, quæ in re dubia innituntur, & legitimæ S. Gregorii Magni lucubrationes, quas illi plures Monachi exscripserunt, considerandæ: quippe qui in illos Codices puros retulerint genuinas ejus Epistolas, quarum in aliquibus S. Doctor certa privilegia aliis Monasteriis concessa, quæ ab illo quadamtenus probabili distinguuntur, clare testatur.

Quum vero librorum, qui antiquorum Patrum genuini sunt fœtus, studiosissimos Criticos, optimos viros, ac religiosissimos Testes habeamus, admiramur, quid sit, cur nobis recentem controversiam, in quam Corporis S. Benedicti translatio vocatur, quæque germanis veterum scriptis non obest, censor obtendat. Neque enim Patriarchæ illius sectatores Pauli Diaconi anno 788. florentis opera legitima, ac testimonia finxere: qui scriptor in suo genuino libro VI. (a) *de Gestis Longobardorum* memoravit, sacra S. Benedicti, & S. Scholasticæ Sororis ejus *ossa*, cum Monasterium Cassinense, in quo jacebant, Longobardorum militum impetu eversum esset, ab Aigulfo Monacho in Gallias traducta fuisse; ac S. Scholasticæ Pignora Cœnomanensibus data; Benedictique ossa in Floriacensi Monasterio deposita; istius autem carnes in pulverem redactas, quas idem Paulus ambigue *corpus* appellat, apud Cassinenses mansisse: (b) qua ex ambiguitate plures Cassinensium, & Floriacensium Monachorum, sacrum illud corpus utrinque sibi vindicantium, dubitationes ortæ sunt. Hinc quidem Zacharias sæculo octavo Pontifex Summus renuntiatus nullum decretum condidit; sed tantum, ut Cassinensibus eæ Sacræ Benedicti reliquiæ restituerentur suis unis litteris hortatus est Gallos, a quibus eas falsas, confictas, & absurdas vocatas fuisse, Dallæus comminiscitur: quippe quas ut Gallis faventes Adrevaldus a censore adlegatus, qui nono sæculo florebat, suo libro singulari, quem ea de re scripsit, quemque posteriorum illorum Monachorum nullus confinxit, attulerit (c). Zachariæ autem Epistola de quibusdam S. Benedicti reliquiis in Gallias allatis, non de toto *corpore*, quod in Cassinensi Monasterio remansisse Paulus Diaconus ambigue quidem denotat, intelligi potest; qua Pauli narratione muniti alii Summi Pontifices rescriptis suis, quæ a nonnullis dejerantibus minus bene ficta dicuntur, Cassinensium opinioni favent: quam Leo Ostiensis in suo legitimo Chronico, quod post annum 108. scripserat, tuitus est: quem, & Cassinenses mendacii, falsitatis, & imposturæ quidam Galli sinistre insimulant; cum hos illi non fraudis, sed sophismatis accusent, & verisimiliter probent, suam assertionem a Paulo Diacono indicatam fuisse, & ita Leonem Ostiensem, qui illam Sacri corporis translationem oppugnavit, mendose locutum non esse. Atque, si verum Dallæus respondere vellet, hæc non erant dicenda, utrosque mentitos tantis ingeniis

(a) *Paul. Diac. lib.* VI. *de Gest. Long. cap.* 2.
(b) *Ib. cap.* 40.

(c) *Vide Mabil. tom.* II. *&* III. *&* IV. *annal. Ben.*

geniis homines, tantaque illius Pauli auctoritate: Ob quam & Floriacenses aliqua S. Benedicti *ossa*, & Cassinenses fere totum ejus *corpus*, sibi probabiliter tribuunt. Qua ex re non pene nihili apparet, & extat, utrosque non, ut Dallæus hic falso causatur, in eorum veterum scriptis, quæ vera sunt, effingendis, sed in proponenda puri facti quæstione, quæ ad antiquorum operum controversiam nihil facit, versatos esse.

Neque etiam iidem Monachi eruditi librum de imitatione Christi Joanni Gersen eorum Alumno, qui sæculo XIV. splenduit, falso adscripsere. Nam in Monasterio Aronensi asservatur vetustus Codex, cui Joannis de Gersen, sive de Gessen, Abbatis Vercellensis, qui ab anno 1230. ad annum 1245. claruerat, nomen præfigitur. Quapropter editionis Venetæ, quæ anno 1501. facta est, curatores quum ei libro Joannis Gersen Abbatis nomen præfixissent, ad Codicem ipsa Joannis manu exaratum provocarunt: quam provocationem illi curatores eidem Joanni aliquantum proximi non edidissent, nisi hic Codex ipsis bene notus esset atque probatus: quorum testificatio eum librum Joannis Gersonis, non Thomæ de Kempis Canonici Regularis, cui a nonnullis Recentioribus tribuitur, fœtum esse eo vincit, quia Thomas iste anno 1471. obiit: cui proinde suppares illi Editores Veneti, anno 1501. clari fuere: qui tamen illum librum non isti Thomæ, sed illi Joanni attribuerunt publica ejus Codicis probatione: qua proinde idem liber Joanni Gerseri rectius adscribitur. Quod si unus Codex ipsius Thomæ manu descriptus, in calce ejusmodi notam habet: *finitus, & completus anno Domini* 1441. *per manus Fratris Thomæ Kemp. in monte S. Agnet. Zvoll.* hæc tamen parva nota clarissimo indicio est, *Thomam* non illius scripti Auctorem, sed descriptorem fuisse: quippe qui in istius Codicis titulo nomen suum eidem operi haud præposuerit; sed hoc *finitum*, & *completum per manus suas*, quæ exscriptorem tantummodo denotant, in calce scripserit; ac falsus sit: quibus ex argumentis colligitur, Naudæum anno 1641. falso narrasse, Romanos Codices, qui Joannis Gersen nomen præferant, a quodam S. Benedicti Alumno vitiatos fuisse: neque enim ille Aronenensis Codex, neque alter ipsius Gerseni manu scriptus ab illorum Monachorum ullo depravati fuere; e quibus Romani Codices, aliique posteriores descripti sunt; præsertim cum ex illo scripto, quod ipse Gersen sua manu exararat, prodierint; & quia illa Venetorum editorum provocatio typis excusa CXL. annis Naudæi, & Frontonis defensiones præcessit: & Joanni Gersen S. Benedicti Monacho librum de imitatione Christi adscripsit: idcirco Naudæi defensiones Venetis multo posteriores; ac Dallæi criminationes, quibus eos Monachos „ ad „ fingendum „ promptos effutit, falsitatis arguuntur: a qua non abludit Launojus, qui *Tabularium Spuriarum Chartarum*, & *Privilegiorum* a Pippino Rege (a) latorum *officinam* Monachis

(a) *Vide Pippini inscriptionem in Historia Eccles. Natal. Alexand. pag.* 165. *tom.* XI. *Ven. edit. an.* 1741.

chis ipsis appinxit. Etenim illa quam in posteriori Differtatione expofuimus, ipfius Pippini Regis donatio, five Privilegium Romano Pontifici affertum, & notum, celebri Monumento Ravennæ extanti firmatur; quod differt a quibufdam fuppofititiis; quæ fi in eo *Tabulario* continentur, certe ab isto Genuino Privilegio diftinguuntur, & ab eruditis commendati Ordinis Monachis ficta non funt. Falfo igitur quafdam litteras, *chartas*, & Privilegia eidem Pippino ab ipfis doctis Religiofis *quondam* fuppofita effe Launojus, & Dallæus pertendunt; cum Anaftafius olim illustris non hæc fictitia, fed alia legitima monumenta exhibeat.

Aliorum quoque mortalium fictiones Dallæus obtrudit, & hæret, dum narrat lepidam quandam Hiftoriam, Rhenani tempore fictam, & ab isto, qui multas veras Germaniæ res defcribit, cum ille qua haud mifcet, rejectam. Num ergo Rhenanus fingendi prurigine laboravit? Quis falfum Dallæi argumentum, quo Hiftoriarum typis excufarum confufionem prætexit, minime intuetur? Non enim Rhenanus nuperus Hiftoricus fuo edito rerum Germanicarum opere pleraque alia Germanorum gefta, quæ ab illa fictitia Hiftoria fecernuntur, commentus eft; fed ea ut ab idoneis pluribus teftibus veri amantiffimis tradita, & quibufcumque fictitiis inconfufa defcripfit.

Hoc modo vir Criticus Mariana, recens Auctor, plura in fuis Hifpanicis Hiftoriis ex probata aliorum fide oftendit; quafdam autem fabulas refpuit; cujus verba ex librorum, quos edidit, ordine, contra quam eos Dallæus adducit, referamus neceffe eft. Siquidem libri x. capite 4. Hiftoriæ de Rebus Hifpaniæ quum multa Hifpanorum, qui Mauris Valentiam eripuerant, gefta narraffet, (a) hoc fubdidit: *Hujus narrationis multo maximam partem inter aniles fabulas quidam ponunt: ipfe etiam multo plura tranfcribo, quam credo; nam neque fubtrahere, quæ ab aliis traduntur, audeo: neque affirmare poffum de quibus dubito*. Tum idem Mariana libri xv. capite vi. quædam ad Philippum Galliæ Regem attinentia expofuit, ac de litteris, quæ is adverfus Bonifacium VIII. fcripfiffe dicebatur, hæc docuit: (b) *Extant alternæ Epiftolæ contumeliofæ, ignominiofæque, veræ ne an falfæ, affirmare non aufim: intereft tamen ad exemplum, ut falfæ effe videantur... Bonifacius Nogareto illudenti, ac minitanti conftantiffime refpondit, Paterini minas nihil fe facere: fueratis Nogareti Avus: Albigenfium impietatis convictus, igneque crematus: ad eam Pontificis vocem Nogareti ferocia concidit.. Sexto decretalium libro edito magnam ab eruditis meritus laudem eft*.

Demum libri xxx. capite 15. Pampelonam a Gallis obfeffam, & quædam Sacrarum Virginum Monafteria, quæ extra eam urbem erant, a Militibus direpta referens; ait: *hæc Galli collegia diripuere, nulla locorum fanctitatis memoria, metuve. (c) Quidam etiam Centurio Germanus, aperto Sacrario Pixidem argenteam prædandi avidus, Euchariftiam, quæ in ea continebatur, in altare im-*

Differt. III. I pius

(a) Mar. Tom. 1. lib. x. cap. iv. pag. 392.
(b) Tom. 11. pag. 168.
(c) Tom. 111. pag. 412.

pius junta & temerarius projecit. Suscepta impietas impune non fuit. Judæ instar diruptis, effusisque visceribus periit. Hæc Nebrissensis fide probabilia, interest publice, ut vera credantur. Quis isthæc, quæso, nesciebat! Verum Dallæus ex Mariana profert, eos, qui fabulis non credunt, favere. Quid iste Historicus scribit? Quod & multa, quæ falsa sunt, *inter fabulas quidam ponat*, & hæc *multo plura* ipse *transcribat*, *quam credat*, & etiam *affirmare non possit*. Videsne igitur, eundem scriptorem contra, atque Dallæus arguatur, *fabulis* non favere; quippe quas *affirmare non possit*. Quin etiam *aniles fabulas*, quas *quidam* scriptores denotabant, ab iis, quæ *alii tradebant*, Mariana distinguit, hisque, non illis, favet: de quibus quamvis *dubitet*; tamen *non affirmans*, neque adeo ipsis *fabulis* suffragans, sed negans ejus esse dubitatio; quod ut adversus Censorem omnia miscentem prosequar, ipse Mariana Hispanicis Historiis multa incredibilia & ab omni veri specie abhorrentia haud inspersit affirmando; sed ab illis rebus, quæ ab aliis *tradebantur*, *aniles fabulas* aperte secrevit: qua quidem secretione omnem suspicionem, ac fraudem occupans, ait, se *multo plura*, *quæ inter fabulas quidam ponebant transcribere*, *quam credere*: verum eo priori loco, in quo ista scribit, non, ut Dallæus ei affingit, dixit, illas incredibiles fabulas & a multis tradi, & publice interesse, ut credantur. Non hæc protulit, non fabulis credidit, non hasce pro veris habendas lectoribus vir ille cordatus proposuit: sed *Aniles fabulas* ab iis, quæ alii *tradebant*, distinxit. Altero autem loco illius *Germani*, qui *Eucharistiam* impie projecerat, viscera dirupta, atque diffusa retulit ex *Nebrissensis*, celebris Historici Hispani, *fide*; quam nisi compertam habuisset, *fidem* non appellasset; frustra ergo Dallæus dicit, res illas Marianæ pariter fuisse compertas; qui tamen easdem ex Nebrissensi, utpote cui *fidem* adjunxerit, compertas habuit: quam ob fidem humanam illa facta probabilia, & *vera*, hoc est, non ficta, & ita a veritate non abhorrentia, atque *credenda* percensuit: ac proinde eadem ut credibilia, ut a Nebrissensi vere tradita, utque a *fabulis*, quibus fidem non tribuebat, distincta conscripsit. Sed ista ad veterum libros nihil attinentia, & a Censore in cassum addita dimittamus.

Videamus autem alternas & R. Pontificis Bonifacii VIII. qui inclinante sæculo XIII. ac sequentis sæculi initiis eminuit, & Philippi Pulchri Galliarum Regis, qui tunc ab illo diffidebat, Epistolas: de quibus Paulus Æmilius Annalium Francorum scriptor eis fere suppar hæc dixit: (a) *Extant Regiæ majestatis, Pontificisque alternæ Epistolæ utrinque missæ, plenæ conviciis, ignominiosæque, si modo veræ, ab ipsisque compositæ, & non confictæ ab aliis, quod similius vero sit.* Hoc igitur, non illud, quod Dallæus occentat, referunt Francorum Annales ab Æmilio editi; cujus judicio Marianæ assertio defenditur. Siquidem eædem litteræ a Petro Flotta, qui quandam brevem Epistolam ad ipsum

(a) Paul. Æm. Annal. Franc. lib. 8.

sum Philippum missam Bonifacio (*a*), suppofuit, ab aliisque turbulentis hominibus, qui eundem Regem incendebant, merito fictæ putantur, atque fuspectæ. Mariana ergo docente intereſt humani generis, ut quæ falſa, fictaque probabiliter cenſentur, id veriſimillimæ ſuppoſitionis videantur habitura, quo dubia a certis diſtinguuntur; quam diſtinctionem Dallæus neglexit. Itaque Æmilius, & Mariana adſtruunt, alternas illas Epiſtolas non ut veras pro falſis, neque ut certas pro dubiis haberi; ſed eam ob cauſam *videri falſas*, ſive putari, ac veriſimilius, non certo, eſſe fictitias: quas Mariana diſcrevit a Sexto decretalium libro; quem Bonifacii VIII. verum, certumque fœtum eſſe, Teſtes ei coævi, ac ſuppares aſſeverant.

Hiſce ex omnibus velut ex aliquot ſpeciminibus ſatis conſtat, Dallæi concluſionem, quam ex ipſis perperam elicit, falſitate laborare. Non enim plerique illi mortales eruditi, præſertim Clerici, ac Monachi ab octavo ad nos uſque ſæculo probabilia, quæ celebrabant, S. Dionyſii Areopagitæ opera aut finxerunt, aut violarunt: neque adeo permulta, non pauca, Patrum ſex prioribus ſæculis illuſtrium volumina extantia, in quibus Dionyſii ejuſdem librorum nulla mentio apparet, nec S. Gregorii Magni, qui ipſos libros dubios voluit, ſcripta aut ſuppoſuerunt, aut vitiarunt. Nam cum, fere quicquid habemus veterum librorum, ab iiſdem Religioſis, ut Dallæus proponit, habeamus; certe iſti in illis plurimis veterum libris, quos exſcribebant, Dionyſii Areopagiticon nomen poſuiſſent, aut in Magni Gregorii operibus dubitationem illam mutaſſent, ſi ipſa veterum volumina confinxiſſent, aut depravaſſent: quoniam id ad eorum Dionyſii operum laudationem, quam iidem Monachi, & Clerici Dallæo arguente extulerunt, maxime conferebat: quod cum haud perpetrarint, jam ex Areopagiticis, quæ circa octavum, & nonum ſæculum latinis litteris celebrata ſunt, Dallæus falſiſſime colligit, plurima præcedentium Patrum volumina iſtis ſæculis aut ſuppoſita eſſe, aut immutata. Adhæc permulta germana veterum ſex prioribus ſæculis clarorum opera duas Martialis Lemovicenſis Epiſcopi Epiſtolas, quas commentitias vicimus, neutiquam referunt; ac propterea a recentioribus quibuſdam Nebulonibus, qui illas Martiali ſuppoſuerunt, nec ficta ſunt, nec violata; utpote quæ iſtorum poſteriorum commenta nequaquam contineant.

Quare cum plurima eorumdem Antiquiorum opera, quæ extant, & ab aliquot ſuppoſititiis, quæ circumferuntur, ſejuncta enitent, demonſtrentur legitima: tum iidem doctiores Religioſi Apoſtolicam enumeratarum Eccleſiarum antiquitatem commenti non ſunt, utpote quam ſcriptores Apoſtolicis temporibus fere proximi in ſuis genuinis voluminibus doceant. Neque etiam ſuperiorum temporum *quidam Monachi*, ac Letaldus, & S. Petrus Damiani fictis prodigiis, vitiiſque ſanctorum indulſere; ſed vera eorum miracula, veraſque hiſtorias

I 2 illis

(*a*) *Lege Breviar. Pagi pag.* 454. *Tom.* 3. *Ven. Edit.*

illis commentitiis inconfusas narrarunt. Nec Synodi Carisiacæ Episcopi visionem S. Eucherio subdiderunt; verum eam ut dubiam, ac non comprobatam repræsentarunt. Nec S. Benedicti sectatores eruditi plura supposititia invexerunt. Nec denique Rhenanus veras Germanorum historias, neque Mariana veras Hispanorum res, verumque Bonifacii VIII. librum finxere; sed hæc vel a falsis, vel a dubiis segregarunt. Non igitur plerique illi mortales, Clerici, & Monachi senserunt, fas esse quædam confingere, & interpolare; eaque facinora ad suæ religionis emolumentum conferre: utpote ad quod aut firmandum vera, aut enucleandum prope vera adduxerint.

Quis tandem non obstupescit? eam namque plurimorum Germanorum operum, quæ Patrum fœtus sunt, veritatem Dallæus amplecti cogitur. Ego enim non tam admirandum puto, quod ipse permulta germana veterum volumina a quibusdam aut supposititiis, aut vitiatis, quæ aliqui effinxerunt, non distinguat; quam quod pauca vera, sinceraque ad nos pervenisse fateatur; quæ talia probari non possunt, nisi ex antiquis testibus, & Codicum M. scriptorum consensu. Atqui complures prisci testes in superioribus hujus operis locis laudati, & multi Codices Consentientes non pauca, sed plurima germana Patrum scripta sincerius exhibent. Ergo Dallæus ut pauca admittit, sic permulta vera, & sincera Patrum scripta nunc exstantia fateri debet; quæ etiam Critici illi aut Catholici, aut Heterodoxi ab ipso recensiti complectuntur, ac probant.

Hanc ob veritatem prætermisi aliqua huc non pertinentia, quæ ibi censor commiscet; qui hoc Hispanis (*a*) adfingit, quod primas omnium rerum, ac disciplinarum origines sibi vindicarint; quodque Mahumedes priora imposturæ suæ tyrocinia in quibusdam Hispaniarum locis posuerit, quæ non modo Patrum libros non spectant, verum etiam falsa sunt: cum doctiores Hispani in Oriente rerum, disciplinarumque humanarum rudimenta collocent; atque Hispaniensibus Mahumedis Sycophantas suarum deceptionum incrementum, quod tamen Dominus diruit, tantum attulisse cognoscant. Exinde censor adducit & quasdam recentiorum (*b*) propositiones mentiendi, fingendique licentiæ errore suffragantes; & aliquas Jansenistarum Epistolas aliis quibusdam adfictas; & nonnulla Romanorum Pontificum statuta condemnantia errantem *Jansenianam doctrinam*; qua relatione censor agnoscere debet, veras esse, non fictas eorumdem Pontificum censuras scriptis mandatas, quibus hi aut illas errantes enuntiationes, aut Jansenii errores in ejus libro extantes damnarunt: quem etiam genuinum ipsius Jansenii fœtum esse, & ab aliquibus illis Epistolis, quas Jansenistæ quidam produxerunt, aliisque suppposuere, distingui, patescit. Postea Dallæus obtrudit Heterodoxi Contii præfationem in jus Canonicum; quam ab ejus opere Censores propter errata abraserunt; ac proscriptas Erasmi notas in Acta Apostolo-

[a] *Dal. de usu Patr. cap. 3. lib. 1. pag. 32.*

(b) *Dall. ib. 41.*

Digitized by Google

stolorum: qui recentiores tamen plura legitima veterum opera fictitiis haud confusa fatentur. Verum in hisce irritis objectationibus Dallæus inferit instrumenta a quodam nupero Notario fabricata; quæ nullibi reperiuntur, & frustra opponuntur; nullus enim Notarius recentior multa germana Patrum volumina, quæ a priscis scriptoribus asseruntur, confinxit.

Sed in hæc iterum Dallæus insilit, & quorumdam recentiorum judicia, quæ de iisdem protulerunt, petit: ad quæ tamen opera genuina ostendenda plurium antiquorum testium consentientium fides adhibetur. Qui si ab aliquo vetere cujusdam opus adlegante dissentiunt, istud sane dubium est: si quis vero antiquus scriptor unum aliquem librum cuidam attribuat, nemine repugnante, is liber istius auctoris proles censetur. Sin omnes sex priorum sæculorum scriptores de nonnullis operibus silent, hæc supposititia merito habentur, haud officiente quacumque Dallæi suspicione, & quocumque aliquorum conflictu; quem non partium studium, sed antiquorum aut auctoritas, aut silentium convellit. Hinc non maxima pars decretalium, quæ veris Romanorum Pontificum, Conciliorum, ac Patrum auctoritatibus constant; sed eorum aliquot supposita sunt, ut quæ a nullo sex priorum sæculorum teste laudentur: cujus argumenti vim Turriani repugnantia, & volumen nequaquam effringunt. Sed & recognitionum libros, qui a Petri, & Appionis disputationibus Clementi I. Romano Pontifici suppositis distingui videntur, ab eodem Clemente quidem editos, sed ab Hæreticis *Ebionitis*, qui multas fabulas in eos intruserunt, depravatos vult S. Epiphanius (a). Quare & Bellarminus de ipsorum auctore merito dubitat; & Baronius illos ut violatos, ac deliriis refertos improbare non dubitat. Atque ut istum causarum ordinem, ac series, quas Dallæus alia deinceps excutienda miscens immutat, conservem; de constitutionum Apostolicarum *libro* eidem Clementi inscripto ipse Epiphanius contra Heterodoxos Audianos, qui ad suum Paschatis cum Judæis celebrandi errorem venditandum easdem constitutiones afferebant, dicit, quod earum (b) *liber*.. *dubiæ apud multos Fidei sit*. Quo testimonio nixi Baronius, ac Petavius illas recte in medio relinquunt; quorum posterior plus firmitatis, ac roboris in Critice tenet, quam nonnulli alii, qui easdem constitutiones pro indubitatis obtrudebant, tenuere. Rursus autem Dallæus Dionysii Areopagitica objicit, quæ quidem haud ficta, sed dubia esse Dionysii volumina, jam ex S. Gregorio Magno cognovimus; cujus auctoritati Baronius, & quidam alii, qui de iis ferme dubitare non desinunt, obsequi debent. Debent quoque censeri dubiæ Abgari Edessenorum Principis ad Jesum, & Jesu ad Abgarum Epistolæ; de quibus Darius Comes, quinto sæculo illustris, habuit dubitationem, cum de ipsis ad S. Augustinum hæc scripsit; (c) *Fertur Satrapa, seu Regis potius cu-* jus-

(a) *S. Epiph. hæres.* 30. *Tom.* 1.
(b) *S. Epiphanius hær.* 70.

(c) *Dar. Com. in Ep. ad Aug. quæ extat inter Augustinianas* 230. *pag.* 858. *Tom.* 11.

jusdam Epistola, Deum Dominum Christum deprecantis, cum intra Judææ regiones adhuc versaretur, quoniam is ad eum ire ac pergere per ægritudinem impediretur, & sanari aliter se posse non crederet, ad se si dignaretur, mundi salus, ac medicina decurreret...: adfuit Deus Regi, sanatus est; &.. per Epistolam non modo salutem ut supplici, sed etiam securitatem, ut Regi, transmisit. Quæ incerta Darii relatio Eusebii, & S. Ephrem Codices, qui *Abgari* nomen præferunt, dubios facit, sive hos ab illis exaratos probabilius non esse significat: secus non Incerti *cujusdam* aut *Satrapæ*, aut *Regis* nomine, nec *ferendi* verbo, quod dubitatione non caret, Comes ille usus fuisset: neque etiam S. Augustinus *nihil a Domino scriptum* esse credibiliter monstrasset, dum hanc causam ita tractavit: (*a*) *Illud prius discutiendum est, quod solet nonnullos movere, cur ipse Dominus nihil scripserit, ut aliis de illo scribentibus necesse sit credere.... Cum ergo quærunt, quare ipse non scripserit, videntur parati fuisse hoc de illo credere, quod de se ipse scripsisset, non quod alii de illo pro suo arbitrio prædicassent:* Quibus S. Doctor probabilius esse innuit, *nihil Dominum scripsisse*, quia alteram opinionem eorum, qui *videntur parati* fuisse, *hoc de illo credere, quod de se ipse scripsisset*, non reprobavit; idque proinde revocavit in dubium. Dubiæ igitur sunt Darii narrationes, dubii Codices illi, dubiæ Abgari, & Jesu Epistolæ: quas etiam in omnibus Eusebii Codicibus inventas non fuisse, Haymo Halberstatensis Episcopus in *Epitome* Historiæ Ecclesiasticæ Eusebii sic denotat: (*b*) *hujus rei prolixiorem in aliquo scripto reperi Historiam, sed nescio, si Apocrypha est, Deus scit...: Dicitur enim, quia de Salvatore nostro adhuc in carne degente, cum de miraculis ejus fœlix ubique fama loqueretur, misit ad eum Abgarus Rex Edessenorum Epistolam.* Hinc quidem Evagrius labente sæculo sexto narravit, (*c*) *Procopium litteris mandasse ea quæ sunt de Edessa, & Abgaro a veteribus commemorata, & quemadmodum Christus ad Abgarum scripserit Epistolam*: sed ille Historicus id dicendo consecutus est, ut illæ Epistolæ a *veteribus* dubie commemoratæ sint; quod dubium Darius ante Evagrium memoriæ propagavit. Atque etiam nobis S. Joannes Damascenus, (*d*) & Synodus septima generalis frustra opponuntur; qui sane imaginis a Christo ad Abgarum probabiliter missæ, non earum Epistolarum meminerunt; quæ proinde incertæ monstrantur. *Librum* vero *de nativitate Sanctæ Mariæ* Christophorus quidam false tribuit S. Hieronymo; (*e*) cujus & stylo, & doctrinæ de S. Josephi castitate, quam contra Helvidium S. Doctor tuetur, liber ille omnino non consonat. Quapropter non modo Baronius, Canus, & Labbæus librum ipsum S. Hieronymo suppositum merito volunt; verum quoque antiquus scriptor Criticus Epistola eidem Operi prefixa, quam etiam nonnul-

(a) *S. Aug. lib. 1. de Consens. Evang. cap. 7.*
(b) *Haym. Halberst. in Epist. cit. libr. 2. cap. 4.*
(c) *Evagr. lib. 4. Hist. Eccl. cap. 26.*
(d) *S. Joan. Damasc. lib. 4. fid. Orth. cap. 17. Syn. VII. act. V.*
(e) *S. Hier. in lib. adv. Helvid. pag. 227. Tom. 2.*

nulli recentes librarii S. Hieronymo subdiderunt, illam suppositionem indicavit; dum eum librum a quodam Seleuco Manichæo editum esse his verbis patefecit: (a) *factum est, ut a Manichæi Discipulo, nomine Seleucio, qui etiam Apostolorum gesta falso sermone conscripsit, hic liber editus, non ædificationi, sed destructioni materiam exhibuerit.*

Hæc, & alia, quæ jam exposuimus, quæve infra describemus, commonstrant, illud vel incertum cujusdam opus, vel alicui suppositum esse; quod aut plerique, aut plures antiqui Testes vel in dubium vocarunt, vel commentitium dixerunt.

Contra vero latissime patet ea ratio, qua aut plerorumque, aut plurium eorum consensus, ex quibus multa legitima Patrum opera certo scimus, continetur: quam legem imprimis ostendit illius Clementis I. Summi Præsulis, quem Dallæus nominavit, prior Epistola ad Corinthios; quam S. Dionysius Corinthiorum Episcopus, S. Irenæus, Eusebius, ac S. Hieronymus plane commendant; quorum duorum posteriorum unus in Historia Ecclesiastica, alter in virorum illustrium libro, Gennadius etiam suo in Catalogo, ac Photius in Bibliotheca quos idem Censor appellat, palam evincunt, pleraque germana Patrum scripta plurium consensu indubitanter esse recepta; quibus ea sane adjunguntur, quæ ab uno, vel ab altero antiquo scriptore, seu coævo, seu suppare, cui veterum nullus repugnavit, laudantur: ad quæ argumenta convellenda non priscis Criticis, non recentioribus Pontificiis, non Cardinali Petronio, qui in veterum testimonio innititur, sed Erasmo antea citato, & ipsi Dallæo, qui ab aliis non minus in hac Critice, quam in hac disputandi methodo patens divortium facit, judiciorum diffidia occurrerunt. In istis censor is positus quo se vertet, quem Critice industriæ cursum tenebit sine veterum authoritatibus? Certe hos Duces inter se consentientes sequi debebit; qui quidem nullis præconceptis opinionibus, in quas Dallæus irrepit, præpediti; ac defecato ingenio, & solertia præditi; Patrumque linguam, atque eruditionem callentes, Ecclesiæ Apostolicæ res, disciplinas, ac traditionem in veris Patrum operibus proxime conspexerunt; hæcque falsis excrementis haud mixta adlegarunt: quæ in Antiquorum testium voluminibus eruditissimus quisque facile cernet, de certis Patrum operibus feret judicium, & multa illa Dallæi verba, quæ antiquitatis Criticen quam minimum spectant, abjiciet: qui si incidat aut in plumbeum & crassum auctorem aliquod scriptum fingentem, expeditius fraudem odorabitur: aut si quoddam elaboratum opus & ingeniosum artificis veteris adspiciat; atque ad prisca testimonia vel adfirmantia, vel silentia, vel dubitantia recurrat; pro certo adfirmare ausim, eum in detegenda vel veritate, vel dolo, vel dubitatione minus sudaturum, quam in convincendis Martini Guerræi imposturis olim laboratum est: qua in re Dallæus unius Dionysii Areopagitæ opus iterum, iterumque occentat: cujus Patris etsi nullum aliud

(a) Tom. xi. op. S. Hier. pag. 280.

aliud ſcriptum ſuperſit, quo cum Areopagitica plura exſtantia conferri poſſint; hæc tamen ab aliquo veteratore confiсta haud videntur: quandoquidem vel Athenagoræ ſecundo ſæculo ſcribentis unum, & alterum opuſculum habemus quæ ſubdita eſſe Dallæus falſe probaret ex eo, quia cum nullo alio opere, quod Athenagoras edidiſſet, comparari nequeant. Nihil igitur ſuppoſita illa collatio juvat Cenſorem; præcipue quod Critices primum a Teſtibus, deinceps a ſtylo pendeat. Athenagoræ autem conſcripta Proclus, & S. Methodius (a) tertio ſæculo clari, ejuſdemque fere æqualis; ac S. Epiphanius quarti ſæculi ſcriptor, ipſique propemodum ſuppar, certius allegant. Atque Areopagitica Dionyſio S. Gregorius Magnus dubitanter adſcribit. Non igitur ex collatione, quæ cum alio Dionyſii Areopagitæ ſcripto haud exſtante fieri nequit, recte deducitur, huic Areopagitica, quæ nunc habemus, ab aliquo vafro homine prudenter ſuppoſita eſſe, eorumque ſtylum, quem idem Gregorius commemorat, Eccleſiaſtica, & modeſta dicendi forma carere. Jam vero plurima SS. Juſtini, Irenæi, Cypriani, Hieronymi, Auguſtini, aliorumque volumina indubitata, ac fictorum, dubiorumque acervo inconfuſa ex Teſtibus demonſtrantur; quorum proinde ſilentio poſteriora ſubdititia vincuntur; ac dehinc ſtyli collatione fraus etiam retegitur. Quibus ex rebus quoque dignoſcitur, Gothicorum ingenio in adumbrandis cujuſpiam veteris, non plerorumque Patrum, quorum multa opera ab illis edita aliunde conſtant, lepore, & elegantia haud fælicius ceſſiſſe. Cum autem quædam pauca veterum opera in vetuſtioribus Codicibus reperta, aliiſque veris illorum voluminibus comparata, horum ſtylum, atque doctrinam penitus referant; iiſque libris, qui a priſcis auctoribus recenſentur, apte reſpondeant; tum illa ab optimo quoque Critico Patribus firmiter aſſeruntur.

Sed quoniam de auctoribus, qui ſex prioribus Eccleſiæ ſæculis emicuerunt, hic loquimur; ac ſuperioribus regulis vicimus, ex plerorumque, aut plurium eorum conſenſu, aut ex unius, alteriuſve teſtificatione, cui repugnavit nemo, certa Patrum volumina oſtendi; & alia, quæ non a pleriſque; ſed a quibuſdam citantur, a nonnullis vero haud ſuſcipiuntur, dubia eſſe; atque ea, quæ aliqui conſtanter rejiciunt, de quibus omnino ſilent, ſuppoſitione haud vacare: hæ leges lucem adferunt ad diluenda Dallæi argumenta; qui tenebras quaſdam rebus, quas pertractamus, in caſſum offundit.

Etenim aliquot ſex priorum ſæculorum ſcriptores aut probabilia quorumdam opera, aut certa, & ſuppoſititiis, quæ ſilentio prætereunt, haud involuta adduxerunt; aut etiam quædam, quæ, ut diximus, Hæretici, aliive artibus ſubdiderant, repudiarunt; ac ſic non modo fraudem non admiſerunt; ſed ne ficta quidem ab aliis adhiberi paſſi non ſunt; neque ea retegere vel

(a) *S. Methodius in excerptis, quæ ſunt apud S. Epiphanium hær. 64. num. xxi. pag. 544. ubi quædam Athenagoræ effata refert ex Procle.*

vel minime potuerunt, vel noluerunt, dolis faventes. Nam quod primum harum causarum exemplum de Sybillarum carminibus, quæ S. Justinus Martyr, Teophilus, & alii a suis Consiliis, ac proposito non aliena putarunt, ob idque ex ipsis illis argumenta contra Ethnicos elicuerunt, Dallæus iterum profert: id antea propulsatum est; quum ea Carmina non falsa, neque a christianis conficta; sed ab Ethnicis ante Christi ortum adlegata fuerint; quæ adlegatio censorem Patrum authoritati sinistre obsistentem repellit.

Deinde quia is plura apocrypha confuse obtrudit, ac repetit; idcirco eorum significatio ex Suida Græcis (a) litteris bene instructo afferenda est; qua vult, Apocryphum opus esse vel *absconditum*, vel *Arcanum*; de cujus auctore aliqui ut sibi non penitus noto aut disputarunt, aut siluerunt.

Unde Apocryphi libri in species tres dividuntur: quarum una eos continet, qui a *Plerisque*, uti relatus Eusebius testatur, admissi, ac traditi; tamen nonnullis, qui de ipsorum authoribus differuerant, plane noti haud fuere; qui libri proinde apocryphi, sive absconditi improprie vocantur; propterea quod *plerique* veteres eorum auctores certo sciverunt. Altera illos complectitur, quos prisci Hæretici erroribus impleverunt, ac sub Apostolorum nominibus, ut antea dictum est, falso evulgarunt; qui proprie Apocryphi libri propterea sunt, quod prisci Heterodoxi falsis Apostolorum titulis se, suosque claros errores reapse impie abdiderint; quam Hæreticorum impietatem præsertim S. Hieronymus, (b) cujus textum ante memoravimus, reprehendit; qui proinde de iis propriis Apocryphis loquitur in Epistola ad Lætam: cui quum sacras veteris Testamenti Scripturas, *Evangelia*, *Apostolorum Acta*, & *Epistolas* legendas, atque *omnia Apocrypha* devitanda proponat, subinde de istis ait: *Sciat non eorum esse, quorum Titulis prænotantur; multaque his admixta vitiosa*: quibus S. Doctor *Apocrypha omnia* adligat ad eos libros, qui & *eorum non sunt*, quorum *titulis prænotantur*, & continent *multa vitiosa*, qualia sunt Hæreticorum *Apocrypha* in *Apostolorum*, quos S. Doctor præmisit, nominibus recondita, *multorumque vitiorum*, falsitatum, errorumque plena. Tertia species Apocryphorum late acceptorum est, in quibus quidam scriptores errata haud posuerunt, sed ipsorum authores verisimiliter tantum ignoti sunt; illaque visa nonnullis antiquis Criticis latius Apocrypha, sive probabiliter abdita.

Quid nunc Dallæus elevat vetustorum testium auctoritatem, atque silentium? quæ vel dubiis, vel suppositis, vel denique certis operibus temere insectatur. Quare hæc, atque etiam alia, quæ sub veterum nomine circumferuntur, ex antiquorum Ecclesiasticorum aut locutione, aut silentio afferenda sunt, atque spectanda.

Barnabæ epistola ab eo primum opponitur; quæ quamvis Apocrypha

(a) *Suid. in Voce.*
(b) *S. Hier. Epist. CVII. ad Læt. pag. 6*. *Tom. 1.*

censeatur; attamen a Clemente Alexandrino, qui labente secundo sæculo claruit, cujusque authoritatem deprimere censor frustra pertendit, adducitur.

Atqui idem Clemens de Fidelibus proficientibus verba faciens, & quemdam illius epistolæ locum adlegans; eandem non certam, sed verisimilem, ac dubiam S. Barnabæ Apostoli prolem fuisse his verbis declarat: (a) εἰκότως οὖν ὁ Ἀπόστολος Βαρνάβας φησίν; quorum prius εἰκότως *merito* nuperus latinus interpres perperam reddit: nam εἶκος, εἴκοτος verisimilis ab εἴκω, *similis sum*, *videor*, ducitur: adverbium ergo εἰκότως *verisimiliter*, non *merito*, illudque Clementis Alexandrini testimonium ita transferendum est: *verisimiliter igitur Apostolus Barnabas inquit*: quo enuntiato Clemens locutionem illam, atque adeo Epistolam a Barnaba haud certo profectam esse, ac verisimilibus, probabilibusve tertiæ speciei Apocryphis adnumerandam voluit; quum *verisimiliter* illum locutum, ac sic scripsisse dixerit. Nonne autem Dallæus Clementem, quem veterum eruditissimum S. Hieronymus meritò appellavit, nequicquam insequitur? ille enim ipsam Barnabæ Epistolam in dubium vocavit, critico quidem judicio, quo dubia a certis distinguuntur, usus, & ita plene locutus: *verisimiliter igitur Barnabas Apostolus*, (b) „ ex qua parte, *inquit*, „ studui paulatim ad vos „ mittere, ut cum Fide vestra per„ fectam etiam habeatis cognitio„ nem. „

Nonnulli objiciunt, Eusebium, cum in Historia Ecclesiastica Sacras novi Testamenti Scripturas recenseat, de aliis nothis scriptis sic loqui: (c) *pro spuriis habendi sunt etiam actus Pauli, & liber Pastoris titulo inscriptus, & revelatio Petri: Barnabæ item Epistola, & quæ dicuntur institutiones Apostolorum*.

Sed ut Eusebii sensa percipiantur, ejus græcus hic textus inspici debet: (d) ἐν τοῖς νόθοις κατατετάχθω καὶ τῶν Παύλου Πράξεων ἡ γραφή, ὅ, τε λεγόμενος Ποιμήν, καὶ ἡ Ἀποκάλυψις Πέτρου, καὶ πρὸς τούτοις ἡ φερομένη Βαρνάβα ἐπιστολή, καὶ τῶν Ἀποστόλων αἱ λεγόμεναι διδαχαί. Quorum aliqua a Valesio, latino illorum verborum interprete, omissa esse miror, quum ea monstrent, Clementi Alexandrino Eusebium haud penitus adversari; qui Historicus id docet tum de Hermæ scripto, quod λεγόμενος *dicitur* Pastoris: tum de Epistola Barnabæ, quæ φερομένη *profertur*: tum denique de prædictis dubiis constitutionibus, quæ λεγόμεναι *dicuntur* Apostolicæ: qui *dicendi*, *proferendi*, sive adlegandi modi non certæ suppositionis, sed verisimilitudinis, quæ alterius dicto, & adlegatione nititur, adsignificant notas: quippe quas non ad Petri Apocalypsin, neque ad Pauli acta, quæ uti certo supposita ab antiquioribus ejiciebantur; sed ad Barnabæ epistolam, & ad reliqua opera dubia, Eusebius apposuit, ac propterea hæc probabilia ab illis certe *spuriis*, quæ a vetustioribus non adlegabantur, sed elidebantur, distincta voluit.

Quocirca S. Hieronymus illas unas litteras ab eodem Barnaba *compositas*,

(a) *Clem. Alex. Strom. lib. II. pag.* 373. *Colon. edit. an.* 1688.
(b) *Clem. Alex. ibid.*

(c) *Euf. Hist. Eccl. lib.* III. *cap.* 25. *pag.* 104. & *seq.*
(d) *Ib. pag.* 105.

Digitized by Google

tas, ac *pertinentes* ad *ædificationem Ecclesiæ verumtamen inter Apocrypha lectas* asseruit: quæ assertio ipsam Epistolam non subdititiam quidem, sed verisimiliter ab illo Apostolo productam, dubiisque Apocryphis adnumeratam indigitat: alioqui a Barnaba composita ipsi S. Doctori visa non esset; qui tamen ait, (*a*) *Barnabas Cyprius, qui & Joseph Levites cum Paulo Gentium Apostolus ordinatus, unam ad ædificationem Ecclesiæ pertinentem Epistolam composuit; quæ inter Apocryphas Scripturas legitur*.

Quare teneamus Clementem Alexandrinum, Eusebium, atque Hieronymum quorum prior Barnabæ Apostolo suppar, ejus testimonium attulit quidem, sed *verisimile*, non indubium, judicavit ea crisi adcurata, qua Eusebius, atque Hieronymus usi, illamque Epistolam, e qua Clemens dictum excerpserat, in Apocrypharum dubiarum loco numerantes; ipsius Clementis, qui illud effatum probabile arbitratus est, auctoritatem imminutam noluerunt.

Contra hæc Samuel Basnagius, aliique dicere solent, illam Epistolam Canonicis Scripturis (*b*) non appositam esse, neque in Ecclesia palam lectitatam, nec ab ea receptam; ac plures locutiones ab Apostolorum doctrinis alienas, plures coactas allegorias, ac Sacrarum Scripturarum enarrationes haud probabiles, puresque fabulas, & falsitates in ea contentas.

Ex eo autem, quod plures illi veteres eam ipsam Epistolam verisimilem esse ac dubiam statuerint, exsistit ratio, qua clare probatur, illam utpote incertam certis Scripturis Apostolicis, quas plerique Patres sine dubio tradiderunt, & Ecclesia recepit, adjungi non posse: quæ tamen ut verisimiliter Catholica secundum Origenem, (*c*) qui eam indubiam non asserit, ac secundum Hieronymum uti *ad Ecclesiæ ædificationem pertinens*, utque adeo late, non strictim Apocrypha, palam in Ecclesia legebatur, ita fit, ut, quanta differentia est in certis Apostolicis litteris, in eaque dubia Barnabæ Epistola, quam ut solum probabilem Ecclesia agnovit; tanta sit in eadem Barnabæ Epistola, quæ Hieronymi tempore lectitabatur, atque in ea, quæ nunc extat, dissimilitudo; nam illa ad *Ecclesiæ ædificationem pertinebat*, ac sic documenta ab Apostolicis doctrinis abhorrentia, coactas allegorias, falsitates, & fabulas, quæ Ecclesiæ ædificationi adversantur minime repræsentabat. Hæc vero, quam modo legimus, quamvis doctrinas ab Apostolorum enuntiatis alienas haud contineat; quoniam nullum in fide erratum exhibet; nihilosecius plura absona, plura falsa, pluraque commentitia, quæ nequaquam ad *Ecclesiæ ædificationem pertinent*, quæque adeo a Critico, docto, & Sancto Hieronymo in unis incertis Barnabæ litteris reperta non sunt, comprehendit; ac propterea post Hieronymi

(a) *S. Hier. in lib. de Vir. ill. cap.* VI. *pag.* 523. *Tom.* II.
[b] *Sam. Basn. annal. tom.* I. *pag.* 516.
[c] *Origenes in suo certo. & inviolato libro* I. *cont. Celsum: atque in libro* III. *de principiis cap.* 2. *quem tamen non integrum, sed depravatum habemus.*

nymi ætatem eadem Epistola multis aucta videtur ac violata.

HERMÆ LIBER.

HErmas quidam a S. Paulo laudatus, libri, (a) qui Pastoris titulo olim innotuit, incertus, & probabilis auctor est, atque itidem fertur.

Id vincit imprimis idem Clemens Alexandrinus a Dallæo injuste læsus: qui quidem antiquissimus scriptor de Ethnicorum Græcorum fabulis, falsisque revelationibus agens, quandam potestatem, quæ falsitates illas depellebat, Hermæ *divine* locutam fuisse narrat: (b) sed, quod Hermas illius libri auctor exstiterit; quodque illa *potestas* huic *divinitus* locuta sit, Clemens probabile, non certum, existimat: quum deinceps eum, qui exponendæ veritatis curam gerit, recto consilio uti, ac loqui debere declaret, ad idque exponendum Hermæ verba afferat, huncque τοῖς πιθανοῖς Ελληνικοῖς, *probabilibus Græcis*, (c) quorum scilicet auctoritas dubia erat, sive de qua contendebatur, apponat. Nam πιθανός *probabilis* oritur a verbo πείθω, quod primitus idem est, ac *suadeo*, atque etiam *contendo*. Quare Hermæ auctoritatem, ejusque adeo librum, *probabilem*, aut verisimilem, inque contentione positum esse Clemens hisce significat: (d) *Oportet autem, ut opinor, eum, qui curam gerit veritatis, non insidiose captoque Consilio, ac cura adhibita dictionem componere, sed conari tantum id, quod vult, quomodo potest, exponere... si quis ergo ejus, quod est simile, contemplandi potestate præditus, cupit in multis Probabilibus, usque Græcis, id, quod verum est, persequi, tanquam sub larvis verum vultum studiose perscrutatus, venabitur: Dicit enim, quæ Hermæ in visione apparuit, potestas:* „ Quod tibi contingit revelari, revelabitur. Propter tuam autem „ ne efferaris sapientiam, dicunt „ Proverbia. In omnibus autem viis „ cognosce ipsam, ut recto tramite „ dirigat vias tuas. „

Tertullianus quoque eodem tempore, quum Catholicus *de Oratione* scriberet, & quosdam, quibus assidendi mos erat adsignata Oratione, haud sequeretur; de eodem Herma, qui istum morem insinuabat, deque ejus libri titulo, dubitanter hæc protulit: (e) *quod adsignata Oratione assidendi mos est quibusdam; non perspicio rationem, nisi si Hermas ille, cujus Scriptura fere Pastor inscribitur; tam facta Oratione non super lectum assedisset, verum aliud quid fecisset, id quoque ad observationem vindicaremus. Utique non. Simpliciter enim & nunc positum est;* Cum adorassem, & assedissem super lectum, *ad ordinem narrationis, non ad instar disciplinæ. Alioquin nusquam erit adorandum, nisi ubi fuerit lectus.*

Idem Scriptor Montanista factus, quamquam mæchos ad pœnitentiam recipiendos non esse errore adfirmavit, quem Sacræ Litteræ præsertim Evangelicæ, ac certa plerorumque Patrum documenta revellunt; tamen Pa-

(a) Cap. 15. Epist. ad Rom.
(b) Clemens Alex. in fine libri 1. stromatum pag. 356.
(c) Sunt græca verba ipsius Clementis in lib. 2. strom. pag. 360.
(d) Clem. Alex. ferme initio ejusdem libri 2. strom. pag. 359. & sequ.
(e) Tertull. de Orat. cap. 12. pag. 134.

Pastoris libro, qui ut probabilis ad suadendam illam pœnitentiam, ac suscipiendam adducebatur, non cedens, pronuntiavit, Hermæ *Scripturam Apocrypham*, & *falsam* a quodam *Concilio*, quod ab eo singillatim non exprimitur, *indicatam* fuisse: incertum ergo ipsi erat illud *Concilium*, incertum ejus *indicium*, incertaque adeo eadem Apocrypha, ac dubitanter falsa Pastoris Scriptura: quæ Tertulliani dubitatio priori ipsius dubio, quod particulis illis, si, ac *fere* de eodem scripto protulerat, correspondet; sic enim in libro de Pudicitia, quem adversus Ecclesiam nequiter scripserat, ait: (*a*) *cederem tibi, si Scriptura Pastoris, quæ sola mæchos amat, Divino instrumento meruisset incidi; si non ab omni Concilio Ecclesiarum etiam vestrarum inter Apocrypha & falsa indicaretur*.

Eusebius, ubi in Historia Ecclesiastica Divinas aliquas Apostolorum litteras pertractavit, de Hermæ libro bene ita disserit: (*b*) *quoniam vero Apostolus Paulus in salutationibus illis, quæ sub finem Epistolæ ad Romanos leguntur, inter cæteros mentionem fecit Hermæ, cujus esse fertur is liber, qui Pastor inscriptus est: sciendum est, eum librum a nonnullis quidem in dubium esse revocatum: quamobrem inter receptæ auctoritatis libros censeri non potest. Ab aliis vero maxime necessarius judicatur; iis præsertim, qui primis religionis nostræ Elementis instituendi sunt, unde etiam in Ecclesiis eum publice legi comperimus, & quosdam ex vetustissimis scriptoribus ipsius testimonio usos fuisse. Atque hæc de discrimine scripturarum, quæ vel receptæ apud omnes auctoritatis, vel Dubiæ, & vacillantis apud Plerosque Fidei habentur, hactenus dicta sunt*.

S. Hieronymus in libro virorum illustrium de Hermæ volumine hæc scripsit: (*c*) *Herman, cujus Apostolus Paulus ad Romanos scribens meminit*, (*d*) Salutate Alyncritum, Phlegonea, Herman, Patroban, Hermen, & qui cum eis fratres sunt, *asserunt auctorem esse libri, qui apellatur* Pastor, *& apud quasdam Græciæ Ecclesias jam publice legitur; revera utilis liber; multique de eo scriptorum veterum usurpavere testimonia: sed apud latinos pene ignotus est*.

Demum hic S. Doctor illa Oseæ, *Cani effusi sunt*, enarrans, ac *Pastoris* (*e*) dictum adducens, hujus dubiam auctoritatem innuit hoc modo: *si ad justum virum, & ad Ecclesiasticum dicitur:* (*f*) Cani hominis sapientia ejus; *quare non dicatur ad iniquum, & ad Hæreticum*, Cani hominis stultitia ejus? *De hac senectute Daniel dicebat* (*g*) *ad Præsbiterum*: inveterate dierum malorum. *Unde & in libro Pastoris* (*si cui tamen placet illius recipere lectionem*) *Hermæ primum videtur Ecclesia Cano Capite, deinde adolescentula, & Sponsa Crinibus adornata. Cumque humilietur superbia Hæreticorum, sive contumelia, quam quotidie faciunt Ecclesiasticis viris, non revertuntur ad Dominum*.

Ita-

(a) *Tertul. in lib. de Pudic. cap.* x. *pag.* 563.
(b) *Eus. lib.* 3. *Hist. Eccl. cap.* 3. *pag.* 80. *& seq.*
(c) *S. Hier. in lib. de Vir. ill. cap.* x. *pag.* 831. *& seqq. Tom.* II.
(d) *ad Rom.* XVI. 14.
(e) *S. Hier. lib.* 2. *Comment. in Oseam capite* VII. *pag.* 75. *Tom.* VI.
(f) *Sap.* IV. 8.
(g) *Dan.* 3. 52.

Itaque Clementi Alexandrino, qui Herman inter probabiles, incertosve Græcos Auctores indicavit, non solum Tertullianus, atque Hieronymus; verum etiam Eusebius assentitur; qui Historicus gravi Critice docet, *librum*, qui *inscriptus est Pastor*, quique *Hermæ esse fertur*, *a nonnullis in dubium revocari*; ac *non inter receptæ auctoritatis libros teneri*; sed *dubiæ fidei haberi apud plerosque: ab aliis* tamen *maxime necessarium iis præsertim, qui primis religionis nostræ Elementis instituendi sunt*, *judicari*. Quæ Eusebii doctrina Dallæum exagitat, dum & Critices legem supra traditam vincit, & eam antiquissimam esse declarat: qua scilicet vetustissimi Critici ostenderunt, eos libros, de quibus plerique veteres non dubitarunt, certos esse; exque adverso illa scripta, quæ *plerique* antiquiores in *dubium vocarunt*, incerta esse ac probabilia: non igitur Dallæus satis constituit, qui sit Criticæ usus, qui ad alicujus libri, *in dubium*, vocati adprobationem ex veterum authoritate, & conditione pendet. Pendet autem vel ex *plerorumque*, vel ex *nonnullorum*, quos Eusebius exprimit, testimonio. Si enim sane plerique, aut aliquot quemdam librum adprobent, tum is certus creditur: siquidem e contrario liber, quem uti probabilem plerique recipiunt, *dubiam* auctoritatem habere videtur; qua probabilitate, ac non adeo fraude, quidam veterum nixi, aliqua opera non certe aliis falso tributa, sed dubitanter Apocrypha, & præterea *utilia* admiserunt: quod probabilitatis Clemens Alexandrinus sectatus, in summo Theologi *eruditissimi*, uti S. Hieronymus adsignificat, splendore fuit, dum Hermæ scriptum non ut certum, sed ut *probabilem* ejus fœtum, utque Apocryphum dubium adduxit: quo *de* opere probabili, & *revera utili scriptorum veterum multos usurpasse testimonia*, S. Hieronymus asserit.

Ac ne illud quidem objiciendum est, quod S. Irenæus eundem Pastoris librum tanquam Canonicam scripturam protulit; Cujus adlegationis enodanda est ratio diligenter. Nam Irenæus nunquam illum librum esse Scripturam Canonicam dixit; sed solum vocavit γραφὴν, quæ vox aut *scriptum*, aut *scripturam* denotat: unde Eusebius in Historia Ecclesiastica certas Divinas scripturas, quas idem Irenæus agnovit, enumerans, ipsum *Pastoris* (*a*) opus appellat γραφὴν; nec tamen id esse certam Sacram Scripturam intelligit; cum antea illud dubiam Scripturam, uti vidimus, declaravit: quocirca dum illas Divinas Scripturas postea ex Irenæo recenset: de isto ait, καὶ Ἀποδέχεται τὴν τοῦ ποιμένος γραφὴν, quod verbum non, ut Valesius vertit, *Pastoris librum ab eo cognitum*, & *magnopere adprobatum*, sed *exceptum* significat; & ita ille Eusebii textus in latinum transferri debet, *atque Irenæus excepit Pastoris scriptum* de iis scilicet Sacris Litteris, quas ut certas dignovit: quæ exceptio & ex illo verbo Ἀποδέχομαι, quod primum excipere sonat, & ex Eusebio, qui *Pastoris* scriptum vocat γραφὴν, & tamen ipsum ut dubiam Scripturam profert, ostenditur, quamobrem Irenæi adlegatio de Pastoris *scripto* acci-

(a) *Eus. lib. v. Hist. Eccl. cap.* viii. *pag* 189.

accipienda est & explicanda; quod videlicet sit probabilis, non certa Scriptura, quam ut *dubiam*, ac non certo Apocrypham *Plerique* veteres adnotarunt, ipso Eusebio referente.

Atque etiam Origenes in Numeros homilia VIII. quarum homiliarum Latinam versionem a Ruffino auctam, & vitiatam dumtaxat habemus, de *die peccati* in *annum pœnæ reputato* agit, citatque Pastoris libellum veluti dubiam Scripturam; quam proinde incertam, ac dubitanter Apocrypham, (*a*)& utilem aliis scriptis, quæ tamen aut non integra, aut ab eodem Ruffino in latinum translata, & depravata sunt insinuat. Et vero illa in Homilia hæc scribit: *quod autem dies peccati in annum pœnæ reputetur, non solum in hoc libro, in quo nihil omnino est quod dubitari possit, ostenditur; sed & in libello Pastoris, si cui tamen Scriptura illa recipienda videtur, similia dissignantur*,

Præterea S. Athanasius in dubio libro de Incarnatione Verbi *utilissimum Pastoris librum*, non Divinam Scripturam, appellavit; cum Deum esse unum explicuit his verbis: *Divina doctrina, & christiana fides est per Moysen quidem . . . per utilissimum vero Pastoris librum*. „ Primum omnium credo, quod „ unus est Deus. „

Quid autem loquar de Decreto, quod Gelasii esse dicitur? cujus mens, ac Sententia fuit, certas Scripturas Sacras dinumerare; ex harumque Canone alios libros expungere. Cum itaque *librum, qui appellatur Pastoris, Apocryphum* declararit; tum illum in Sacrarum Litterarum numeros haud relatum, sed probabiliter Apocryphum voluit, ob quas res S. Prosper Aquitanus (*b*) quoddam *Pastoris* dictum, quod Cassianus (*c*) Præsbiter Massiliensis attulerat, *nullius authoritatis testimonium* esse pronuntiavit; non quod authoritate probabili, quam ei antiquiores tribuerunt, careret; sed quia Latinis pene ignotus esset, ac non modo Canonica Sacræ Scripturæ, verum etiam certa scriptoris *authoritate* haud frueretur.

Prætereo, quod liber Carminis contra Marcionem Tertuliano suppositus, & liber Pontificalis S. Damaso R. Pontifici adfictus, Hermen Fratrem S. Pii I. Summi Præsulis, qui post medium sæculum secundum claruit, appellant: qui libri suppo-sititii vel Hermen quendam cum Herma confundunt, vel utpote nothi, in eo falsi sunt: quandoquidem certi, ac probati Authores, Eusebius, ac S. Hieronymus, Hermam S. Pauli Apostoli Discipulum, qui illius operis scriptor ferebatur, quique centum annis illi Pontifici Pio I. præiverat, dicunt.

Demum voces quædam in Pastoris libro, cujus non integrum Græcum textum, sed aliqua Græca fragmenta, & Latinam versionem a Ruffino (ut aliqui volunt,) adornatam habemus, continentur; quæ cum certis plurium Patrum auctoritatibus veræ monstrentur, iniquius ab errante Riveto pelluntur: Alia vere eodem in opere depravata, ipsique addi-

(a) *Orig. hom. 8. in num. pag. 294. Tom. 11. Paris. edit. an. 1734. et lib. 14. Per. & Poilec. cap. 1.*

(b) *S. Prosp. in lib. cont. Collat. cap. XIII. pag. 197. noviss. Ven. edit.*

(c) *Cassianus quendam Pastoris locum Pelagiano errori obnoxium ex versione latina citaverat, quem solum S. Prosper reprobare videtur.*

addita apparent; nam, cum S. Hieronymus (*a*) Commentario in Habachuc quoddam *Apocryphum* opus, non Pastoris librum, ineptiis refertum asseveret; quia animalibus reptantibus Angelum nomine *Tyrium* præesse dicit; (*b*) hoc dictum ad illum Hermæ locum referri videtur; ubi de *Hegrino* belluarum Angelo verba facit: quem tamen locum corruptum vult Cotelerius. (*c*) Quocirca etiam alia Pastoris loca, quæ in Latina versione leguntur, quæque Novatiani, aliorumque Hæreticorum erroribus favere videtur, aut violata, aut ei adjuncta, ac sic dimittenda putamus: præcipue quod Latina Pastoris editio hoc exhibeat, *aliam pœnitentiam non esse, nisi illam, cum in aquam descendimus*: quæ si Tertullianus in illo libro vidisset, factus Hæreticus haud reprehendisset dubiam Hermæ Scripturam, *quæ sola Mœchos amat*; qui post baptismum in Mœchiæ peccata lapsi, & dehinc pœnitentes ab Herma amabantur: quo amore is post baptismum aliam pœnitentiam fatebatur, non excludebat; quam tamen priora illa verba voce *Nisi* excludunt: quam particulam excludentem aliis vocibus adjunctam Tertullianus in eo opere haud legit; quia post baptismum aliam pœnitentiam a Pastore agnitam significavit, ac proinde latinus interpres priorem enuntiationem errantem de suo addidit versioni. At recentiores obtendunt, prius illud enuntiatum a Clemente Alexandrino explicari. Hic tamen aliam infidelium, qui baptisma petunt, & aliam Fidelium, qui peccarunt, pœnitentiam expositurus, primitus Pastoris dictum ab eo, quod Latinus Interpres effinxit, diversum sic affert: *idem autem dicit etiam*. „ Pœnitentiam esse magnam „ intelligentiam. (*d*) Qui autem „ eorum, quæ fecit, ducitur pœ„ nitentia, οὐκέτι ποιεῖ, ἢ λέγει, non „ adhuc facit, vel dicit; propter ea „ autem, quæ peccavit, torquens „ animam, bona facit. „ *Remissio ergo peccatorum differt a pœnitentia: ambo autem ea ostendit in nostra potestate: eum ergo, qui accepit remissionem peccatorum, non oportet amplius peccare, nempe in prima*, καὶ μόνῃ *& singulari peccatorum pœnitentia: ea autem fuerit eorum, quæ prius fuerunt in Gentili, & prima vita; ea, inquam, quæ fuit in ignorantia: jam iis, qui vocati sunt, proponitur pœnitentia, expurgans locum animæ a peccatis, ut fides fundetur. Cum autem sit Dominus cognitor cordium, & futura præsciat, facilem hominis mutationem, & ad revertendum propensionem, & Diaboli calliditatem ab alto vidit a principio .... Dedit ergo, cum sit multæ misericordiæ, iis etiam, qui Fide in aliquod peccatum incidunt*, Μετάνοιαν δευτέραν, *pœnitentiam secundam*.

Habes in iis recta Hermæ dicta a Clemente enodata, quæ voces illas *aliam*, aut *secundam pœnitentiam* excludentes minime præseferunt, atque adeo quæ a verbis, quibus Latinus Pastoris interpres abusus est, maxime distant, & vacant errore: quo etiam carere vera Hermæ verba Clemens

(a) *S. Hier. Comment. in Hab. ad cap. 1. v. 14. Tom.*

(b) *Past. lib. 1. cap. iv. §. 2.*

(c) *Cotel. in append. pag. 45. & sequ.*

(d) *Clem. Alex. lib. 2. strom. pag. 385.*

mens indigitat; qui ex eo duas *pœnitentias*, *primam*, & *secundam*, expresse distinguit, ac docet; cujus proinde vox Hermæ non *primam*, & *solam*, pœnitentiam, quæ *secundam* excludit, & Clementis contextui adversatur; sed *singularem*; quæ etiam a nomine Ἕνος denotatur, significat.

Adgnoscimus igitur, a Clemente Alexandrino, aliisque Patribus Hermam uti probabilem prædicti libri auctorem adductum; ejusque dicta ab iisdem Patribus Cassiano antiquioribus adlegata, & Græca fragmenta vera esse, erratisque vacare; quibus Latina ipsius Pastoris versio non omnino, sed quadamtenus scatere videtur.

Epistolæ Senecæ ad Paulum, & Pauli ad Senecam.

EPistolas, quas Lucius Annæus Seneca Cordubensis ad Paulum, & Paulus ad eum scripsisse feruntur, S. Hieronymus non, ut Dallæus argutatur, agnovit, atque probavit; sed *utrasque* suspectas voluit; dummodo hujus verba, quæ de Philone Judæo proxime ante Senecam fecerat, cum iis, quæ statim de eodem Seneca scripsit, conferantur: nam Philonis, qui Christi fidem amplexus non est, legitimum, ac non suspiciosum opus ita tractavit: (*a*) *Philo Judæus, natione Alexandrinus, de genere Sacerdotum, idcirco a nobis inter Scriptores Ecclesiasticos ponitur, quia librum de prima Marci Evangelistæ apud Alexandriam scribens Ecclesia, in nostrorum laude versatus est*. Deinceps vero de illis Senecæ, & Pauli litteris suspiciose hæc dixit, (*b*) *Lucius Annæus Seneca Cordubensis, Sotionis stoici discipulus, & Patruus Lucani Poetæ, continentissimæ vitæ fuit; Quem non ponerem in Catalogo tractatorum*, (*c*) *nisi me illæ Epistolæ provocarent, quæ leguntur a plurimis, Pauli ad Senecam, & Senecæ ad Paulum*.

Jam cernis Hieronymum de Philone, ac de Seneca, qui etiam Christianam Religionem amplexatus non est, diverse locutum: quorum prior *inter scriptores Ecclesiasticos* ab eo absolute ponitur, utpote eum librum *scribens*; at vero Senecam in *tractatorum* loco *non ponere* cogitabat, atque adeo *Epistolas* illas in suspicionem *vocabat*; quandoquidem testatur, quod *Senecam in Catalogo Tractatorum non poneret*, nisi ipsum illæ *Epistolæ provocarent*, *quæ leguntur a plurimis*; quas proinde vulgo lectas, non genuinas, neque a Seneca ad Paulum, neque a Paulo ad Senecam vere scriptas innuit, ac sic suspectas sibi visas esse significat.

Ac S. Augustinus Hieronymo coævus primum in Epistola ad Macedonium (*d*) eas Senecæ ad Paulum, & Pauli ad Senecam litteras non refert, nisi ut *leguntur*; ac proinde ipsas non ut certe ab iis scriptas, sed (ut) vulgo *lectas* adducit: qui subinde in libris de Civitate Dei dubitanter de illis Epistolis loquitur, cum monstret, a Seneca (*e*) Chri-

(*a*) *S. Hier. in lib. Vir. ill. cap. xi. pag.* 834.
(*b*) *S. Hier. ib. cap. xii. pag.* 835.
(*c*) *Ita legit præstantissimus, ac ceteris præferendus Codex Vaticanus, olim Reginæ, n.* 342.

[*d*] *S. Aug. Epist.* 153. *ad Maced. num.* 14. *pag.* 529. *Tom.* 2.
[*e*] *Idem de Civitate Dei lib. vi. cap. x. pag.* 160. *Tom. vii.*

Christianos nusquam commemoratos fuisse, *ne vel laudaret contra suæ Patriæ veterem consuetudinem, vel reprehenderet contra propriam forsitan voluntatem*; quæ Augustini verba quidam Critici de operibus, aut de litteris, quas ad Ethnicos Seneca misit, frustra interpretantur; nam suæ *voluntatis* inclinationem, qua in Christianos propenderet, Seneca litteris ad Paulum datis, quæ circumferuntur, solum patefecit: atqui de hac ejus voluntate Augustinus dubitavit: ergo & de Epistolis ad Paulum scriptis, quibus ea Senecæ voluntas significatur, S. Doctor ambegit.

Hæ igitur Epistolæ suspectæ sunt, ac dubiæ; quæ quidem styli confusione ab indubiis illorum monumentis differre videntur; verum non omnino suppositæ apparent: ob idque eas Patres, quorum judicium Baronius, ac Bellarminus non aspernantur, in medio reliquerunt, ipsarumque aliqua dicta verisimiliter utilia, & non omnino falsa adlegarunt, atque easdem ut nothas infamare merito noluerunt, quoniam tantummodo dubiæ videbantur: quibus etiam moverunt suspicionem, ideoque haud timuerunt, ne aut Senecam, a quo Christianos non memoratos palam ajebant, aut *plurimorum*, a quibus eæ litteræ *legebantur*, invidiam in se provocarent; quia ipsis certam authoritatem diserte abrogarunt. Alios autem libros contra Ruffinum, (a) quem iterum, iterumque Dallæus provocat, suppositos esse de industria ostenderunt: alios vero tales, uti sæpius protulimus, declararunt, sola eorum falsitate commoti.

De Prochoro, Abdia Babylonico, & Lino.

SUb nomine Prochori, qui unus e primis septem Diaconis fuit, extat quædam Historia de vita, miraculis, & assumptione S. Joannis Apostoli: quæ Historia eidem Prochoro, qui ipsius Joannis Discipulus fertur, falso est adscripta; quia & multa fabulis similia continet, & a nullo antiquiorum, qui de ejusdem Apostoli veris gestis, sacrisque Scripturis egerunt, laudatur.

Abdias, ut quidam volunt, Apostolorum Discipulus, ab iisque Babyloniorum constitutus Episcopus; Hebraico idiomate Apostolorum vitas scripsisse dicitur; quas Eutropius ejus discipulus ex Hebræo in Græcum, & Julius Africanus ex Græco in Latinum transtulerit: cujus tamen posterioris opera Eusebius, & S. Hieronymus recensentes non modo illius lucubrationis nullam mentionem fecerunt; verum etiam ipsum Julium græce, non latine, scripsisse monstrarunt: ad hæc nullam illarum vitarum, hujusque versionis memoriam antiqui omnes sex sæculorum priorum scriptores retulerunt: quo generali silentio eorumdem operum suppositio aperte probatur. Neque objici potest, Athænagoræ volumina ab eorum veterum nemine memorata fuisse: hoc namque falsum est; cum S. Methodius tertio sæculo illustris, (b) & Athenagora ferme coævus, atque etiam (c) Photius, criticus no-

[a] *Vide posteriorem Dissertationem.*
[b] *Videf. Epiph.*

[c] *Phot. Cod.* 224.

Digitized by Google

noni sæculi scriptor, ipsius scripta adlegarint. Quapropter, quoniam ex adverso eorumdem veterum nullus ipsas vitas, earumque latinam versionem memoravit; idcirco eæ fictione non carent; quam ipsarum auctor confirmat; quippe qui finxerit, ab se Christum in carne visum esse; quod commentum est manifestum: nam idem scriptor Hegesippum, & Julium Africanum, qui Christo multo posteriores fuere, adlegavit. Post hos itaque auctor ille vitam egit, ac propterea Dominum in carne vidisse non potuit. Unde ejus liber mendaciis refertus evincitur atque confictus.

S. Linus, natione, ut fertur, Hetruscus, Patria Volaterranus, certe Testibus plerisque veteribus post S. Petri Apostolorum Principis Martyrium Romanæ Ecclesiæ Episcopatum adeptus est; cui Pontifici summo Libelli duo de SS. *Petri*, & *Pauli Passione* falso sunt attributi: quippe quorum nullus antiquus scriptor meminit. Quocirca S. Ambrosius quarto sæculo celebris Ecclesiæ Doctor quædam, quæ Tillemontio probantur, quæque etiam illis in libris continentur, narravit sine ulla eorum adlegatione: quod indicio est, eosdem libellos a S. Lino non productos, nec antiquis Patribus plane notos, sed illi summo Præsuli postmodum adfictos fuisse. Hinc iidem libelli non omnia, sed aliqua falsa describunt; e quibus posterioribus id unum profero, S. Petri necem Neroni Imperatori displicuisse: quæ narratio antiquioribus Ecclesiasticis, qui S. Petri Martyrium Neronis jussu effectum aut volunt, aut scribunt, profecto repugnat: quæ repugnantia pariter eorumdem libellorum, ut qui vetustiorum narrationibus contraria quæpiam depingant, & suppositionem demonstrat & novitatem.

Alia veterum a Dallæo citatorum volumina proferuntur.

Minutius Felix, qui tertio sæculo ineunte Romæ Advocatus erat, librum inscriptum Octavium, quo Christianam religionem tueretur, exaravit: quem librum et Lactantius (a) eodem tertio sæculo inclinante clarus, & S. Hieronymus sine dubio asseruere.

Hieronymus vero ab eo certo Minutii libro alium dubium secrevit illis verbis supra relatis: *Minutius Felix.... scripsit Dialogum..... qui Octavius inscribitur. Sed & alius sub nomine ejus fertur de fato, qui .... non mihi videtur cum superioris libri stylo convenire*. Cui distinctioni respondent ea, quæ S. Doctor de iisdem libris ad Magnum sic scripsit: (b) *Minutius Felix Causidicus Romani fori in libro, cui titulus Octavius est, & in altero contra Mathematicos (si tamen Inscriptio non mentitur auctorem) quid gentilium Scripturarum dimisit intactum?*

Hanc probabilem styli differentiam, quæ in utroque opere cernitur, S. Hieronymus docuit, cujus sententia eo vincitur, quod prioris libri stylus elegantior, & fusior, quam ille, qui in posteriore spectatur, appareat: qua de causa poste-

[a] Lact. lib. 1. Div. Inst. cap. 11. S. Hier. in Catal. etc.

[b] S. Hier. Ep. 70. etc. ad Mag. pag. 427. Tom. 1.

riorem librum esse dubium Minutii foetum, & a priore certo distinctum, idem S. Doctor observavit; utpote cui posterior *cum superioribus libri stylo non convenire visus sit*. . .

Quid nunc a Dallaeo logicam, & Criticem devitante faciendum putes? nihil sane. Ipse enim S. Hieronymi exemplis, quibus eas Senecae Epistolas, istumque alterum Minutii librum *in medio reliquit*, abusus, obtrudit, Patribus facultates, & multa ad hanc operam, qua suppositorum voluminum fraudes, & incerti libri noscuntur, necessaria defuisse: quae oppositio tum logicae, & Criticae adversatur, quibus facultatibus S. Hieronymus praeditus, legitima opera a nothis, vera a falsis, certa a dubiis, quae artes illae distinguunt, secrevit: tum etiam Joannis Clerici, (*a*) qui suum Heterodoxum Dallaeum haud respuit, opponitur *Aphorismo*, quo ille, sicuti retulimus, ait: „ quae diserte sunt „ rejecta, aut in dubium revocata „ ab antiquioribus, ea ... vix ad„ mitti queunt. Hujus Aphorismi „ veritas per se manifesta est: pro„ pioribus enim aetati scriptoris no„ tiores esse ejus foetus genuini de„ buerunt, quam postea natis. „ Natus igitur multo post Dallaeus, & a Minutii, atque Hieronymi aetatibus admodum distans; tam magis nimium, quam magis parum offendit, dum antiquioribus Patribus, ac praecipue Hieronymo, qui Minutio propior extitit, ac certum ejus opus a dubio seclusit, Criticen immerito negat, & plura adversus eam Hieronymi Crisin, quae a Censore ipso exhibetur, exaggerat; qua profecto S. Doctor, haud timuit, ne illi dubio operi hanc probabilem, justamque Censuram, *si inscriptio non mentitur auctorem*, inureret. Unde fit, ut S. Hieronymus existimarit, nihil laboris, nihil molestiae, nihil odii, quamvis ille liber non noxius quidem, sed incertus, aliave dubia opera quorumdam manibus tererentur, sibi pavendum.

Legitimi Origenis libri primo quoque tempore. cunctis comperti ita fuere, ut Eusebius, ac S. Hieronymus a nemine concitati eos recensuerint: quorum scriptorum uterque, vel pleraque genuina caeterorum veterum scripta, quae ab initio satis constiterant, ut certa retulit, vel etiam quaedam aliis subdita ejecit, nullo litem faciente. Cum autem S. Hieronymus Ruffino amico suo justam litem eo intendisset, quod iste libros Periarchum, qui, nemine antea dubitante, certi Origenis foetus erant, latina sua versione depravarit, ab eaque errores in ipsis libris graece scriptis contentos abstulerit: tum Hieronymus ipse non amicitiae dissolvendae causa, sed errorum Origenis ostendendorum ergo plura conscripsit; quorum uno Origenis Apologiam S. Martyri Pamphilo adfictam esse tuitus est. His, & talibus rationibus adductus, nihil malo, quam Dallaei argutationes elisas relinquere. Nam genuinorum operum, quae Patrum sunt, veritas, & nothorum plurium librorum fraus, primo quoque tempore apparuerunt; quorum posteriorum, si qui postea effecti fuere, cum his pleraque legitima Patrum opera, antea existentia, certe confusa non sunt.

Quo-

(*a*) Joan. Cler. Art. Crit. Part. 3. §. 2. cap. 3. pag. 253. volum. II.

Digitized by Google

Quocirca extant & plura certa, bona, ac nothis inconfusa Origenis græca Scripta, & ejus genuini quidem, at mali principiorum libri a Ruffino in latinum perperam versi: qua de versione, non de legitimo illorum ortu, controversia inter Ruffinum ipsum, ac S. Hieronymum fuit. Hic porro ad eam depravationem, ad aliaque illius commenta opprimenda solam causam ostendendorum Origenis errorum, qui in græcis eorumdem principiorum codicibus erant, habuit, non odio, non invidia, non molestia, sed animi religione excitatus; qua scilicet eosdem libros erranti infamiæ hærentes, quibus Origenes magna pericula conflarat, manifesto exagitaret, cunctisque illorum errores vitandos proponeret. Quare Dallæus falso advertit; quod „ nunquam Hieronymus in retegendis Ruffini commentis, & suppositionibus operam posuisset, ni alia de causa ab ipso alienatus fuisset: „ quam causam aliam ab ea, quam diximus, falsam esse Hieronymus monuit; qui a Ruffino solam ob fidem recessit: quia de ejus figmentis, atque adulterina versione, cum primo tempore ea comparuissent, statim admonitus; adversus eorum Origenis librorum, qui gravissima pericula intendebant, abusum non levi negotio, nec malevolentiæ provocandæ causa, sed eorumdem Origenis errorum patefaciendorum, fugiendorumque studio insurrexit; eaque principiorum volumina ab Origene ipso nata, errorefque istis ab eo insertos fuisse inde vicit, quod idem Origenes Epistola sua, quam in posteriori Dissertatione adduximus, fassus sit, in illis suis Periarchon libris errores inesse. Hac igitur confessione, ac justa Critice Hieronymus motus, non alia de causa a Ruffino abalienatus, illam depravatam versionem græco illorum librorum Origenis textu monstravit; & quædam scripta aliis veteribus vel supposita, vel corrupta, quæ Ruffinus ad se defendendum afferebat, quæque eo loci exhibuimus, diruit.

Nonne modo adspicitur, Dallæi sententias, incommoda, & animadversiones, quibus, eas fraudes primo quoque tempore haud notas, & bonos, ac genuinos libros pene oppressos, generatim vult falsitate scatere? Nam Ruffini commenta, & suppositiones tum, cum primum erumperent, Hieronymus novit, atque rescidit; nec tamen aut bonos, & genuinos Origenis libros, in quibus errata non continebantur, aut mala illa græca principiorum scripta erroris plena pene oppressit, sed adulterinam Ruffini versionem, & figmenta, atque Origenis errores oppugnavit.

Atque etiam Dallæus iisdem suis notationibus *patere dicit*, de Titulo libri, ejusque natalibus, non satis constare, quamvis sub eodem nomine apud unum, aut alterum veterum citatus occurrat. Num ergo, inquam, de græcis Periarchon libris, eorumque Titulo, & ortu, quem ab Origene ipso habuerunt, non satis liquet? Ecquis falsam Censoris consecutionem non cernit? illi enim libri ut certi & ab eodem Origene, & S. Hieronymo, & a Ruffino, & ab aliis antiquioribus in medium sub ipsius nomine prolati fuere. Falsa igitur est Censoris animadversio, atque Conclusio: qua proinde Sibyllarum oracula ab Justino Martyre, a Theophilo, & Clemente Alexandrino præcise adsigata

incas-

incassum involvit, ac petit; præsertim cum eadem ab Ethnicis Christianismo antiquioribus, atque etiam a S. Hieronymo, uti monstravimus, adducta sint atque probata, nihil officientibus Blondelli Hæretici, aliorumque argutationibus.

Rursum Dallæus in mentem revocat Clementem I. R. Pontificem; cujus opere vero, ac certo illius argumenta prostrantur. Et quidem ex S. Epiphanio, cui eruditiorum nemo repugnat, Recognitionum libri sunt dubii ipsius Clementis fœtus; quos Philocalia Origenis incerta proles appellat; quosque ab omnibus proscriptos Baronius arbitratur, non quo certe spurii, ac non dubii sint; sed quod ab Hæreticis depravati olim fuerint, erratoque referti, quemadmodum idem Epiphanius declarat. Præterea iidem Heterodoxi Disputationes Petri, & Appionis ipsi Clementi procuidubio supposuerunt, testibus Eusebio, ac S. Hieronymo. Quid ista! dabitne Censor, aut eas Hæreticorum fraudes primo quoque tempore non apparuisse, aut cum tempore bonam, ac genuinam ejusdem Clementis Epistolam primam ad Corinthios oppressam esse, aut de hujus titulo, ac natalibus, cum eadem apud veteres adlegata occurrat, non satis constare? Hæc vero non concedet: quoniam ipsa tum Eusebio, qui illos Hæreticorum dolos sua ætate prodiisse, ac legitimam Clementis Epistolam a Patribus adprobatam, ac non adeo sensim oppressam testatus est, tum Epiphanio illas eorumdem nebulonum fraudes recentes aperienti, tum denique S. Hieronymo Eusebium sectanti opponuntur. Censor itaque falso præsumit, ac deinceps ex recognitionum libris obiicit, quod & voluminum adulterinorum fraudes primis temporibus haud comparuerint, & genuina scripta fere abscondita sint, & de horum natalibus non satis pateat: quandoquidem Eusebius suppositiones illas suo ævo ortas retexit, & non modo unas illas certas Clementis litteras, verum etiam multa legitima veterum opera non oppressit, sed aperte recensuit; quorum aliquot S. Epiphanius, ac S. Hieronymus exhibuerunt, fraudibus eliminatis.

Quare cum unus, vel alter veterum opus aliquod ut genuinum adducat, eique antiquorum nullus obsistat, satis de operis natali constat: quod si aliud scriptum a quodam antiquo in dubitationem vocari videatur: tum istud est dubium, pleraque autem legitima veterum opera neque ab Eusebio, nec ab Epiphanio, nec ab Hieronymo, in dubium vocata, sed ut certa adlata sunt prius, quam Africanorum disputationes de Canonibus a Zosimo Pontifice adlegatis orirentur. Ergo ex hisce Disceptationibus etiam falso Dallæus colligit, generatim bonos, ac genuinos libros oppressos fuisse. Et vero unum Concilii Sardicensis Canonem velut Nicænum ex usu Zosimus primum attulit; & alterum inde a Sardicensi Synodo dictum expressit; ac proinde nullas fraudes adstruxit. Ac licet quidam Africani Præsules de Zosimi allegationibus acriter disceptarint; tamen ea, quæ confecuta fuerant, nulli fraudem tulerunt; sed S. Augustino optima, ac legitima visa sunt & credita Romanorum Pontificum Zosimi successorum judicia, quæ ii de similibus causis jam prænarratis fecerunt; quorum tempore, aut certe quinto sæculo idem Augustinus complura præceden-

cedentium Patrum cum Latinorum, tum Græcorum opera, quæ etiam Eusebius, & S. Hieronymus palam dinumerarant, adversus Pelagianorum errores adduxit, nec unquam eorumdem germanorum voluminum adlegationes retractavit. Quapropter illa Africanorum Præsulum controversia non obstitit, quominus multi boni, ac genuini veterum libri, quos illi viri maximis ingeniis præditi celebrarunt, valerent: quorum librorum antiquitas quo propius aberat ab ea disceptatione; hoc melius ipsorum ortus, ac veritatem, quæ nunquam oppressa est, dum semper viguit, plane ostendebat, consentientibus Patribus.

Hoc igitur sæculum quintum non minus fœlix fuit & illustre, quam sæculum tertium, in quo S. Cyprianus Episcopus Carthaginensis, ac Martyr effloruit; Cujus plura opera vera Pontius ejus Diaconus, S. Hieronymus, & S. Augustinus eidem Martyri suppares, ac S. Fulgentius horum ætatum sequens, laudarunt: qui tamen librum *de duodecim abusionibus* sæculi nec attulerunt, nec indicarunt; quorum proinde silentium, & permagna styli diversitas, quæ inter ipsum, & germana Cypriani volumina habetur, atque etiam Sacrarum Scripturarum ex Sancti Hieronymi versione adlegatio, quæ illo in libro perspicitur, vincunt, & eum librum S. Cypriano suppositum, & Dallæi oppositionem irritam esse; quippe quæ non adhibeat idoneos Testes aut ferme æquales, aut propemodum Cypriano suppares, aut eos, qui horum tempora proxime secuti, sexto Ecclesiæ sæculo nituerunt, siquidem Troslejana Synodus particularis octavo sæculo, quod ipse Censor adducit, coacta; & Jonas Aurelianensis sub idem sæculum notus, illum librum S. Cypriano quidem attribuunt, at ipsum legitimum ejus fœtum esse non probant; cum ab ipsius Martyris ævo nimium distantes, certi testimonii rationem, quam Critices requirit, minime habeant.

Præterea certa, & genuina S. Athanasii Alexandrini Episcopi quarto sæculo florentis volumina S. Hieronymus ipsi coævus, aliique ejusdem, & sequentis ævi scriptores diserte testantur.

Concilium autem Nicænum II. aliqua Critices arte instructum, quod hic mixtim Dallæus repetit, quendam libellum non sub *Sancti Athanasii Episcopi Alexandrini*, sed solum *S. Athanasii* nomine, uti antea probavimus, legit: ac sic eundem libellum ipsius S. Athanasii Episcopi Alexandrini fuisse prolem nec censuit, nec dixit; & illius Authorem *Athanasium* quendam Syrum, qui ipsi Synodo proxime præiverat, verisimiliter indicavit. Siquidem illud ipsum, quod libellus exponit, in *Syria* circa annum 765. contigisse dicitur a Sigeberto (a): ideoque historia ab eodem libello narrata, quam antea memoravimus, tempore Concilii VII. generalis, quod anno 787. celebratum est, recentissima apparuit: quod proinde ejusdem libelli scriptorem Athanasium quendam tunc incolam Syriæ, ubi factum evenisse ferebatur, non S. Athanasium Alexandrinum Præsulem, qui quatuor sæculis eam historiam, ipsumque Concilium ante-

(a) *Sig. in Chron. ad an. 765.*

Digitized by Google

antecesserat, indigitavit. Verum Combefisius opponit quoddam fragmentum Synodi Cæsareensis in Cappadocia: in quo S. Athanasius aut ipsius libelli, aut Historiæ Scriptor ponitur; quod tamen fragmentum æque apocryphum est atque ipsa synodus Cæsareensis ignota toti retro vetustati. Itaque Concilium Nicænum II. nec illud opus S. Athanasio Alexandrino suppósuit; nec alia, quæ Dallæus objecit, quæque jam diluimus, finxit.

Tum autem S. Hieronymus in libro virorum illustrium (*a*) de Sancto Hilario Pictaviensi Episcopo ejus æquali hæc scripsit: *Hilarius Urbis Pictavorum Aquitaniæ Episcopus ..., duodecim adversus Arianos confecit libros, & alium librum de Synodis, quem ad Galliarum Episcopos scripsit; & in Psalmos Commentarios. Est ejus & ad Constantium Libellus, quem viventi Constantinopoli porrexerat; & alius in Constantium, quem post mortem ejus scripsit; & liber adversum Valentem, & Ursacium, Historiam Ariminensis, & Seleuciensis Synodi continens.*

Postremus hic liber a quibusdam ipsius fragmentis illam *Historiam* confuse, ac non integre exhibentibus, quæ Nicolaus Faber edidit, alius non est; cujus proinde summam integritatem, non aliquam originem, quæ ab Hilario ducitur, & ab Hieronymo commendatur, Criticorum aliqui negant: quia illa fragmenta quasdam suppositias Epistolas, & quasdam legitimas S. Hilarii descriptiones, præcisas tamen, passimque perturbatas, atque adeo non integrum illum S. Hilarii librum, sed cum aliis mixtum, & violatum repræsentant.

Itaque unum illud priscis Scriptoribus Ecclesiasticis certum erat, esse a Patribus plures libros vere productos; quorum maximam partem, quæ genuina, & integra eorum opera comprehendit, cum sexcentis adulterinis, si sint, haud confusam veterum auctoritates, ac vetusti Codices probant.

Si vero scrutari vetera, & ex his ea, quæ sex priorum sæculorum Scriptores aut prodiderunt, aut tacuerunt, eruere coner, ab iis ipsis commentarii in omnes Pauli Epistolas S. Ambrosio Mediolanensi Antistiti, qui sæculo quarto enituit, tributi haud reperientur; quorum authorem nunc quære: reminiscere, quoniam ipsos Dallæus objicit, quæ a S. Augustino tradantur: tum denique, quam recta critices adversus censorem pateat, intelliges.

Etenim ipse Augustinus quarto, & quinto sæculo clarus, non S. Ambrosio, sed *Hilario* Sardo, qui eodem quarto sæculo vixerat, eos commentarios adscripsit; e quibus S. Doctor contra Pelagianos, qui omnes homines in Adam non peccasse hæresi ajebant, illum Apostoli Pauli locum (*b*), *in quo omnes peccaverunt*, ab *Hilario* enucleatum, cujus verba iisdem in Commentariis extant, ita deprompsit (*c*): *Sic Sanctus Hilarius intellexit, quod scriptum est*, in quo omnes peccaverunt: *ait enim*, in quo, „ idest in Adam omnes peccaverunt. *Deinde addidit*, „ manifestum, in Adam omnes peccasse quasi in massa. Ipse enim „ per

(*a*) S. Hier. in lib. de Vir. ill. cap. C. pag. 919. Tom. 2.

(*b*) Ad Rom. v. 12.

(*c*) S. Aug. lib. iv. cont. duas Epist. Pelagian. cap. iv. pag. 472. Tom. x.

Digitized by Google

„ per peccatum corruptus: omnes, „ quos genuit, nati sunt sub pec- „ cato „. *Hæc scribens Hilarius, sine ambiguitate commonuit, quomodo intelligendum esset*, in quo omnes peccaverunt.

Hæc est Augustini, qui Hilario Sardo coævus fuit, auctoritas; e qua capitur ratio contra Dallæi opinationem differendi; qui particulares Synodos, Aquisgranensem, & Parisiensem, sæculo octavo, ac nono celebratas; atque etiam Hincmarum Remensem, & Prudentium Tricassinum circa idem tempus notos, quibus iidem Commentarii sub Sancti Ambrosii nomine circumlati, quasi veri ipsius partus videbantur, immerito opponit. Illi namque ipsos eo nomine attulerunt, nonnullis adulterinis eorum inscriptionibus, quæ tunc in aliquorum manibus erant, præpediti; ac non perscrutati antiquum, cum eorumdem Commentariorum titulum, tum idoneum Testem, atque coævum, qualis Augustinus erat, qui non S. Ambrosio, neque cuidam ignoto Hilario, sed Sardo, cujus ætati proximus erat, eosdem Commentarios adscripsit.

At enim libri sex de sacramentis, quos modo fusius tractabimus, a nonnullis librariis perperam ita sunt inscripti; quum sermones a S. Ambrosio recitati monstrentur; quorum priorem is aggressus est hoc modo: *De Sacramentis, quæ accepistis, Sermonem adorior*(a); *cujus rationem non putavi ante præmitti. In Christiano etenim viro prima est Fides*. Tum alterius rudimenta sic posuit: in Diluvio *figuram baptismatis præcessisse hesterno die cæpimus disputare*. Tum etiam Tertii initium his fecit: *Hesterno die de fonte disputavimus* (b). Demum quinti principio dixit; *Hesternus sermo noster, ac Tractatus usque ad Sancti Altaris Sacramenta deductus est* (c). Non ergo isti sex libri, sed *sermones*, aut *Tractatus* sunt; utpote quorum primum, & quartum, atque adeo reliquos S. Doctor *sermonis*, aut *Tractatus* titulo adornarit. Atqui Tractatus, sicuti Plinius significat (*d*), non liber, sed libri pars est. Ipsum igitur opus liber de Sacramentis, in quo sex sermones, aut Tractatus Adultis recens baptizatis expositi, eademque Sacramenta amplexati capiebantur, primum inscriptus fuit, ac postea in sex libros a quibusdam librariis minus recte divisus.

Hinc eum *librum de Sacramentis*, non libros, eidem S. Ambrosio Sanctus Augustinus certo adscripsit, suos de Doctrina Christiana libros, & præcipue quædam dicta in iis contenta ita retractans: *Ubi autem dixi*, „ His XLIV. libris Testamenti „ Veteris terminatur auctoritas; „ (*e*) *Ex consuetudine, qua jam loquitur Ecclesia, vetus Testamentum appellavi: Apostolus autem non videtur appellare vetus Testamentum, nisi quod datum est in Monte Sina. Et in eo, quod dixi*, „ de Tempo- „ rum historia S. Ambrosium sol- „ visse quæstionem „, *tanquam coætanei fuerint Plato, & Hieremias, me fefellit memoria. Nam quid ille de hac re Episcopus dixerit, in libro*

(a) *S. Amb. 1. de Sacr. 1. par. Gothica, & Basileensis edit. an. 1516. Fol. 231.*
(b) *Ib. Fol. 234.*
(c) *Fol. 236.*

(d) *Pl. lib. 14. c. 4.*
(e) *S. Aug. lib. 2. Retract. cap. XV. pag. 45. Tom. 2.*

ejus legitur, quem de Sacramentis, sive de Philosophia scripsit.

His Augustini verbis Hæreticus Guillelmus Cave pressus (*a*), in scriptorum Ecclesiasticorum Historia ait, „ scripsisse quidem Ambrosium *libros de Sacramentis* certissimum „ est; qui vero hodie extant, aut „ ejus non sunt, aut adeo insigniter interpolati, ut novam faciem „ induerint. Desiderantur in his, „ quæ ex illis citant Augustinus, „ & Bertramus. „

Tractatus igitur illos, ut rectius loquar, a S. Ambrosio scriptos fuisse, Caveus fatetur contra alios Hæreticos, Cocum scilicet, Albertinum, atque Dallæum, eos esse Ambrosii negantem, ac vetustioribus Theologis, Bertramo, Lanfranco, & Guitmundo, qui S. Augustinum ipsius Ambrosii æqualem Testem habuere, sinistre obsistentem. Quare Arnaldus S. Augustino, ac reliquis antiquioribus, quos Dallæus ipse numerat, inconsulto repugnavit.

Ipsi autem Tractatus, cum sibi passim respondeant, unusque alterum appellet, insigniter depravati non sunt, excepto priori sermonis IV. capite, cui non immane detrimentum, sed nonnullorum amissio accidit. Siquidem Ambrosius in sexto libro, sive sermone, quem sexto die habuerat, dum ostendit, in baptismate *mysterium Trinitatis connexum*, continuo affirmavit, in quarto, quem *nudius tertius* recitarat, illum Apostoli locum, *divisiones autem gratiarum sunt*, *lectum* fuisse: ait enim: (*b*) *Deinde quasi specialiter quando accipis spiritale signaculum; vide distinctionem personarum esse, sed connexum omne mysterium Trinitatis .... Apostolus dixit, ut lectum est nudius tertius.* „ Divisiones autem gratiarum sunt; idem „ autem Spiritus: „ qui locus in quarto sermone, aut libro citatus minime reperitur: Cui sermoni proinde quorumdam omissio obtigit; quæ maxime insignis non est ob id ipsum, quia & textus sermo quartum adlegat, & reliqua istius capita inter se quam aptissime cohærescunt: ex quo S. Augustinus locum attulisse videtur, quum de veteri Testamento, deque hujus temporum historia ipse pauca verba facit secundum Ambrosium; qui sane in quarto eorumdem Sacramentorum Tractatu de veteri Testamento, & hujus Sacerdotibus, eorumque tempore, sermonem istum orditur: (*c*) *in veteri Testamento Sacerdotes frequenter in primum Tabernaculum intrare consueverant; in secundum Tabernaculum semel in anno summus intrabat Sacerdos; quod evidenter ad Hebræos recolens seriem veteris Testamenti explanat Apostolus Paulus.*

Hæc perspicuo indicio sunt, a S. Ambrosio brevem *veteris Testamenti temporum historiam*, quam Augustinus denotat, quæque nunc desideratur, iis verbis *veteris Testamenti seriem*, atque adeo *tempora* significantibus adjunctam fuisse: ac propterea ab Augustino istud Ambrosii opus, in quo ea *historia* brevi exponebatur, indicatum esse: eundemque *librum* ab illo, quem de *Sacramento Regenerationis* Ambrosius scripsit, quemque libro 2. contra Ju-

(*a*) *Cav. in Eccl. Script. Hist. litter. pag.* 167.
(*b*) *Ib. lib.* VI. *de Sacram. cap.* II. *fol.* 238
(*c*) *S. Amb. de Sacr. lib.* IV. *cap.* I. *ib. fol.* 235.

Julianum Augustinus adlegat, distinctum; sive a *libro de* uno *Sacramento Regenerationis librum de Sacramentis*, utique pluribus, alium esse: demum nec reliqua quarti sermonis capita, nec cætera aliorum quinque Tractatuum, cum plena sint, pluresque res apte exhibeant, fuisse violata.

Ecquis inde non intelligit, quantum „ res ipsa „ quam Dallæus acute abscondit, involvat? involvit enim certas Ambrosii res, hoc est, plura indubitata hujus opera, quæ ejusdem S. Doctoris stylum exprimunt; quæ proinde vera esse censor significat; quorum tamen stylum a stylo libri de Sacramentis diversum esse, ideoque ab hacce re negari, istum esse Ambrosii, Censor, aliique pertendunt.

Nunc video eorum, quæ ex libro de Sacramentis adduximus, stylum; ad quem cum sit decursum, nihil est præterea extimescendum. Horum namque stylus, si cum dicendi genere, quo Ambrosius in legitimis suis voluminibus utitur, conferatur, non ab isto magnopere differre videbitur; quum eadem in utrisque verborum positio, eadem scribendi ratio, eadem Sacrarum rerum explicandarum vis, quam Ambrosius adhibuit, fere luceat. Hinc quamquam ejusdem operis stylus paulo demissior, quam in cæteris ipsius libris, apparet: nihilo secius ob eam causam in ipsis non est magna styli diversitas: quo quidem submissiori, atque infimis etiam vocibus ad populos docendos Patres usi fuere; quemadmodum S. Augustinus tradit; cujus documentum amplecti, non propter aliquam styli varietatem legitima veterum scripta inficiari, aliqui debent.

Etenim a magnarum rerum Doctore submissum dicendi genus quandoque adhibendum esse, magnus ipse Augustinus hoc præcepto nos edocet: (*a*) „ Cum vero de illius viri „ differamus eloquio, quem volu„ mus earum rerum esse Doctorem, „ quibus liberamur ab æternis ma„ lis, atque ad æterna pervenimus „ bona; ubicumque agantur hæc, „ sive ad populum, sive privatim, „ sive ad unum, sive ad plures, si„ ve ad amicos, sive ad inimicos, „ sive in perpetua dictione, sive in „ collocutione, sive in Tractatibus, „ sive in libris, sive in Epistolis vel „ longissimis, vel brevissimis; ma„ gna sunt. Nisi forte quoniam calix „ aquæ frigidæ res minima, atque „ vilissima est, ideo minimum ali„ quid atque vilissimum Dominus „ ait, quod eum, qui dederit di„ scipulo ejus, (*b*) non perdet mer„ cedem suam; Aut vero quando „ iste Doctor in Ecclesia facit inde „ sermonem, parvum aliquid debet „ existimare se dicere; & ideo non „ temperate, non granditer, sed sub„ misse sibi esse dicendum. Nonne „ quando accidit, ut de hac re lo„ queremur ad populum, (*c*) & „ Deus adfuit, ut non incongrue „ diceremus, tanquam de illa aqua „ frigida quædam flamma surrexit, „ quæ etiam frigida hominum pe„ ctora ad misericordiæ opera fa„ cienda, spe cælestis mercedis, ac„ cenderet? Et tamen cum Doctor

(a) *S. Aug. lib.* IV. *de doctr. Chr. cap.* 18. & 35. *Tom.* III.

(b) *Matt.* x. 42.
(c) 2. *Mach.* 1. 18.

„ iste debeat rerum dictor esse magnarum, non semper eas debet „ granditer dicere, sed submisse, „ cum aliquid docetur, temperate, „ cum aliquid vituperatur, sive laudatur: cum vero aliquid agendum est, & ad eos loquimur, „ qui hoc agere debent, nec tamen „ volunt, tunc ea, quæ magna sunt, „ dicenda sunt granditer, & ad flectendos animos congruenter, & „ aliquando de una, eademque re „ magna & submisse dicitur, si docetur, & temperate, si prædicatur, & granditer si aversus inde „ animus, ut convertatur, impellitur. Quid enim Deo ipso majus „ est? numquid ideo non discitur? „ aut qui docet unitatem Trinitatis, debet nisi submissa disputatione agere, ut res ad dignoscendum „ difficilis, quantum datur, possit „ intelligi? numquid hic ornamenta, & non documenta quærun- „ tur? Numquid, ut aliquid agat, „ est flectendus auditor, & non potius, ut discat, instruendus? .... „ Submissæ dictionis exemplum est „ apud Apostolum Paulum, ut planius aliquid commemorem, ubi „ ait, (*a*) „ dicite mihi, sub lege volentes esse, legem non audistis? scriptum est enim, quod Abraham duos filios habuit, unum de Ancilla, & unum de libera &c. (*b*) *Sanctus quoque Ambrosius cum agat rem magnam de Spiritu Sancto, ut eum Patri, & Filio demonstret æqualem, submisso tamen dicendi genere utitur, quoniam res suscepta non ornamenta verborum, aut ad flectendos animos commotionis affectum, sed rerum documenta desiderat.*

(*a*) *Galat.* iv. 21.
(*b*) *Ib. cap.* 21. *pag.* 83.

Non est jam oppositioni locus, qua Hæreticus Rivetus, Caveus, aliique sumunt, submissum dicendi genus, quod in libro de Sacramentis apparet, ab Ambrosii geniis abhorruisse: quo tamen hunc aliquando usum esse, ac sic illius libri stylum aliorum ejus librorum locutioni, ac genio non repugnare, eumque librum Ambrosii esse fœtum, Augustinus monstravit: Cui obsequi, non de ipsius libri auctore ambigere debent recentes Ambrosii Operum editores; præsertim quum ii evincant, ab illis Heterodoxis eidem operi vocum barbariem, falsam subtilitatem, futilesque allegorias, immerito exprobrari: quæ quidem voces non omnino barbaræ, sed minus elegantes sunt, quas in ipsis concionibus Mediolanensi populo expositis, & præterea in aliis operibus Ambrosius usurpavit.

Subinde ipsi Hæretici istam observationem levem illi volumini objiciunt, quod *Baptizati Fideles Romæ dicebantur*: quasi vero non ita ab universo orbe appellarentur.

Verum in tribus Codicibus, Vaticano, Regio, ac Thuaneo, non legitur *Romanæ*, sed *recto nomine*; pro quo in editione (*c*) Romana substitutum est *recte*. At si legatur *Romæ*, uti alii Codices habent, sensus hic levis, & absurdus non est; quod videlicet in Mediolanensi Ecclesia, & in qualibet alia, ac præcipue in omnium nobilissima Romana *baptizati* vocentur *Fideles*.

Addunt iidem Censores, quod illius libri Auctor, cum hæc Christi verba, (*d*) *decet nos implere omnem justitiam*, exponat: sic fatur: *vide quia*

(*c*) *S. Ambr. lib.* 1. *de Sacr. cap.* 1.
(*d*) *Matth.* 3.

quia omnis justitia in baptismate constituta est. (*a*) atque etiam hoc Domini dictum, *clauso ostio ora Patrem tuum*, explanat his verbis : *audi*, *quod ostium habeas*, *quod debeas* claudere, *cum oras*. *Utinam mulieres audirent*. (*b*) Præterea orationem Dominicam edisserens, ait, Christum non dixisse, (*c*) *non inducas nos in tentationem*, sed *ne patiaris*, *nos induci in tentationem* : at vero ex Evangelio constat, Christum dixisse, *ne nos inducas in tentationem*, quocirca Author libri de Sacramentis Sacræ Scripturæ versionem aliam ab ea, quam Ambrosius adhibuit, usurpat. Rursus Scriptor ille profitetur se, in *omnibus loqui Ecclesiam Romanam* (*d*) ; a cujus tamen riribus discrepabat Mediolanensis Ecclesia ; cujus Episcopus erat Ambrosius: Tandem libri de Sacramentis idem est argumentum, ac libri de iis, qui *mysteriis initiantur*.

Levissima sunt ista. Primum enim *omnem* justitiam in baptismate constitutam, Ambrosius eatenus docuit, quatenus illud ad omnem justitiam a Deo speciatim obtinendam radicitus valeat. Idemque S. Doctor ex Evangelio rectius ostendit, cubiculum intrandum esse, & secreto orandum, ut ostentatio, quam nonnullæ *Mulieres* consectantur, vitetur. Deinde illud, *ne patiaris nos induci in tentationem*, & a S. Cypriano, & in quibusdam Evangelii codicibus lectum fuisse, S. Augustinus testatur (*e*) ; qui utique S. Ambrosium ita legentem defendit. Ad hæc oppositio, quæ ex Versionum varietate petitur, eo nulla est, quod ex certis S. Ambrosii operibus liqueat, eum ipsa usum esse, eosdemque Sacræ Scripturæ locos non semper iisdem verbis ab isto adlegatos. Ille vero Ambrosii, & Ecclesiæ Romanæ consensus non de nonnullis aliis ritibus, quibus ab ista Mediolanensis Ecclesia differebat, sed de *omnibus* ritibus baptismi, quem Ambrosius pertractabat, intelligendus videtur.

Sed appareat idem adlatorum librorum argumentum : quid hoc ad suppositionem ? Nam sex S. Augustini librorum contra Julianum idem institutum est, atque operis imperfecti adversus eundem compositi : quod tamen legitimum est Augustini scriptum : sic ergo uterque liber & *de Sacramentis*, & *de iis*, *qui mysteriis initiantur*, quamvis uno in argumento versetur, nihilominus verus Ambrosii fœtus est. Deinum prætereo, quod ex uno libro tanquam ex altero quædam Bertramus noni sæculi Scriptor adducat ; cui utriusque libri distinctio facile excidit.

Sermo autem, sive *homilia* in illud Evangelii, *quicumque dixerit verbum contra Filium hominis*, *remittetur ei*, probabiliter S. Athanasio Episcopo Alexandrino, quem Dallæus iterum profert, adscribitur ob aliquam styli similitudinem, & quia a Stephano Gobaro (*f*), qui sexto sæculo scribebat, illa quodammodo indicatur, qui ab eodem Athanasio in pluribus suorum Operum locis Theognostum tertii sæculi scriptorem laudari confirmat ; cujus tamen mentio-

(a) *Ib. cap. v.*
[b] *Ib. lib. 6. cap. 3.*
[c) *Lib. v. cap. 4.*
(d) *Lib. 3. cap. 1.*

[e] *S. Aug. lib. de dono persev. cap. vi.*
(f) *Stephanus Gobarus Tritheita apud Photii Bibliothecam Codice 231.*

tionem ille semel fecisset, si eam homiliam, in qua istum commendat, excipias; quæ ratio solum probabilis est; quoniam Gobarus neque ullum illius homiliæ locum, nec eandem diserte adfert; sed ita plures Athanasii locos universim congregat, ut ipsam sola ea conjectura, quæ rem dubiam, ac sic verisimilem facit, informare possimus. Quapropter Concilium Lateranense circa annum 649. a Martino I. Pontifice Summo coactum, tria quædam dicta illius sermonis, qui S. Athanasii fœtus probabiliter censetur, quique uti certus ejusdem partus a Petronio Cardinali, aliisque negatur, haud immerito adlegavit.

Opus Imperfectum in Matthæum, in Homilias LIV. divisum, quod & plures Hæreses rectis S. Joannis Chrysostomi dogmatibus repugnantes exhibet, & stylo a veris hujus operibus maxime discrepat, ipsi Chrysostomo sex priorum sæculorum Scriptores nusquam attribuerunt; quorum Testium tacentium ratio Censori habenda erat, ut idem opus ei S. Doctori suppositum plene vinceret, utque Hincmarum Rhemensem, qui Chrysostomo longius ætate inferior extitit, illasque homilias Chrysostomi nomine inconsiderate produxit, dimitteret.

Unde Symbolum scriptum ad Damasum non esse S. Hieronymi, sed Pelagii Hæresiarchæ opus, ex S. Augustino recte probatur, sicuti Dallæus fatetur; qui proinde S. Augustinum Testem idoneum, & Hieronymo coævum, non alios, qui ipso Hieronymo multo posteriores fuerunt, illudque Huic minus bene adscripserunt, producere debuit. Sic Epistolam ad Demetriadem Virginem, & quosdam breves Commentarios in Pauli Epistolas eidem Pelagio, non Hieronymo, tribuenda esse, ex eodem Augustino ostendimus; cujus testimonia Dallæo inspicienda fuerant, non exagitandi omnes librarii; quorum aliqui utrumque opus inter Hieronymi opera imperite numerarunt: alii vero illis ipsis Pelagii nomen bene inscripserunt.

Librum quæstionum Veteris, & Novi Testamenti S. Augustino, a cujus doctrina plurimum diffidet, adscitum esse, ex S. Hieronymo aperte conjicitur; qui in Epistola ad Evangelum, quam anno 398. scripserat, advertit, Anonymum Auctorem voluminis, ubi Melchisedech Spiritus Sanctus esse errore dicebatur, *imperitum sermone* (a), & scientia fuisse: ex quo colligitur, non ab eruditissimo S. Augustino Episcopo, sed a quodam *imperito* librum quæstionum Veteris, & Novi Testamenti, in cujus quæstione 109. ille error asseritur, compositum esse: quippe cujus potiorem partem Hieronymus non Augustino, cui coævus erat, sed Auctori Anonymo tribuat: quo coævo Teste dimisso Dallæus particularem Synodum Parisiensem sæculo nono celebratam, quæ eundem librum S. Augustino adscriptum fuisse non consideravit, adfert contra Criticæ regulas, quæ requirunt Testes aut æquales, aut fere coævos, aut propemodum suppares Augustino, quem profecto ea Synodus proxime subsecuta non est.

Quod autem ille Hincmarus Hypogno-

(a) S. Hier. Ep. 73. pag. 444. Tom. 1.

pognosticon librum velut S. Augustini genuinum adduxerit, eum ipsius fœtum non esse Rhemigius Lugdunensis Archiepiscopus eodem sæculo nono, quo Hincmarus vivebat, commonstravit; quo tempore, uti antea vidimus, aliqui adhibuere quandam Critices artem, in quam tamen alii non incubuere. Jam vero Hypognosticon, ac de Prædestinatione, & Gratia libros Augustino suppositos esse, Bellarminus (*a*) primitus probat ex Possidii, aliorumque ejus æqualium, aut ei supparium silentio.

Hujusmodi igitur Testes vel aliquod opus tacentes, vel aliud affirmantes sunt adhibendi; quorum unus S. Isidorus Hispalensis Præsul, sexto sæculo celebris (*b*), & Juliano Pomerio, qui sæculo quinto labente scribebat, proximus: huic *tres libros de futuræ vitæ contemplatione* afferit, ideoque cum S. Prosperi operibus haud confusos significat; de cujus significatione Dallæus siluit, ut quibusdam noni sæculi scriptoribus a Pomerii ævo longe distantibus, criticasque rationes prætereuntibus non ignosceret, sed idoneorum Testimoniorum vim fugeret.

Quid dicam de Dallæi Pueris, qui Ferrandum Diaconum sexto sæculo clarum, ac S. Fulgentio Ruspensi Episcopo coævum (*c*), & præterea plurium hujus operum Testem ignorent? quam ad rem nihil interest, quod Prudentius Tricassinus nono sæculo vivens, ac Ferrando, aliisque Fulgentii Ruspensis ferme æqualibus, qui legitima istius scripta laudarunt, posterior; Mythologiarum librum, qui a Fulgentio Placiade Grammatico editus videtur, priori Fulgentio tribuerit, ac nominis ambiguitate deceptus sit. Nam ex anteriorum Testium silentio, exque magna styli, eruditionisque diversitate, quæ in utriusque operibus lucet, Placiadis opus S. Fulgentio suppositum ita cognoscitur, ut ab eo genuina S. Fulgentii volumina non pueri, sed eruditissimi quique distinguant; hæcque certa ipsius Ferrandi & reliquorum Fulgentio Ruspensi supparium testimoniis, atque etiam styli, doctrinæque cognatione, probent, & amplectantur.

At Gennadium Massiliensem Presbyterum, qui inclinato quinto sæculo obiit, fuisse certissimum authorem libri de Ecclesiasticis dogmatibus, scitur ex Hadriano I. Pontifice maximo (*d*); qui prope lapso sæculo septimo ortus, & ita Gennadio fere suppar, illum librum ut istius fœtum laudavit; quem etiam ipsi Valafridus Strabo, octavo sæculo florens, adscripsit. His ergo posterior Rathramnus sæculi noni scriptor, ipsum opus Gennadio Constantinopolitano adpinxit leviter errans (*e*), quia in ejus libri non omnino inviolati capite XIV. nonnulla verba græcum scriptorem redolentia leguntur.

Habes igitur præcipuos sex priorum sæculorum testes vel consentientes, vel sibi non repugnantes, vel quadamtenus ambigentes; qui aut plura Patrum opera certa, aut nonnulla dubia, aut quædam suppositi-

tia

[a] *Bellarm. & Labb. de Script. Eccl. Tom. VII. nov. Ven. edit. pag. 120.*
[b] *Isid. lib. de Script. Eccl. cap. XII.*
[c] *Ferran. in Vita S. Fulgentii.*
[d] *Hadrian. I. Epist. III. ad Carol. Franc. Regem Valafr. Strab. in lib. de Rebus Ecclesiast. c. 20.*
[e] *Vide illud caput in appen. Tom. 8. S. Aug. pag. 77.*

tia vel testimonio suo, vel silentio monstrarint adversus Dallæum; quem miror, quod & Eusebio antiquissimo, interque cæteros eruditissimo, qui S. Polycarpi, ac S. Irenæi testificationibus septem genuinas S. Ignatii Antiocheni Episcopi ac Martyris epistolas docuit, impostoris nomen audacter imponit, Irenæi testimonio abutitur, & S. Athanasium proferre non dubitat, ut suæ falsæ opinioni, quo certas easdem litteras respuit, velificetur.

Atqui S. Irenæus libri quinti contra hæreses capite XXVIII. de iis, qui postremis mundi diebus a Fide deficient, ac de Justis tribulatis sic agit: *Quoniam igitur in hoc mundo quidam quidem accurrunt lumini, & per fidem uniunt* (*a*) *se Deo; alii autem abjistunt a lumine, & separant seipsos a Deo: venit Verbum Dei, omnibus aptam habitationem inferens, his quidem, qui in lumine sunt, ut fruantur eo, & his, quæ in eo sunt, bonis: His autem, qui in tenebris sunt, ut participentur eas calamitates, quæ in eis sunt. Et propter hoc ait, hos quidem, qui sunt ad dexteram, vocari in regnum Patris; illos autem, qui sunt ad sinistram, in æternum ignem missurum. Semetipsos enim omnibus privaverunt bonis. Et propter hoc Apostolus ait,* (*b*) pro eo, quod dilectionem Dei non receperunt, ut salvi fierent; & ideo mittet eos Deus in operationem erroris &c. *Propter hoc in omni tempore plasmatus initio homo per manus Dei, id est, Filii, & Spiritus, fit secundum imaginem, & similitudinem Dei: paleis quidem abjectis, quæ sunt Apostasia; frumento autem in horreum assumpto, quod est hi, qui ad Deum fide fructificant: & propterea tribulatio necessaria est his, qui salvantur; ut quodammodo contriti, & attenuati, & conspersi per patientiam verbo Dei, & igniti, apti sint ad convivium Regis; quemadmodum quidam de nostris dixit* (*c*), *propter martyrium in Deum adjudicatus ad bestias:* quoniam frumen„ tum sum Christi, & per dentes „ bestiarum molor, ut mundus pa„ nis inveniar.„

Tum S. Athanasius Alexandrinus Episcopus in Epistola de Synodis Arimini, & Seleuciæ contra Arianos Verbum Dei non factum, sed verum Deum esse, ex S. Ignatio Antiocheno Præsule, ac Martyre, cujus verba in ejus Epistola ad Ephesios leguntur, ita demonstrat: *Ignatius certe, qui post Apostolos Antiochiæ Episcopus* (*d*) *constitutus est, ipseque Martyr Christi fuit, de Domino scribens dixit:* „ unus Medicus est „ carnalis, & spiritualis, factus, & „ non factus, in homine Deus, in „ morte vita vera, & ex Maria, & „ ex Deo.

Prior itaque Testis Irenæus omnia verba moderatur; ac vincit, Dallæi animo, cum Eusebium impostorem effutiret, non rectum adlegandi Irenæi modum, non rectam rationem, non veritatem, sed falsas species observatas fuisse, quas eripit ipse Irenæus; qui eodem loco, quo Ignatium commendavit, Pauli Apostoli dictum celebrat; ac non dicit, quod Apostolus scripsit, vel quod in Epistola aliqua dixit; sed quod *Apostolus ait*. Num ergo his Irenæus Di-

(a) S. Iren. ibid. pag. 316. & sequent. Part. 1. novist. Ven. edit.
[b] 2. Thess. II. 10.

[c] S. Ignat. in Epist. ad Rom.
[d] S. Ath. ib. num. 147. pag 761. pag. 2. tom. 1. Paris. edit. an 1698.

Divinam *Apoſtoli* Epiſtolam II. ad Theſſalonicenſes non attulit? Quis eſt, qui irritam criminationem, qua in Euſebium Cenſor abuſus fuit, non eo videat; quia uti idem Irenæus ſola *ajentis* voce ſacram illam Apoſtoli Epiſtolam laudat; ita ſolo *dicendi* verbo certam Ignatii Epiſtolam ad Romanos adducit? Quare falſo illi Cenſoris dicto, quod etiam Samuel Baſnagius (*a*) minus bene ſecutus eſt, haud audiemus, & vero Irenæus quemadmodum non expreſſo Pauli nomine, dumtaxat eum Apoſtolum, utpote omnibus compertum, nuncupavit; ſic tacito *cujusdam* nomine ipſum Ignatium Martyrem intellexit; cujus Epiſtolas cunctis notas fecerat S. Polycarpus Smirnenſis Epiſcopus Epiſtola ſua ad Philippenſes ſcripta, quam S. Irenæus, & Dallæus ipſe commemorant; cujuſque contextum, qui eas Ignatii Epiſtolas teſtatur, & ſupra exhibitus eſt, retulit Euſebius iiſdem ſanctis Patribus ſuppar; qui proinde non impoſtor, ſed verus illarum omnium Epiſtolarum Teſtis fuit; quas non, ut Dallæus comminiſcitur, ſuppoſititias eſſe; ſed veras, ac certas oſtendit S. Polycarpi, S. Irenæi, Origenis, Euſebii, S. Athanaſii, S. Hieronymi, Theodoreti, aliorumque poſtea laudandorum conſenſus; ut nemo non miretur, quod Dallæus contendat, illas Ignatii Epiſtolas ex majori parte firmatas Euſebii teſtimonio: quandoquidem majorem Teſtium coævorum, & ſupparium partem tenent Polycarpus, Irenæus, Origenes, & Athanaſius: quibus quidem, ac reliquis aliqui Hæretici Proteſtantes temere obſiſtunt: ſed ex ipſis Heterodoxis recentioribus non pauci alii Critici legitimas ſeptem Sancti Ignatii Martyris Epiſtolas, utpote magna Teſtium conſenſione munitas, adprobant, atque ſuſcipiunt.

Maximum igitur eſt argumentum, multa Patrum opera eſſe certa, quod conſentiente Teſtium auctoritate fulciantur; quorum aliquot ſane plura genuina veterum ſcripta docuerunt: nonnulli vero quædam pauca certa deſcripſerunt, nemine repugnante. Tum aliqua ex ſtylo, ex argumento, ex auctoris nomine, exque antiquorum Codicum conſenſu germana evincuntur; quæ ſi non plane aliqui ſcriptores, at certe alii exhibuerunt; e quibus unus, vel alter eruditus Scriptor & gravis paucos alicujus veteris libros omiſit, non errore, ſed eo ductus conſilio, ut, quoniam hi libri luce clariores, aliiſque explorati erant, eoſdem dinumeratos noluerit. Tum denique vetuſti ſcriptores multa Patrum opera genuina, alia autem vel ipſis ſuppoſita, vel dubia, ut vidimus, pronuntiarunt.

Nullus ergo ſex priorum Eccleſiæ ſæculorum auctor vel de certis veterum libris, vel de dubio alicujus opere tacuit; ut & ipſorum Scriptorum authoritas conſtet, & ſilentii argumentum, quod ex probabilibus Dionyſii Areopagitæ ſcriptis ad illas certas S. Ignatii Antiocheni Præſulis Epiſtolas elevandas Dallæus ſumit, irritum ſit.

Primum enim Hypatii ratio, quam ſupra expendimus, quæque non ſuppoſitos quidem, ſed incertos Dionyſii

(*a*) *Sam. Baſn. annal. Polit. Tom. I.*

nysii Areopagitæ libros facere videtur, ex eo est, quod si Dionysii opera vera essent, S. Athanasium Alexandrinum Episcopum, ac S. Cyrillum latere non potuissent: e qua ratione Dallæus eruit, itidem Ignatii Epistolas S. Irenæo cælatas fuisse, propterea quod is „ nusquam istas „ Ignatii epistolas recordatus est: „ quæ censoris argutatio falsitate, & criminatione, quas explosimus, nititur; quoniam Irenæus uti *ajentis* verbo relatam Pauli Apostoli epistolam; sic *dicendi* voce illas unas Ignatii litteras memoravit; quem proinde utraque haud latuit, & falsum censoris argumentum ostendit. Eo quidem Clementis Romani & Polycarpi epistolas uni Deo Creatori, Patrique Christi Domini suffragantes; non autem Ignatii litteras idem dogma insinuantes, Irenæus contra Valentinianos produxit: Sed neque Justorum tribulatorum specimen ex illa Clementis epistola eorum exempla referente cæpit, solo Ignatii testimonio contentus: quippe qui censuit, uti ad ostendendos Justos tribulatos Ignatii exemplum, ita ad Dei unitatem monstrandam duos Testes, Clementem Romanum, & Polycarpum, affatim sufficere. At vero Irenæi Clemens Alexandrinus non meminit; qui quædam Apocrypha ut dubia tantum admisit: tum Tertullianus non Epistolæ Clementis Romani, sed Irenæi operum mentionem fecit. Num ergo isthæc supposita sunt? id dixerit nemo. Quamvis igitur Clemens Alexandrinus, & Tertullianus Ignatii Epistolarum obliti fuerint; certe has alii coævi Testes ac suppares collaudarunt; quo planius constaret, illorum duorum silentium non generale, sed particulare, nihili esse. Hypatius autem ex universali Antiquiorum, præsertim S. Athanasii silentio Areopagitæ Opera non in suppositionem, sed in dubium vocavit. Atqui Athanasius Ignatii Epistolam adversus Arii blasphemias adlegavit, aut de ea non siluit: ergo certam credidit; ac monstravit, Dallæi dicta, quibus aliquorum silentium potius, quam ajentem plurium auctoritatem, sectatur, non probabilia, non præcipua, non tutiora, sed falsa esse. Nam & æque periculosum est genuina Ecclesiastici veteris scripta repudiare, ac supposita admittere: & non levius est carere veritate existente, quam mendacio, cui illa adversatur, fidem adhibere. Sic Arii, qui, quod res est, Dei Filium Verum Deum, ac non factum credere abnuit, error non levior est, quam ejus, qui falsum numen, quod rei veritati opponitur, impie admittit. Quamquam enim, ut aliam Censoris similitudinem brevi diluam, malum bono magis, minusve opponi potest; tamen falsum æque opponitur vero. Criticæ igitur rationes, quibus veri libri a falsis secernuntur, adeo firmæ sunt, ut sæpe nullius negotii sit videre, quid recipiendum sit ut genuinum, quid respuendum ut nothum, nulla existente librorum confusione. Judicet nunc lector, cum Dallæi argumenta criminationis plena sint & falsitatis, an non inter tot librorum utrorumque millia finita, ac tot sæculis, totque manibus volutata, facile sit, legitimos Patrum libros suppositītiis inconfusos certo statuere, ex illisque veris operibus eruere veterum sententias de Orthodoxis dogmatibus? Nullas enim fraudes in

lau-

Digitized by Google

laudandis Patrum & operibus & documentis Eusebius, Athanasius, Hieronymus, Augustinus, & reliqui veteres laudati fecerunt : qui cum de aliquot libris, qui ficti evincuntur, siluerint; & quibusdam figmentis validissime obstiterint; ac pleraque Patrum scripta, de quibus nullus priscus, nullusque recens eruditus dissentit, palam numerarint : idcirco certa hæc veterum opera, doctrinam, disciplinam, & usum firmo consensu, firma veritate, firmaque Critice docuerunt.

Digitized by Google

Digitized by Google

DISSERTATIO IV.

DE

INVIOLATIS PATRUM CODICIBUS.

Digitized by Google

Digitized by Google

DISSERTATIO IV.

DE INVIOLATIS PATRUM CODICIBUS.

QUum Dallæus mutationis aliquid de Patrum scriptis suspicaretur; & cum ante teneretur adstrictus, quam, quid Codicum esset optimum, judicasset: deinde aut alicujus Scriptoris vetusti dicta perperam interpretatus, aut fallaci cujusdam Recentioris oratione captus, & ad quorumdam verborum immutationem quasi tempestate delatus, ad eam, tanquam ad saxum, adhæsit: quare; ne in istam perturbationem, velut in mare, quod est ventis subjectum, cadamus; Critica Dissertatione adversam periculi, opinationis, errationisque tempestatem vitemus oportet.

§. I.

Quædam Criticæ leges de manuscriptis Codicibus proferuntur.

ORdiamur igitur a scribendi forma, qua primum libri vulgari cæperunt. Siquidem narrat Manetho (a), a Thoth II. Memphis Rege, qui primus Mercurius a Græcis vocatur, primam scribendi rationem per insculptas animalium figuras excogitatam fuisse; & postmodum a Thautho Ægypti Rege, qui secundus Mercurius ab iisdem Græcis dicitur, ea, quæ figuris illis Thoth prior expresserat, vulgaribus litteris exhibita esse: quas fortasse hausit e Moysis scripturis, qui sæculo integro ipsum Thauthum, ut Marshamus ponit (b), antecedens, communibus litteris Hebraicis Pentateuchum conscripsit: ac propterea is prius, quam posterior Thauthus litterarum exempla in Ægyptum inveheret, sacras litteras in tabulis aut lapideis, aut plumbeis, aut ligneis, vel etiam in arborum corticibus exaravit; quippe quorum usum vetustissimum facer Jobi liber edoceat (c). Hinc Epigenes apud Babylonios 720. annorum observationes syderum coctilibus laterculis inscripsit, quemadmodum Plinius dicit (d).

Porro autem Herodotus scribit, Ægy-

(a) *Man. apud Euf. & Syncel.*
(b) *Marf. Sac. I.*

[c] *Job xxxi. 35.*
[d] *Plin. lib. 7. cap. 5.*

Ægyptiorum ſcriptum e (*a*) *dextera in ſiniſtram* ductum, nodoſis quibuſdam, & in rotæ modum implexis apicibus expreſſum fuiſſe; cujus forma quadamtenus Phæniciis characteribus quadrat; quos aliqui putant eoſdem fuiſſe ac Cadmæos. Hebraicos vero characteres ab Ægyptiis, & Phæniciis diſtinguit Origenes ea ratione, quod *Hebræorum lingua patria erat, antequam in Ægyptum pergerent*. Unde Ægyptiorum, & Phænicum characteres quamvis e dextera in ſiniſtram, uti Hebraici, generatim ducti ſint; tamen hi ab illis, ut lingua, ita ſcribendi forma, ſpecialiter differunt.

Tum autem idem Herodotus refert, (*b*) *Phænices ex his, qui cum Cadmo in Bœtiam* Græciæ regionem *venerunt fuiſſe: ab iis litteras, quæ apud Græcos antea non fuerant, in Græciam introductas:* atque hunc *priſtinum* litterarum modum a Græcis una cum earum ſono deinde mutatum, ac ſic propria Græcorum lingua ferme diſtinctum.

Smetius autem de Romanis ſcribit, eos ante Cæſarum imperium litteris ſimplicibus, ac fere ſimilibus uſos: dehinc ab Auguſto uſque ad Antoninorum tempus quadratos characteres adhibitos: hanc vero concinnam litterarum formam, labente imperio Romano, deperditam; ac tandem characteres obliquos, oblongos, impolitos, & rudes invectos fuiſſe. Quibus de rebus ſæpe eruditiſſimo cuique multa quæſita ſunt, & diſputata.

Verum priſcorum librorum materia, quæ ad hanc rem quodammodo pertinere videtur, haud negligenda eſt. Certe a Tabulis lapideis, in quibus Decalogus Dei opera ſcriptus eſt, quaſque utroque latere inſcriptas Moyſes exhibuit, ספר, *liber*, quem ſic idem Propheta appellavit, diſtinguitur; qui ex pluribus tabellis aut ligneis, aut plumbeis, vel ex arborum corticibus ſtylo ferreo exaratis, compoſitus erat. Papyrus autem fuit genus calami ad Nili ripas creſcentis; cujus folia acu quodam ſejuncta, & ſupra tabulas aqua adſperſas poſita, ad Folii latitudinem extendebantur; quorum ſtipes, quo ſimul compacta erant, Codex dictus eſt. Et vero relatus Herodotus teſtatur (*c*), quod, illius calami penuria, *Jones* antiqui explanatas animalium pelles, in quibus aliqua ſcriberent, adhibebant, *priſcaque conſuetudine*, inquit ille, *Βιβλος, libros appellabant pelles*, quas latini veteres nuncuparunt membranas; in quibus quatuor, vel quinque priorum Eccleſiæ ſæculorum Patres Opera ſua paſſim ſcripſere; quæ aliqui uncialibus characteribus, qui ſcilicet pollicis craſſitudine exarabantur, ornarunt, ſicuti S. Hieronymus narrat. (*d*) Præterea Ulphilæ Gothorum Præſuli quarto ſæculo viventi litterarum Gothicarum inventum Socrates tribuit. (*e*) Poſt tertium autem ſæculum Carthas in uſu, qualis etiamnum obtinet, fuiſſe, ex Sancto Hieronymo ante relato colligitur. Jam cum ſextum ſæculum elapſum

(a) *Herod. Euterp. lib. 2. pag. 164. Lugd. edit. an. 1551. & Terpſ. lib. v. pag. 487. dicit, quod Jones* litteras a Phænicibus diſcendo acceperant, eas illi cum ſuis paucula collocantes. *Orig. lib. 3. cont. Cel. num. vi. pag. 451. Tom. 1. Pariſ. edit. an. 1733.*

(b) *Herod. Terpſ. lib. v. pag. 486. & ſeq. Lugd. edit. an. 1551.*

(c) *Herod. ibid. pag. 497.*

[d] *S. Hier. præfat. in Job*

[e] *Socr. in hiſt. Eccl.*

psum esset; Monachi Ægyptii minutis litteris, quas a Coptis acceperant, græca Patrum volumina exscripserunt. Quibus rebus brevi enarratis, ad Criticæ leges, quæ vel inviolatos, vel depravatos Codices spectant, descendimus.

Prior Criticæ Regula de inviolatis Codicibus.

QUum germanos, sive legitimos, & incorruptos libros, aut Codices statuere, Criticæ sit facultatis, quemadmodum antea monuimus; nunc dicere libet, quod vetus Codex inviolatus ille sit, „ qui Autographi ævo aut proximus, aut fere suppar est, aut horum tempora sequitur; simulque antiquis characteribus ubique similibus constat, & quandoque antiquo cujusdam Scriptoris vel testimonio comprobatur, vel indicio „. Siquidem vetusti manuscripti auctoritas ex antiquitate pendet; quam ex litterarum forma, ac notis, exque alicujus veteris indiciis eruditi plerumque dignoscunt.

Quocirca sive nonnulli vetusti Codices aliquid exhibent, quod aliquot alii minime referunt; sive plures quidplam continent, quod in aliis paucis non reperitur: profecto vel unus, & alter antiquus Codex reliquis, vel complures paucis præferendi videntur; dummodo veteris alicujus aut testificatione, aut indicio nitantur; quæ si in antiquo auctore non extant, neve apparent; tum vel alia Scriptoris, cujus est Codex, documenta, vel alterius, qui ejus æqualis, aut ipsi ferme coævus, aut fere suppar extitit, indicia sunt adspicienda; quibus consoni aut pauci Codices, aliquid repræsentantes, vel plures eo carentes, seu una, seu alia ratione cæteris præstant. Sic ista Joannis Apostoli verba, *tres sunt, qui testimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt*, in nonnullis vetustissimis Codicibus, qui antiquissima scribendi forma, & characteribus ubique simillimis exarati sunt, continentur; qui codices pluribus aliis ea non habentibus anteponuntur: quia tum a S. Cypriano, qui tertio sæculo floruit, innuuntur; & quia ab Eugenio Carthaginensi Episcopo, qui sæculo quinto vitam egit, in Professione fidei disserte adlegantur. Alia vero aliorum exempla in Historia Ecclesiastica legere est.

Adde huc, quod, cum antiquius manuscriptum ex ipsius vetustatis ratione primitus posita alteri minus antiquo Codici præstet, illud magis, quam iste, auctoritate valet, dum aut pauci codices cum pluribus, aut plures cum paucis de quapiam re nequaquam conveniunt. At si aliquot libri eodem tempore, vel ævo scripti monstrantur, ac de aliquo textu haud consentiunt; tunc vel ad connexa scriptoris, cujus est opus, documenta, vel ad aliorum veterum auctorum indicia, sicut monuimus, recurramus oportet.

Hinc vetustum autographum, consentientibus reliquis codicibus, testimonii vim obtinet, quam ei ipsa antiquitas tribuit & consensio; quæ tamen characterum formam, tempus, & loca, in quibus illi exarati sunt, facile exponant. Quod si quibusdam in scriptis aliqua varietas insit, tum codicis testimonium eo firmius erit, quo ipse codex vetustior censebitur, vel aliquo veterum indicio firmabitur.

Altera Critica seu de Adulterinis Codicibus.

Licet concurrant, aut diffideant Critici omnes, qui de adulterinis Codicibus quasdam regulas docent; non modo nihil unquam tam clare explicabunt, sed ne hoc quidem ipsum, quam recte concludatur, advertent, nisi levia menda a gravibus distinguantur.

Primum igitur in exemplaribus exscribendis menda fiunt aut omissa littera initiali, ut si pro *Oratio* scribatur *Ratio*; aut relictis aliquibus litteris post priorem syllabam, atque etiam in vocabuli medio, velut quandoque scriptum invenitur *includere* pro *intercludere*, *notio* pro *notatio*; aut prætermissa una littera, ut ingratis pro *ingratiis*. Deinde illa eveniunt & ex additamento unius litteræ propemodum in Dictionis principio, uti *placatissima* pro *pacatissima*, vel integra syllaba in medio addita, velut *æquabiliter* pro *æqualiter*, vel unius litteræ accessione in fine dictionis, ut urbes pro *urbe*: & ex mutatione aut unius vocis, aut unius vocalis in aliam, ut ædes pro *sedes*; *affectus* pro *effectus*: & ex syllabarum inversione, ut *suscipere* pro *suspicere*: tum ex syllabarum aliunde secludendarum conjunctione, ut *sejungere* pro *se jungere*: denique ex interpunctionis defectu, præsertim cum antiquitas puncta neutiquam adhibuerit. Hæc omnia ex vetusti auctoris mente, ejusque contextu, exque reliquis exemplaribus castigari queunt, ac sic plane ipsius auctoris sensum non mutare, ob idque levia menda esse, monstrantur. Quare si quodam in Codice mendum non leve appareat; ut si in ipso *error* legatur pro *terror*, id fane grave erratum censetur; quoniam sensus mutationem adfert; qua proinde levia menda a gravibus differunt.

Cum autem videam hoc diligentissime explicandum; existimo, si quæ litteræ excisio illo in Codice haud perspiciatur, Amanuensis incuria mendum accidisse, atque ita vel ex auctoris scopo, verborumque textu, vel ex alio exemplari corrigendum esse: sin littera gravis expuncta sit, ne illum quidem codicem partim integrum esse, in quo defectus ille sine alicujus fraude intelligi nequit.

At si unius, vel alterius veteris opus omnino perierit, & ab aliquo recentiori aliud & subditum fuerit, aut si cujusdam scripti partes fere omnes depravatæ apparuerint; jam ea scripta ferme supposita appellantur, cum unum, vel alterum volumen, fere quantum est, immutatum cernatur. Sin autem sola quædam alicujus codicis pars corrupta fuerit, tum ista proprie adulterata, & improprie supposita eo dicitur, quod totus liber, ad quem pars refertur, suppositus quam minimum sit. Hic ergo non de prioribus, sed de posteriori differimus, & hanc ferimus legem.

„ Cum aliqua cujusdam manu„ scripti pars aut gravi litterarum „ excisione, aut novæ vocis additamento, aut dissimilium characte„ rum additionibus, quæ auctoris „ sensum valde invertunt, liquido „ constet; tum illud depravatum est, „ quod tamen ab aliis Codicibus, „ qui illis ipsis excisionibus, atque „ additionibus carent, plane secer„ nitur. „

Hujus regulæ exempla in posteriori Dissertatione protulimus, in

qua

qua unus quintæ Synodi Codex, quem Monothelitæ additamentis, & dissimilibus characteribus illius Concilii sensa invertentibus corruperunt, quemque sextæ Synodi Patres ab aliis immutilatis ejusdem quinti Concilii scriptis secreverunt, exhibitus est: itidemque alterum S. Basilii Magni manuscriptum, quod nonnulli errantes Græci aliquarum litterarum excisione, & unius vocis additamento turparunt, quodque ab alio antiquiori, ac prorsus integro ejusdem Basilii Codice Concilii Florentini Theologi secreverunt, expositum fuit. Quo in negotio culpa non vacavit Erasmus, qui eidem Basilio celebris *de Spiritu Sancto* tractatus partem, quæ alteri parti apte respondet, & in vetustis Codicibus incorruptis exhibetur, detrahere ausus est, ac S. Joannis Chrysostomi commentarios in acta Apostolorum non sine maxima injuria mutilavit; quippe quorum commentariorum antiqua, & inviolata manuscripta supersint.

§. II.

Dallæi Opinatio veterum Scriptorum, ac recentium testificationibus reprobatur.

Quamquam Dallæo antiquorum, & recentium exscriptorum exagitatori satis responsum est eo loco, quo a nobis ii defensi sunt; tamen, cum ille aliud caput adversus ipsos conscripserit (*a*), plura suscepi, quibus avocarentur ejusdem commentata; qui priorum, posteriorumque amanuensium, ac librariorum fraude plerosque omnes Patrum Codices non leviter adulteratos fuisse falso pertendit.

Ut autem isthæc exagitentur: primitus statuo, non omnia Patrum scripta graviter immutata, sed pleraque incorrupta esse, cumque nonnullis adulteratis Codicibus haud confusa quæ prioribus, & posterioribus sæculis ipsi scriptores Ecclesiastici concinnarunt, aliive exscripsere.

Primus S. Hieronymus illa in quæstione, quæ est de corruptione librorum, maxime versatus, eam ita dissolvit, ut firmissimo, clarissimoque argumento, Dallæi, aliorumque oppositiones retuderit. Cum enim Ruffinus, ut sæpe diximus, Origenis libros *de principiis*, qui erroribus referti erant, e græco in latinum perperam transtulisset; in istaque versione quædam gravissima illorum operum errata non posuisset; ob idque *multa de Origenis libris subtracta* (*b*) nonnulli putassent; & hoc ipsum Pammachius scripsisset Hieronymo: Hic illi egregie respondit hoc pacto (*c*): *illud vero, quod asserunt, a quibusdam Hæreticis & malevolis hominibus libros ejus esse violatos, quam ineptum sit, hinc probari potest. Quis prudentior, doctior, eloquentior Eusebio, & Didymo, assertoribus Origenis, inveniri potest? quorum alter sex voluminibus τῆς Ἀπολογίας ita eum, ut se, sensisse confirmat: alter sic ejus errores nititur excusare, ut tamen illius esse fateatur,*

(*a*) *Dall. de usu Patr. lib. 1. cap. IV.*
(*b*) *Pammach. in Epist. ad S. Hieron. quæ in hujus Epistolis est 83. pag. 517. Tom. 1. nov. Veron. edit.*
(*c*) *S. Hieron. Epist. 84. ad Pammach. pag. 527. ibid.*

tur, non scriptum negans, sed sensum scribentis edisserens. Aliud est, si qua ab Hæreticis addita sunt; aliud si quis quasi bene dicta defendat. Solus inventus est Origenes, cujus scripta in toto orbe falsarentur, &, quasi ad Mithridatis litteras, omnis veritas uno die de voluminibus illius raderetur. Si unus violatus est liber, num universa ejus Opera, quæ diversis & locis, & temporibus edidit, simul corrumpi potuerunt? . . . quid autem laboris in libris transferendis περὶ Ἀρχῶν *sustinuerim, vestro judicio derelinquo; dum & mutare quippiam de Græco non est vertentis, sed evertentis; & eadem ad verbum exprimere, nequaquam ejus, qui servare velit eloquii venustatem.*

Dehinc Hieronymus idipsum vicit contra Ruffinum; qui quoniam in Epistola ad Macarium effinxerat, eos Origenis libros ab Hæreticis depravatos esse, idque ab isto significatum; idcirco illius commenta Sanctus Doctor elevavit, hæc Ruffini dicta primum exhibens: „ illud est, „ quod desideriorum vir Macarj. „ Te admonitum volo, ut scias, „ hanc quidem Fidei regulam, quam „ de libris ejus supra exposuimus, „ esse talem, quæ & amplectenda, „ & tenenda sit; in omnibus enim „ his Catholicum inesse sensum evi„ denter probatur. „ *Quamvis de Eusebii libro multa subtraxeris* (*a*), *& in bonam partem de Filio, & Spiritu Sancto nisus sis commutare; tamen multa in illo* (*b*) *scandala reperiuntur, & apertissimæ blasphemiæ, quæ iste sua negare non potest, Catholica esse pronuncians. Dicit Eusebius, immo* (*ut Tu vis*) *Pamphilus, in isto volumine, Filium Patris ministrum; Spiritum Sanctum non de eadem Patris, Filiique substantia; animas hominum lapsas esse de Cœlo; & in hoc, quod sumus de Angelis commutati, in restitutione omnium æquales & Angelos, & Dæmones, & homines fore; & multa alia tam impia, & nefaria, quæ etiam replicare sit criminis. Quid faciet assertor Origenis, & interpres Pamphili? Si in his, quæ emendavit, tanta blasphemia est; in illis, quæ ab Hæreticis falsata confingit, quanta sacrilegia continentur? . . . Vir doctissimus Eusebius . . per sex volumina nihil aliud agit, nisi ut Origenem suæ ostendat Fidei* (*c*) *id est, Arianæ perfidiæ. Et multa ponit exempla, & hoc constanter probat. Tibi ergo in quo somnio Alexandrini carceris revelatum est, ut, quæ ille vera profitetur, falsata confingas* (*d*)? . . . *Venit ad Origenem, & his verbis loquitur:* „ ipsius hoc conquerentis, „ & deplorantis scriptis, ac vocibus „ probavimus. Quid enim ipse, „ cum adhuc in carne vivens, sen„ tiens, videnſque perpessus sit de „ librorum suorum, vel sermonum „ corruptionibus, vel adulterinis e„ ditionibus, ex ipsius Epistola, „ quam scribit ad quosdam Caros „ suos Alexandriam, evidenter do„ cetur. „ *Statimque exemplum subjungit Epistolæ, & qui falsitatem scriptorum Origenis Hæreticis imputat: ipse incipit a Falsitate: non ita interpretans, ut habetur in græco, sed id latinis insinuans, quod ipse in suis litteris profitetur. Cumque illa* Epi-

(a) S. *Hieronym. lib. 2. contr. Ruff. pag.* 506. *Tom.* 11.

(b) *Is erat Eusebii liber Apologeticus pro Origene.*

(c) *Ibid. pag.* 507.

(d) *Pag.* 509.

Epiſtola tota Demetrium Alexandrinæ urbis Pontificem laceret, & in totius Orbis Epiſcopos, & Clericos invehatur, & fruſtra ab Eccleſiis excommunicatum eſſe ſe dicat, nec velle in maledictis referre vicem, ne ſcilicet maledicus videatur homo . . . hic diſſimulato argumento Epiſtolæ fingit pro Origene, quod ille non loquitur.

S. Auguſtinus contra Julianum, qui originis peccatum hæreſi negabat, ac quædam latine verſa, & adulterata Sancti Joannis Chryſoſtomi verba de *infantibus* proferebat, ea a græco Originali loco integro ita ſecrevit (*a*) ; *comparans ergo eos Joannes majoribus, quorum propria peccata dimittuntur in baptiſmo, dixit illos* non habere peccata *non ſicut verba ejus ipſe poſuiſti*, non coinquinatos eſſe peccato ; *dum vis utique intelligi, non eos peccato primi hominis inquinatos. Verum hoc non tibi tribuerim, ſed interpreti : quamquam in aliis Codicibus eandem interpretationem habentibus non* peccato, *ſed*, peccatis, *legatur. Unde miror, ſi non aliquis ex numero veſtro ſingularem maluit numerum ſcribere... ſed ſuſpicionibus non agamus, & hic vel Scriptoris error, vel varietas putetur interpretis: ego ipſa verba græca, quæ a Joanne dicta ſunt, ponam:* διὰ τῦτο κἢ τὰ παιδία Βαπτίζομεν, καίτοι ἁμαρτήματα ὀυκ ἔχοντες. *quod eſt latine*, ideo & infantes baptizamus, quamvis peccata non habentes. *Vides certe, non ab eo dictum eſſe*, parvulos non coinquinatos eſſe peccato . . ., *ſed* non habere peccata : *intellige propria*.

Synodus Conſtantinopolitana tertia, generalis ſexta, adverſus Monothelitarum hæreſim anno XXVII. imperii Flavii Conſtantini Auguſti, poſt ejus Conſulatum XIII. annove 680. coacta, idem, quod propoſuimus (*b*), confirmavit : in qua leguntur Patrum teſtimonia duas in Chriſto voluntates, duaſque operationes, Divinam, & Humanam prædicantia, quæ & cum eorum *libris* ad ipſam Synodum S. Agatho Pontifex Summus miſerat, ſuaque in Epiſtola exhibuerat; & ex SS. Juſtini Martyris, Athanaſii, Gregorii Nazianzeni, Gregorii Nyſſeni, Joannis Chryſoſtomi, Ambroſii, Auguſtini, Cyrilli Alexandrini, ac Leonis Magni manuſcriptis deſumpſerat. Cumque his Monothelita Macarius Archiepiſcopus Antiochenus quædam reciſa Patrum enuntiata tribus in Codicibus exſcripta, quæ unam Chriſti voluntatem, & operationem ferebant, objeciſſet : tum in Synodo reſponſum eſt, iſta Teſtimonia *detruncata* eſſe, neque ita in *authenticis Patrum Codicibus*, qui in *Patriarchio* Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ aſſervabantur, extare : ſed in iiſdem Codicibus illa alia Teſtimonia, quæ Agatho protulerat, integre legi. Deinceps ipſo in Concilio *prolati* ſunt *authentici*, atque adeo inviolati illorum Patrum Codices; in quibus ea iſtorum verba, quæ Macarius abſciderat, ac detruncarat, reperta fuere. Ergo ii Patrum Codices integri erant, & aliis corruptis inconfuſi, utpote *authentici :* qui quidem inviolati ad nos uſque pervenerunt, cum duas in Chriſto volun-

(a) S. *Auguſt. lib.* 2. *cont. Jul. cap.* VI. *n.* 22. *pag.* 310. *Tom.* X.

(b) *Concil.* VI. *gen. act.* X. *pag.* 814. *Tom.* VII. *Concil. Lab.*

voluntates, & operationes, quas labente sæculo septimo Codices illi comprehenderunt, quarumque expressionem Monothelitæ e Codicibus suis tum exaratis expunxerunt, contineant. Itaque Agatho Pontifex in Epistola, quam ad Constantinum Imperatorem miserat, quæque laudato in Concilio lecta est, primitus ait (*a*): *præsentes consamulos nostros, Abundantium, Joannem, & Joannem, Reverendissimos Fratres nostros Episcopos, Theodorum, & Georgium dilectissimos Filios nostros Presbyteros, cum dilectissimo Filio nostro Joanne Diacono, & Constantino Subdiacono Sanctæ hujus spiritualis Matris Apostolicæ Sedis, nec non & Theodorum Præsbyterum Legatum Sanctæ Ravennatis Ecclesiæ, & Religiosos Servos Dei Monachos, cum supplici cordis devotione curavimus demandare. Nam apud homines in medio gentium positos, & de labore corporis quotidianum victum cum summa hæsitatione conquirentes, quomodo ad plenum poterit inveniri Scripturarum scientia, nisi quod quæ regulariter a Sanctis, atque Apostolicis Prædecessoribus, & venerabilibus quinque Conciliis definita sunt, cum simplicitate cordis, & sine ambiguitate a Patribus tradita fidei conservamus, unum ac præcipuum bonum habere semper optantes, atque studentes, ut nihil de eis, quæ regulariter definita sunt, minuatur, nihil mutetur, vel augeatur, sed eadem & verbis & sensibus illibata custodiantur? quibus portitoribus & Testimonia aliquorum Sanctorum Patrum, quos hæc Apostolica Christi Ecclesia suscipit, cum eorum libris tradidimus* (*b*). Deinde *Macarius Archiepiscopus Theopoleos Antiochiæ, & Stephanus Præsbyter Monachus, ejus discipulus, & qui cum eis sunt, dixerunt, sufficientes sumus, Domine, in his, quæ jam a nobis prolata sunt, testimoniis Sanctorum, ac probabilium Patrum, & aliud quid proferre nolumus. Piissimus Imperator Constantinus dixit; Tres Codices, qui prolati sunt a parte venerabilis Macarii, sigillentur tam a gloriosissimis judicibus, quamque a parte Apostolicæ Sedis antiquæ Romæ, necnon a parte Sanctæ Sedis hujus Sanctissimæ Magnæ Ecclesiæ, & sigillati sunt. Theodorus, & Georgius Venerabiles Præsbyteri, Joannes Venerabilis Diaconus, qui locum præsentabant Sanctissimi Papæ Apostolicæ Romanæ Sedis, & qui cum eis erant Deo amabiles Episcopi, & Religiosi Clerici, & Monachi dixerunt: piissime Domine, adhuc aliquid de una voluntate, & una operatione non ostenderunt Macarius Deo amabilis Archiepiscopus Antiochiæ, & Stephanus ejus Discipulus, & Petrus Deo amabilis Episcopus Nicomediæ, & Salomon Deo amabilis Episcopus Clauci in Incarnationis Dispensatione Domini nostri Jesu Christi per Testimonia ab eis prolata. Sed & ipsa Testimonia, quæ protulerunt coram vestra pietate, ac Sancta Synodo, Detruncaverunt: & quæ ad Trinitatis quidem attinent rationem de una voluntate, pro Incarnationis dispensatione Domini nostri Jesu Christi protulerunt: quæ vero conveniunt, & quæ proprie pro hujusmodi Incarnationis Dispensatione Domini nostri Jesu Christi posita sunt, tam sensum,* quam

[a] S. *Agatho* R. P. *in Epist. ad Constant. Impe. quæ extat in actione* IV. *Concil.* VI. *Gener. Tom.* VII. *Lab. pag.* 655.

(b) *Ibid. Act.* VI. *pag.* 745.

quam verba detruncaverunt. Unde petimus vestram piissimam fortitudinem, authenticos Codices prolatorum ab eis paternorum Testimoniorum proferri ex venerabili Patriarchio hujus regiæ Civitatis, & conferri cum Codicibus ab eis oblatis, & demonstramus, quæ ab eis in his facta est obvelatio (a). Tum *Georgius Sanctissimus Archiepiscopus Constantinopoleos dixit: suspiciens, pie Domine, omnem virtutem suggestionum directarum ad piissimam vestram fortitudinem tam ab Agathone Sanctissimo Papa Romæ, quam ab ejus Synodo, & scrutans libros Sanctorum, ac probabilium Patrum, qui repositi sunt in venerabili meo Patriarchio, inveni cuncta Testimonia Sanctorum, ac probabilium Patrum, quæ in eisdem suggestionibus continentur, consonantia, & in nullo discrepantia a Sanctis, ac probabilibus Patribus, & consentio eis, & sic profiteor, & credo*. Inde *Constantinus piissimus Imperator, & Sancta Synodus dixerunt* (b): *ex Codicibus nunc prolatis, & recognitis a Macario Venerabili Archiepiscopo Antiochiæ, primus ex eis Codicibus lectione pandatur, ad Collationem authenticorum librorum Sanctorum, ac Venerabilium Patrum, qui reconditi sunt in Venerabili Patriarchio, juxta quod dudum postulata sunt a parte Apostolicæ Sedis Sanctissimi Papæ Romani Agathonis. Georgius Deo amabilis Diaconus, & chartophylax hujus Sanctæ magnæ Dei Ecclesiæ proferat hujusmodi Codices Sanctorum, ac probabilium Patrum de Venerabili Patriarchio, & Prolati sunt, & accipiens per jussionem piissimi nostri Principis Constantini Petrus gloriosus exconsul librum Sancti Athanasii contulit cum hujusmodi primo Codicillo ...* (c) *Sancta Synodus dixit: Ecce, benignissime Domine, & hoc Testimonium abscidit. Nam quæ post Testimonium per jussionem vestræ fortitudinis releguntur, ostendunt deflorationem ejus obumbratam. Et relecta sunt sequentia Testimonia, quæ abscissa sunt a Macario, & Stephano ... ita circumtruncatas Sanctorum Patrum voces deflorare Hæreticorum potius proprium hoc est.*

Denique Bessarion, natione Græcus, & Cardinalis, sæculo XV. illustris, postquam in *Oratione Dogmatica* Spiritum Sanctum a Patre, & Filio procedere, ostendit ex Patribus: tum aliquos, qui eorum opera a latinis depravata volebant, ita coarguit: *Consolamus nobis ipsis, quæ utilia sunt* (d); *& uniri latinis conemur; si ea, quæ placita sunt Deo, facere velimus, aut enim non acceptandi sunt Sancti Doctores, nec dictis eorum acquiescendum; aut acceptandi quidem, & acquiescendum dictis eorum, non tamen omnibus, cum ipsi quoque tanquam homines in quibusdam errare potuerint: aut, quod reliquum, & tertium est, nec in aliquem inciderunt errorem, & cunctis eorum verbis acquiescendum; hæc tamen, quæ latini produxerunt, tanquam illorum sanctorum testimonia, non ex eorum mente procedunt, nec eorum sententiæ sunt, sed latinorum horum fictiones, additiones, & appositiones, manu, menteque aliena libris Sanctorum inscripta.*

At

(a) *Ibid. Act. VIII. pag. 755. & seq.*
[b] *Pag. 779.*
[c] *Ibid. pag. 786. & seq.*

(d) *Bessar. Cardin. in orat. Dogmat. cap. IX. pag. 267. & seq. Tom. XI. Concil. Flor. editi a* Stephano Paulino.

At primorum duorum neutrum certe scio, nec vos adprobatis, nisi quis omnia fidei nostræ fundamenta, Ecclesiæ mysteria, omnem veritatem evertere velit. Reliquum vero & tertium manifesta stultitia, apertissima ignavia est, si tot libros, tot eorum Opera Doctorum, tot eorum labores, tot volumina, præsertim Antiquissima manu nonnulla eorum conscripta, & per totum orbem terrarum sparsa, & multiplicata per ipsum item sequentium ad præcedentia connexum & convenientiam, ipsam veritatem luce clarius ostendentia, temerario ausu corrupta, mutata, & superaddita esse dicemus; maxime cum videamus ipsos quoque nostros etiam antiquiores, & qui in ipsis principiis hujus acerrimi dissidii fuerunt, facientes quidem mentionem auctoritatum Doctorum Occidentalium, nil tamen contra eas habentes, quod dicerent, ratione dignum; quo fit, ut nullo modo quis eas putare debeat corruptas fuisse; siquidem in ipso etiam contentionis principio, eodem modo inscriptum libris erat, potissimum cum nec extent apud nos alia eorum Doctorum Antiqua volumina, lingua latina scripta, ad quæ, facta comparatione, possemus deprehendere eorum corruptionem. Quæ omnia cum animadvertamus, & mente repetamus: non eligamus quæ pejora sunt.

Itaque vetustorum Patrum *unus*, vel alter *liber*, *non universa scripta*, quæ *diversis* & *locis*, & *temporibus*, & *in toto orbe edita* fuerant, *corrumpi potuerunt*: quorum pleraque ut a suis Auctoribus producta, & a nonnullis depravatis sejuncta, Eusebius (*a*), Hieronymus, Augustinus, aliique sex priorum sæculorum Scriptores noverunt. Ac plures veterum *Codices authenticos*, sive originales, & sinceros, a quibusdam in quibus (*b*) *detruncata Patrum Testimonia* exscripta erant, sexta Synodus sæculo septimo labente secrevit. Et nono sæculo Photius (*c*) multos Patrum *Codices* aliquibus *variis* inconfusos probavit. Demum *antiquiora* Patrum *volumina*, in quibus *præcedentium*, & *sequentium convenientia* est, *mutata*, & *corrupta non esse*, sæculo xv. Bessarion ostendit: quorum priorum, posteriorumque Criticorum consensus, & ratio plerosque Patrum libros integros, ac nonnullis mutilis inconfusos, quos nunc legimus, firmiter monstrant.

§. III.

Multæ, ac prolixæ Dallæi oppositiones afferuntur, & enervantur.

„ Scribarum, inquit Dallæus, errores mitto (*d*), qui *non quod inveniunt*, *sed quod intelligunt*, *scribunt*, ut est apud Hieronymum (*e*): illos item, qui de ipsa librorum exscriptione orti sunt. Neque enim fieri potest, ut libri millies intra decem, aut duodecim sæcula in varios Codices traducti, & transcripti, a librariis parum inter se, seu in doctrina, seu inscriptionis charactere, convenientibus, semper, & ubique servarint eundem succum, eun-dem-

(*a*) *Euseb. in Hist. Ecclesiastica*.
(*b*) *In cit. Epist. & in Catal. Aug. ib. Gennad. in Catal.*
(*c*) *Phot. in Praef. 319. & in Cod.*

(*d*) *Dall. de usu Pat. lib. 1. cap. xv. pag. 40. & seq.*
(*e*) *Hier. Epist. ad Lucin.*

„ demque habitum, ipsamque illam „ formam retinuerint, quam olim „ præferebant, cum adhuc recentes „ ab auctoris officina prodirent. Quid „ tineæ, quid blatæ, quid caries, „ sexcentæque hujusmodi temporis „ injuriæ in iis corruperint, prudens „ mitto. Bonas litteras tot sæculis „ sepultas, & veluti in tumulo ja„ centes vermibus erosas, situ & „ pulvere absumptas, in primige„ nium statum restituere, humanæ „ opis non fuit. Hæc omnis gene„ ris librorum fors fuit inde, quæ „ pene omnes scriptores obsidet, le„ ctionum varietas tanta nata est, „ de qua quidem pugnare animus „ non est; licet in rem præsentem „ faciat, & magno præiverint exem„ plo nonnulli; dum tantillum in sa„ cris paginis lectionum varietatem, „ licet nullius, vel saltem minimi „ momenti, ipsi S. Scripturæ in ca„ lumniam vertunt, ejusque, qua „ ipsa per se erga unumquemque „ mortalium pollet, infirmatum eunt „ authoritatem. At si propositum „ nobis esset istorum vestigiis insiste„ re, &, quæ ipsi de sacra Scriptu„ ra dicunt, & colligunt, ea ad Pa„ trum scripta applicare, id longe „ potiori jure facere possemus, cum „ nullo modo fiat verisimile, non „ plures ejusmodi depravationes ve„ terum scripta passa fuisse, quam „ volumina divina, cum hæc longe „ majori studio, quam illa alia, in „ Ecclesia asservata, apud omnes na„ tiones memoriæ mandata, in om„ nes linguas transfusa, ab omnibus „ sectis, orthodoxis, & hæreticis, „ Græcis, & latinis, sarmatis, & E„ thiopibus recepta fuerit, aliisalio„ rum oculos, & manus accurate ob„ servantibus, itaut ne minima qui„ dem, quæ ullius esset momenti, „ depravatio accidere potuerit, quin „ universus insurgeret orbis, & de il„ lata injuria apud omnes ubique „ quereretur. At Patrum libri ma„ ximam partem negligenter habiti, „ & oscitanter transcripti, lectique „ fuere, idque a paucis, & raro, „ adeout vix noti fuerint, nisi suæ „ linguæ hominibus, quo factum, „ ut in ejusmodi depravationes pro„ nior lapsus, eorumque animadver„ sio difficilior fuerit. Stylus item „ & obscuritas quorumdam peculia„ ris facit, ut quælibet immutatio„ nes majoris sint momenti; e.g. in „ manus sumatur Tertullianus, vo„ culam si addideris, vel sustuleris, „ vel levissime immutaveris, pun„ ctum, vel virgulam alieno loco si „ posueris, sensum adeo interturba„ veris, ut quid sibi velit, nulla ra„ tione queas exculpere. At in scri„ ptis facile fluentibus, apertis, & „ perspicuis, cujusmodi sunt passim „ S. Scripturæ, ista minus sunt no„ xia, cum adeo obscurari sensus ne„ queant, quin levi negotio percipi „ possint. Sed argutias istas tanquam „ Pyrrhoniis & Accademicis omnia „ in dubium vocantibus, potius, quam „ christianis, quo fidem suam ful„ ciant, ingenue & candide quæren„ tibus, convenientes omitto. Neam „ tantum de mutationibus, quas fa„ cere instituerunt, qui scienter & „ de industria veterum Patrum sen„ tentiam vel silentio obruere, vel „ adulterare, vel ampliare studue„ runt. Eæ duum sunt generum, „ quædam enim ab animo non ma„ lo profectæ sunt; aliæ vero ad „ fraudem, & fucum faciendum com„ paratæ. Aliæ rursus jam olim pro„ cusæ: aliæ vero postremis hisce „ Patrum nostrorum, aut nostris de„ mum temporibus fabricatæ sunt:

„ fuere denique, qui auctores ipsos „ aliquid de suo, & quod non habebant, attexuerunt. Alii auctores truncaverunt, & quod ad palatum non faciebat, sustulerunt. „ Nec mirum videri debet, rudes & „ incautos veteres has artes dedignatos non fuisse, cum aliquando „ non magna ipsis esset religio totos libros auctoribus non veris propter bonum finem supponere; quod „ quidem inceptum, quam istud, „ magis insolens, & audax mihi vitur, cum non dubium sit, monetam improbam cudere, gravius esse crimen, quam probam tantillum circumcidere, vel adulterare. „ Mortalium animis hæc semper insedit opinio, ad auctoritatem conciliandum veritati & rebus bonis „ expedire, ut quicquid obesset, aut „ remorari possit, de via amoveatur, &, quæ in rem conferre possunt, apponere, vel saltem non „ tollere, quæcumquealias hæc, vel „ illa sint, periculo vacare. Inde nobis tot antiquæ suppositiones profluxere. Hinc nobis natæ tot miraculorum, & visionum adeo stupendæ narrationes, multis confingere amantibus *Dæmonum contra se pugnantium portenta*, ut est apud „ Hieronymum, (a) & alia ejusmodi „ commenta a cautioribus etiam animadversa, nec minus tamen tolerata, & nonnunquam commendata. Sed quod magis mirum videatur, etiamnum hodie eorum ipsorum nonnulli, qui se ab istis „ versutiis maximopere abhorrere profitentur, sibi tamen temperare nequeunt, quin, si quos edant veterum „ libros, in iis quidquid a sententia, quam veram censent, vel „ minimum discrepat, statim deleant, vel interpolent. Verum „ quicquid sit de fallacia ista: satis mihi est ad hoc, quod ago, eam in hoc ipso argumento jam olim usurpatam fuisse. Hæretici quidem hujus fraudis „ semper suspecti fuerunt. Omitto „ ea, quæ antiquissimi in scripturis „ ipsis pro viribus adulteraverunt. „ Eorum si specimen videre animus „ sit, idque notatu dignissimum, „ adeundi sunt Tertullianus, & Epiphanius, apud quos videre est, „ quam misere Marcion Lucæ Evangelium, & quascumque admittebat, Pauli epistolas, truncaret, & „ depravaret. Quæ subsecuta sunt „ sæcula, in hisce rebus religiosiora „ non fuerunt. Patet id ex Ruffini „ in expositione symboli, & in tractatu de hoc argumento, querimoniis, contradicente quidem Hieronymo, sed quantum ad Hypothesim, Origenem videlicet, sed „ minime omnium quantum ad Thesin ipsam. Nec aliena ab his legere est apud Cyrillum (b), & veterum alios multos, immo & inter recentiores apud eos ipsos, qui „ Romæ Concilia generalia prælo „ subjecerunt. Queruntur illi Præfatione; quam primo volumini præfixerunt, temporis injuria, & hæreticorum fraudibus factum fuisse, „ ne Conciliorum illorum acta integra habeamus, neve quæ ex iis „ supersunt, pura, atque sincera sint. „ Quod certe testimonium instar est „ mille aliorum, cum, meo judicio „ homo hominum plurimum referret „ alia omnia proloqui. Quid enim? Si

(a) *Hier. Epist. ad Rustic.*

(b) *Cyril. Ep. ad Joan. Antioc.*

„ Si Roma Concilia, quæ pro Ecclesiæ Canone habet, ulla ratione „ perire passa est, quid reliquis factum est? quid in iis vel hæretici, vel schismatici non potuerunt? „ Si vere omnia illa monumenta istorum fraude depravata fuerunt, quomodo quæ de controversiis nostris „ fuerit veterum sententia, ex iis „ hauriemus? Neque negaverim, mihi non parum mirum videri, & „ quod tanti Conciliorum acta faciant, & quod tam acriter in hæreticos propter eorum partem aliquam suppressam, & abolitam invehantur. Si enim tanto usui nobis esse possunt monumenta ista, „ cur hi nobis Concilii Tridentini „ acta invident, quo nullum ab octingentis retro annis majoris momenti apud christianos habitum est, „ sive latinos ipsos, sive latinorum „ adversarios protestantes spectemus? „ Sed deinceps inquiramus, annon & „ Ecclesiæ homines ad veterum scriptorum depravationem aliquid contulerunt. Refert Epiphanius (a) in „ bonis, & emendatis S. Lucæ exemplaribus legi Christum flevisse, eoque testimonio usum Irenæum. „ Sed catholicos timore quodam inductos vocem sustulisse, ne ea Hæretici abuterentur. Verane hæc narratio, an falsa sit, fides penes auctorem esto: hoc unum inde quidem, ut mihi videtur, evidentissime colligo, nullam veteribus catholicis religionem futuram fuisse, vocem aliquam, si eam sententiæ suæ repugnare, aut hæreticorum corruptelis obnoxiam esse „ censerent, ex Patrum scriptis expungere. Cum, Epiphanio auctore, „ ne ipsi quidem Filii Dei Evangelio parceretur, an majore religione scripta humana habita fuisse, „ probabile est? Ruffinus certe in „ pretio, & Fratris loco ante exortam cum eo simultatem habitus „ ab Hieronymo, & ab Augustino (b) „ etiam, qui ægerrime se eorum discordiam ferre testatur, & a Gennadio cum magno elogio Scriptorum Ecclesiasticorum Catalogo insertus, tanta licentia in scriptis „ Origenis, Eusebii, & aliorum, quæ „ de Græcis latina fecit, versatus „ est, ut nulla in ejus interpretationibus pagina occurrat, in qua non „ aliquid truncarit, vel addiderit, vel interpolarit. Hieronymus „ licet inimicitias cum eo exerceret; „ tamen in hoc cum illo sensisse comperitur, ipseque passim agnoscit, „ se Origenem (c) vertisse in latinum, „ sed ita, ut noxia quæque truncaverit, utilia tantum reservaverit, & „ mala in bonorum interpretatione „ subtraxerit; quod si quid intelligo, „ significat, si quid cum sententia, „ quæ tum temporis apud christianos obtinebat, pugnaret, rudibusque offensioni esse posset, id ab ipso expunctum, & amputatum fuisse in versione, quam adornavit; „ eandemque interpretandi methodum „ secutos fuisse Hilarium, & Eusebium Episcopum Vercellensem, docet. Alibi Procemio in librum Eusebii de locis hæbraicis profitetur, „ se omisisse, quæ digna memoria „ non sunt visa, & pleraque mutasse. Ut videas autem, illud ei in „ more positum fuisse, confer, si pla-

P 2

(a) *Epiph. in Anch.*
(b) *Aug. Epist. ad Hier.*
(c) *Hier. Epist. ad Theoph. & Apol. cont. Ruf.*

,, placet, Chronicon ejus latinum cum
,, iis, quæ ſuperſunt ex Græco Eu-
,, ſebii: ex eo facile videbis, quan-
,, tum ſibi veteres in ſcriptis alienis
,, permiſerint, ac indulſerint. His
,, tanto exemplo præeuntibus magi-
,, ſtris quis dubitet, quin eorum di-
,, ſcipuli e ſuis ſeu verſionibus, ſeu
,, etiam exemplaribus quæcumque vel
,, cum ſententiis, vel cum moribus
,, ſuo tempore in Eccleſia receptis
,, non convenirent, cum cura expun-
,, xerint? immo etiam ſicuti de-
,, erant, quæ opportuno loco iis pon-
,, dus, & authoritatem conciliarent,
,, quin, quæ ex uſu eſſe judicarent,
,, addiderint; unde alias nobis nata
,, eſſent in veteribus tot loca hiul-
,, ca, tot moleſtæ laciniæ, tot ine-
,, ptiſſime aſſuta, quæ paſſim inter
,, legendum occurrunt? profecto non
,, aliud clamat illa pulſus, ſpirituſ-
,, que inæqualitas, quam in eodem
,, opere, minimo ſpatio, legendo ex-
,, perimur. Unde in Patrum libris
,, marginales illæ notæ, *hic vide-*
,, *tur*(a),, aliquis aſſuiſſe ſuas nugas,,,
,, & aliæ ejuſmodi. Et Ludovici
,, Vives ad Auguſtini de civitate Dei
,, librum XXI. adnotatio, *decem*, *aut*
,, *duodecim verſus*, *qui capite* XXIV.
,, habentur, & quibus diſerte Purga- ,,
,, torium docetur, in antiquis libris ,,
,, Brugenſi, & Colonienſi non legi, ,,
,, ut neque in exemplaribus Fribur- ,,
,, gi excuſis, immo & carere iis exem- ,,
,, plar Pariſienſe, ut teſtantur, qui e- ,,
,, ditioni 1531. præfuerunt. ,, Holſte-
,, nius præfatione in Athanaſii ope-
,, ra, teſtatur, ſe, in Bibliothecæ
,, Regiæ manuſcriptis, multa Patrum
,, monumenta hoc modo fœdata in-
,, veniſſe: ,, Neque, inquit, ſolius Atha-
,, naſii ea fortuna, ut ineptiſſimorum ,,
,, interpolatorum manus ſubiret, cum ,,
,, Chryſoſtomi, Procli, aliorumque ,,
,, homilias ſimilibus ſequiorum ſæ- ,,
,, culorum ineptiis fœdatas in iiſdem ,,
,, Regiis Codicibus invenerim. ,,
,, Sed omittere non poſſum, has
,, depravationes in monumentis Sa-
,, cratiſſimis, & maxime publicis,
,, cujuſmodi fuere Eccleſiæ liturgiæ,
,, & ſimilia, locum habuiſſe. Hanc
,, autem obſervationem, quo majo-
,, ris ſit momenti, Andreæ Maſii ver-
,, bis referre animus eſt. Is igitur
,, cum animadverteret, breviorem
,, eſſe apud Syros, quam apud Græ-
,, cos, S. Baſilii Liturgiam, hanc
,, ejus rei affert rationem: (b),, quip- ,,
,, pe is, inquit, fuit perpetuo homi- ,,
,, num in religione ſenſus, ut intra ,,
,, præſcriptas a patribus cærimonias, ,,
,, quantumvis ſanctiſſimas, ſe ſe con- ,,
,, tineri pauci potuerint. Unde pro ,,
,, temporis tractu ad illas pro vario ,,
,, Antiſtitum pietatis affectu alia ,,
,, atque alia addita; multa etiam ,,
,, mutata videre eſt, & quod eſt lon- ,,
,, ge majus malum, non paucas e- ,,
,, tiam ſuperſtitiones eſſe enatas; qua ,,
,, in re mihi videntur fuiſſe Syri tan- ,,
,, to Græcis, Latiniſque temperantio- ,,
,, res, quanto minus in tranquillo, ,,
,, ne dicam luxurioſo, apud illos ,,
,, chriſtiana res ſtatu eſt verſata. ,, At-
,, que hæc quidem eruditiſſimus Ma-
,, ſius. Sic etiam Caſſander, qui in-
,, nocentiſſime in antiquitate verſa-
,, tus eſt, agnoſcit, & ex aliis au-
,, ctoribus probat, veteribus liturgiis
,, multa paulatim addita fuiſſe. Ean-
,, dem rationem ſecutos Canonum
,, Eccleſiaſticorum collectores obſer-
,, vat eruditiſſimus Sirmondus: ,, quos
ait,

[a] *To. xv. op. Ami. lib. 2. de Abrah.*

[b] *Andr. Maſ. præfat. in Liturg. Syr.*

„ ait, (a) in Conciliorum Canoni- „ bus ea ſæpe reſecare, & immuta- „ re, quæ vel obſoleta & inutilia ju- „ dicant, vel a ſui ævi moribus alie- „ na. „ Canon erat Concilii Cartha- „ ginenſis quarti: *Clericus ne comam* „ *nutriat*, *nec barbam radat*: Hic Ca- „ non in decretalibus ſic mutilatus „ recitatur: *Si quis ex Clericis comam* „ *relaxaverit*, *anathema ſit*. (b) Cur? „ quia nimirum, inquit Sirmondus, „ poſtquam contra Canonem radi a „ Clericis barba cœpit, Canonem, „ qui vetaret, extare non placuit. „ Canon erat, eodem quoque Sir- „ mondo ex manuſcriptis libris au- „ ctore, Arauſicanæ I. Synodi negans „ chriſma ſemel in baptiſmo acce- „ ptum repeti poſtea neceſſe eſſe, „ non ut præjudicans quicquam, in- „ quit, ſed ut neceſſaria habeatur „ repetita chriſmatio. „ Gratianus Ca- „ nonem ſic effingit, ac ſi plane con- „ tra affirmaret, chriſmatis repeti- „ tionem eſſe neceſſariam: *non præ-* „ *judicantes cuiquam hoc dicimus*, in- „ quit, *ſed ut neceſſaria habeatur* „ *chriſmatio*. Sic quoque in ſecundo „ noviſſimæ Conciliorum editionis „ tomo legitur, addito in fine partici- „ pio, *repetita*. Unde tanta muta- „ tio? „ Nempe Gratianus Canonem „ adempta clauſulæ negatione ad „ temporum ſuorum conſuetudinem, „ inquit Sirmondus, jure ac more „ ſuo accommodavit. Gratiani ſcili- „ cet ſæculo, ut & noſtro, Chriſma- „ tum non putant latini, niſi quem „ Epiſcopus etiam poſt acceptum a „ Presbytero in baptiſmate chriſma „ denuo chriſmaverit. Auraſicano- „ rum Patrum ævo ſemel in baptiſ- „ mo acceptum chriſma ſatis erat: „ quod utriuſque chriſmationis & „ Presbyteralis, & Epiſcopalis eadem „ eſſet ratio; quæ nunc ita inter ſe „ differunt, ut hæc ſola verum ſa- „ cramentum, illa mera ſacramen- „ ti, id eſt baptiſmi, cærimonia cen- „ ſeatur. Canon erat Trullanus 36. „ *renovantes*, quæ a cl. *Patribus in* „ *hac a Deo conſervanda*, & *regia* „ *urbe* &c. *conſtituta ſunt*, *decerni-* „ *mus*, *ut Thronus Conſtantinopolita-* „ *nus æqualia privilegia cum antiquæ* „ *Romæ Throno obtineat*, & *in Ec-* „ *cleſiaſticis ut ille rebus*, *magnificat*, „ *ut qui ſit poſt illum ſecundus*. Et „ hunc quoque ſolertiſſimus Gratia- „ nus ad ſui ſæculi guſtum ita tem- „ peravit, *renovantes*, inquit, *Sancti* „ *Conſtantinopolitani decreta Concilii*, „ *petimus*, *ut Conſtantinopolitana ſe-* „ *des ſimilia privilegia*, *quæ ſuperior* „ *Romana habet*, *accipiat*, *non tamen* „ *in Eccleſiaſticis rebus magnificetur* „ *ut illa*: *ſed hæc ſecunda poſt illam* „ *exiſtens*, *priuſquam Alexandrina Se-* „ *des numeretur*. Gregorianos Cen- „ ſores perfidiæ puduit. Hi enim non „ hæc, quæ & omnes veteres Gra- „ tiani libri habent, & ipſa ſenten- „ tiæ per voculam adverſativam ſed „ connexæ ratio neceſſario flagitat; „ ſed alia plane contraria ediderunt „ hoc modo: *ſimilia* &c. *privilegia* „ *accipiat*. *Necnon in Eccleſiaſticis* „ &c. Sed liquet, Gratianum jure „ illo ſuo, quod ei tribuit Sirmon- „ dus hic quoque uſum eſſe; jure „ ſcilicet quodvis pro Re Romana „ mentiendi, fingendique, quo & „ alibi uſus eſt, non ſemel; ut cum „ Canonem Synodi Carthaginenſis „ IV ſimpliciter vetantem, *ne mu-* „ *lier*, *quamvis docta*, *aliquas bapti-* zare

(a) *Sirm. Antir.* 1. c. 8.

(b) *Decret. lib.* 3. *Tit.* 2. §. 4.

„ *zare præsumat*. (*a*) ipse, ne suos „ pulsaret, qui mulieri etiam indo- „ ctæ baptizandi jus in necessitate „ concedunt, adhibita exceptione ita „ callide diluit, *Mulier quamvis do-* „ *cta*, & *Sancta*, *viros in Conventu* „ docere, *vel aliquos baptizare non* „ *præsumat*, *nisi necessitate cogente*. „ Ita enim scripsisse Gratianum, „ non autem quomodo ediderunt „ Gregoriani Censores, & omnes li- „ bri veteres tum manuscripti, tum „ typis excusi docent, & firmat Lom- „ bardus, Canonem (*b*) in hunc quo- „ que modum adulteratum referens. „ Eandem artem alibi in molliendo „ Milevitanorum (*c*) Patrum Canone „ adhibet, dum quod illi olim sim- „ pliciter, & absolute decreverunt „ excommunicandos, quicumque trans „ mare appellassent, ipse cum exce- „ ptione sic recitat: (*d*) *ad transmari-* „ *nos autem qui putaverit appellan-* „ *dum*, *nulla intra Africam in commu-* „ *nione suscipiatur*, *nisi forte Roma-* „ *nam Sedem appellaverit*. (*e*) Plura alia „ sunt exempla. Ego unum addam, „ quo Gratianus ex suo illo jure, mo- „ reque ad Decretales suorum Ponti- „ ficum Epistolas detorsit, quæ Augu- „ stinus de divinis Apostolorum lit- „ teris scripserat. Verba Augustini „ erant; *in Canonicis autem Scriptu-* „ *ris Ecclesiarum Catholicarum quam-* „ *plurimum auctoritatem sequatur*; „ *inter quas illæ sunt*, *quæ Apostoli-* „ *cas Sedes habere*, & *Epistolas acci-* „ *pere meruerunt*. (*f*) Ex his latinus „ Canonum Rhapsodus ad præsen- „ tem Ecclesiæ suæ usum mirabili- „ ter transformatis ista, quæ sequun- „ tur, effecit, nobisque pro vere Au- „ gustinianis in suis divini scilicet „ juris tabulis propinavit: *in Cano-* „ *nicis Scripturis Ecclesiarum Catho-* „ *licarum quam plurimum*, *divinarum* „ *Scripturarum solertissimus indaga-* „ *tor*, *auctoritatem sequatur*, *inter* „ *quas sane illæ sunt*, *quas Apostolica* „ *Sedes habere*, & *ab ea alii merue-* „ *runt accipere Epistolas*. Ex quibus „ colligit, quod & præfert ipse titu- „ lus, *decretales Epistolas inter Scri-* „ *pturas Canonicas connumerari*. (*g*) „ Immanem hominis audaciam ca- „ stigavit Alphonsus a Castro. „

„ Hac ratione prout est immuta- „ tus orbis, secum etiam quæ sibi „ supererant ex antiquitate reliquiæ „ eas immutari voluit, itaut vehe- „ menter metuendum sit, ne sæpe „ numero, dum in personatis istis „ scriptoribus veræ antiquitatis ser- „ monem genuinum, vividumque co- „ lorem inquirimus, oleum, & ope- „ ram perdamus. His doctoribus di- „ dicit Eusebius in Chronico, Te- „ lesphorum quadragesimæ jejunium, „ Pium vero, utrumque Episcopum „ Romanum, diem Dominicum in- „ stituisse; quæ sane ne per somnium „ quidem bono Eusebio in mentem „ venerunt unquam, ut patet ex ma- „ nuscriptis quibusdam, in quibus „ de his capitibus, licet recentiori- „ bus longe acceptissimis, altum est „ silentium. (*h*) Sed ut ad tempo- „ ris seriem redeamus, crevit licen- „ tia ista, prout sæcula in pejus rue- „ bant, &, dum ab auctorum ipso- „ rum ætate recedebatur, fallacias „ istas revincere difficilius in dies evade-

(a) *Syn. Carth. IV. Can.* 99.
(b) *Lomb. lib. IV. sent. d.* 6.
(c) *Concil. Milev. Can.* 22.
(d) *Grat.* 4. *Caus.* 2. *p.* 5. *cap.* 35.
(e) *q.* 6. *cap.* Sic enim.
(f) *S. Aug. Lib.* 1. *de doctr. Christ. c.* 8.
(g) *Alph. a Castro lib.* 1. *cap.* 2. *adv. hær.*
(h) *Vide Perroni. Repl.*

„ evadebat: maxime cum clarissima
„ Ecclesiæ lumina ab his artibus
„ aliquando non abstinerent, &
„ suo exemplo singulis ad ejusmo-
„ di audenda, animum adderent.
„ Nam, amabo te, nonne stupen-
„ dum est, Leonis Papæ legatos jam
„ anno 451. coram toto Concilio Chal-
„ cedonensi, (a) apud sexcentos se-
„ lectissimos Episcopos, totius Ec-
„ clesiæ florem, sextum Canonem
„ Concilii Nicæni recitasse cum hi-
„ sce, in quibus rei summa verti-
„ tur, verbis: *Ecclesiam Romanam*
„ *semper Primatum habuisse*; quæ non
„ magis, quam Africa Zosimo, ob-
„ trusi Canones, in ullo Codicum
„ Græcorum inventa sunt: neque ho-
„ die habentur vel in codicibus Græ-
„ cis, vel latinis, vel in editione
„ Dionysii exigui, qui annis quin-
„ quaginta post vixit. Cum mecum
„ reputo, tam Sancti Pontificis Le-
„ gatos ejusmodi lacinia tam vene-
„ rabilem Canonem fœdare non du-
„ bitasse: pene in eam adducor sen-
„ tentiam, ut ex antiquitate nihil
„ sani, nihil incorrupti superesse exi-
„ stimem, præter ea quæ nullius
„ fuere momenti, vel quæ sine sum-
„ ma infamia, & omnibus reclaman-
„ tibus contaminari, & alterari non
„ potuere. Septuaginta quatuor an-
„ nis post Concilium Chalcedonense
„ proxime nominatus Dionysius exi-
„ guus Romæ instituit Canones col-
„ ligere, ejusque Codex ex antiquis-
„ simorum manuscriptorum fide non
„ ita pridem cum privilegio Regis
„ Parisiis excusus est. Quisquis cum
„ cura eum evolvet, plurima depra-
„ vata fuisse animadvertet, quorum
„ hic exempla aliquot subjiciam, ut
„ pateat, quam antiquus sit techna-
„ rum istarum inter christianos usus.
„ Cum postremus Concilii Laodicen-
„ sis Canon, qui est 163. Codi-
„ cis Græci, Ecclesiæ universæ, in
„ Ecclesia libros ullos alios legi,
„ præterquam Canonicos, prohi-
„ beat: eosdem omnes ordine re-
„ censet. Inseruit quidem in Co-
„ dice suo Dionysius exiguus prin-
„ cipium Canonis, quo prohibetur,
„ ne præter veteris, & novi Testa-
„ menti volumina, ulli alii libri le-
„ gantur; sed eorumdem librorum
„ catalogum prorsus omisit, veritus,
„ reor, ne Ecclesiam Romanam of-
„ fenderet, in qua multis ante annis
„ Innocentius Pontifex in veteris Te-
„ stamenti Canonem retulerat Ma-
„ chabæos, sapientiam, Ecclesiasti-
„ cum, Tobiam, Judith; quorum
„ apud Patres Laodicenos nulla est
„ mentio, cum 22. capitum veteris
„ testamenti librorum meminerit, &
„ novo de Apocalypsi tacuerit. Si
„ cui rescissionis istius probabilior
„ occurrat ratio, per me eam edat
„ licet: mihi quidem ea visa est ve-
„ risimillima. Verum quicquid sit,
„ quo Consilio Dionysius exiguus Ca-
„ nonem illum truncarit, divinare
„ non tenemur: qualecunque enim
„ fuerit, satis est, inde apparere,
„ jam tum nulli fuisse apud christia-
„ nos religioni Canonum ipsorum
„ textum decurtare, quoties ita opus
„ erat. Quod si magno nostro bono
„ Canon ille in variis aliis antiqui-
„ tatis monumentis, velut in Græ-
„ corum collectione, immo & in an-
„ tiquis Galliæ Conciliis integer, &
„ incorruptus non perstitisset; pror-
„ sus nunc nesciremus, quæ super S.
Scri-

(a) Concil. Chalc. act. xvi.

Digitized by Google

» Scripturarum Canone Patrum Laodicenorum fuerit sententia. Fateor, latinos habere, quod regerant, nec Græcos id impune ferre. Ajunt enim latini, Græcos e sua Codicis Canonum Ecclesiæ Africanæ interpretatione expunxisse libros Machabæorum e Catalogo Scripturarum, qui habetur Canone 24. collectionis ipsorum præter fidem omnium exemplarium latinorum tam typis excusorum, quam manuscriptorum, referente Cardinali Perronio. Etsi non desint, qui testentur, in collectione Cresconii Episcopi Africani Manuscripta in hoc Canone nullam Machabæorum fieri mentionem. Exhibet nobis deinceps Codex Græcus septem Canones Concilii Constantinopolitani I., qui extant etiam apud Balsamonem, & Zonaram, & in editione græco-latina Conciliorum Generalium Romæ excusorum. Horum tres postremi in Dionysii Codice latino desiderantur, licet propter argumentum, quod complectuntur, non levis sint momenti; instituitur enim in iis ordo servandus cum in judiciis de Episcopis, qui accusantur, tum in admittendis iis, qui ab Hæreticis ad Ecclesiæ communionem transeunt. Difficile est statuere, quid Collectorem ad Concilium hoc truncandum impulerit. Hoc tamen scio, in Canone VI., quem ille inter alios omittit, quique de judicandis iis Episcopis agit, qui in crimen vocantur, de apellationibus Sedis Romanæ nullam fieri mentionem, neque item de causis ullis reservatus, in quibus Soli Papæ de Episcopis judicium ferre liceat. Jus, & arbitrium omnes ejusmodi causas cognoscendi, & componendi, in Synodos Provinciales, & Diœcesanas plane, & sine ulla exceptione confertur. Sive autem additamentum illud ad Concilium Constantinopolitanum assuerint Græci, quod minime sit verisimile; sive Dionysius, vel Ecclesia Romana id consciderint; inde saltem patet, scripta Ecclesiastica truncandi, vel intartis additamentis corrumpendi audaciam non nunc primum in usu esse cœpisse. In Codice græco post Canones Constantinopolitanos sequuntur octo Canones universalis Concilii Ephesini, qui referuntur item a Balsamone, & Zonara, & excusi quoque habentur cum actis ejusdem Concilii Ephesini primo tomo editionis Romanæ: sed apud Dionysium Exiguum nusquam occurrunt, nec facile dixeris, cur eos ille omiserit, nisi forsan gravis, & molestus ei fuit Canon octavus, in quo scilicet decernitur, ut Episcopi Cyprii suas ipsi ordinationes faciant non adhibito Patriarcha Antiocheno, & ut idem in aliis Provinciis, & Diœcesibus fiat.., ac ne *sub prætextu administrationis rerum sacrarum fastus potentiæ mundanæ in Ecclesiam irrepat, imprudenterque libertatem, quam nobis sanguine suo Dominus noster Jesus Christus dedit, paulatim amittamus*. An hæc constitutio, & hæc verba metum latinis injecerint, ac effecerint, quominus reciperent Canones Ephesinos in suum Codicem, haud equidem scio: attamen nusquam in eo comparent, & jam sunt 750. anni, ex quo Anastasius Papæ Bibliothecarius non inveniri in vetustissimis exemplaribus latinis testa-

„ testatus est, (a) Græcosque, quasi „ eos supposuissent, criminatus est. „ Sive autem Græci eos confinxerint, „ sive eos Latini expunxerint, hoc „ constat, jam ab octingentis annis „ fraudem esse factam. Sed in eo, „ quod sequitur, exemplo vix ullus „ est de fraudis auctore dubitandi „ locus. Codex Græcus numero 106. „ pro Canone 28. Æcumenici Con- „ cilii Chalcedonensis nobis exhibet „ decretum Patrum istorum, quo, „ perinde ac in primo Concilio Con- „ stantinopolitano, definiunt, ut quan- „ doquidem Constantinopolis sena- „ tus, & imperii sedes est, æquisque „ cum veteri Roma honoris præro- „ gativis prædita est, in negotiis Ec- „ clesiasticis exaltetur ut illa, cum „ secunda esset post eam: & ut ejus „ sit ordinare Metropolitanos trium „ Diæceseon, Ponti, Asiæ, & Traciæ. „ Balsamon, Zonaras, atque adeo „ Canonistæ Græci omnes eundem „ Canonem iisdem verbis referunt. „ Historici Ecclesiastici plerique cum „ Græci, tum Latini, id constitutum „ fuisse Chalcedone testati sunt, rem- „ que totam, prout gesta est, in ip- „ sis Concilii actis legere est; atta- „ men apud Dionysium exiguum nul- „ lum Canonis istius vestigium e- „ stat, quasi de eo Chalcedone ne „ verbum quidem unquam factum fue- „ rit. Pontificem Leonem, & suc- „ cessores ejus nonnullos Canonem „ istum repudiasse nescii non sumus. „ Sed qui nobis spondet, se regulas „ Ecclesiasticas ordine digesturum, „ ac de græco in latinum sermonem „ conversas editurum, ista adeo in- „ signem quo jure, aut quomodo po- „ tuit omittere. Si alia periissent mo- „ numenta, unquam ne nobis in „ mentem venisset, aliquid simile „ Chalcedone vel tentatum fuisse? „ Unde, & qua ratione de 630. isto- „ rum Patrum, qui illuc super isto, „ summi inter hujus temporis con- „ troversias momenti capite, conve- „ nerunt sententia nobis constitisset „ fluxere undecim sæcula, ex quo „ omissio illa facta est. Quis in tot „ aliis sive Conciliorum, sive scri- „ ptorum privatorum monumentis „ Græcos, vel Latinos, similibus ar- „ tibus non lusisse idonee cavebit? „ Ex his, quæ ad cognitionem no- „ stram venerunt, quis non colligat, „ alias multas, & magno numero nos „ fugisse, inter veterum libros im- „ prudens versaris, quasi quæ fuerit „ eorum genuina sententia, ex iis „ habiturus, ut ecce jam ineunte „ sexto sæculo si quid vel in Sacra- „ tissimis monumentis minus cum „ receptis illis temporibus opinioni- „ bus convenire visum est, nulla re- „ ligione sublatum est, quantumvis „ nullo alio argumento id factitatum „ fuisse nobis constaret, nonne hoc „ uno satis doceremur, nobis hic „ viam quasi prætentandam, magna- „ que cautione opus esse. Sequitur no- „ tanda maxime insignis Epistolæ „ Adriani I. ad Imperatorem Con- „ stantinum, tempore Concilii Ni- „ cæni secundi, Depravatio; nam „ in editione Anastasii, quæ abhinc „ septingentis, & quinquaginta an- „ nis facta est, Adrianus de sedis „ suæ Primatu magnifice disserit, „ Græcosque, quod Tarasium Patriar- „ cham Constantinopolitanum *Œcu-* „ *menicum Episcopum* dixissent, ex- „ cipit. Horum tamen omnino ne

(a) *Anast. Præfat. in Syn. VIII.*

„ verbum quidem habetur, neque in „ editione græca Concilii septimi, „ neque in vulgata latina. Caussatur „ Roma truncatam a Græcis Epistolam: contendunt Græci, variis „ a Latinis a latinis vitiatam, & corruptam. Utri fidem mereantur, „ non est magnum negotium pernoscere; sed in quam partem propendeas, mea nunc non refert: „ satis est, quod hinc sole meridiano clarius patet, jam dudum inter „ Christianos, scriptores veteres truncare, vel variis additamentis pro „ temporum ratione adulterare, ac „ interpolare, in more positum „ fuisse: idem quoque manifestum „ fit ex ea, quæ in eodem Concilio „ sequitur, Epistola Adriani ad Tarasium; plane enim alia in Codice græco est, alia in latino Anastasii, idque in rebus ejusdem cum „ superioribus momenti. Sic actione V. in editione græca, & veteri latina Tarasius dicitur *Episcopus Œcumenicus*; Apud Anastasium „ titulus iste nullus est. Eadem actione Patres Iconoclastas criminantur, quod in Bibliotheca constantinopolitana librum quendam rescissis pluribus foliis corrupissent, „ & in urbe Photia triginta volumina concremassent; alibi adnotata quædam ex nescio quo libro „ delevissent, eaque omnia præ studio, quo ferebantur adversus imagines, quæ in libris illis propugnabantur. Sed qua ratione ab iis, „ quæ Athanasio suppofuisse supra „ monuimus, ipsi se purgare possint, „ equidem non video, ut nec a prava verborum quorumdam Eusebii „ expositione: eum enim ut in invidiam „ adducerent, fingunt dixisse, (*a*) „ *formam carnalem Jesu Christi mutatam fuisse in Deitatem, quæ in ea inhabitabat*. cum tantum dixerit, *mutatam fuisse a Deitate, quæ in ea inhabitabat*: unde apparet, „ quantum iis fidei debeamus, cum „ hinc inde miracula quædam, & „ inaudita adlegent; & cum quæcumque ab adversariis dicuntur, „ cum fastidio rejiciunt, maxime „ cum repudiant quod ipsis ex Epiphanio objectum fuerat; id illi „ tanquam suppositum respuunt; „ *quia*, inquiunt, (*b*) *si Epiphanius imaginum fabricationem a Christo alienam existimasset, in numero hæresum posuisset*. Annon eadem ratione probari posset, Epiphanium „ cum Iconoclastis sensisse, quandoquidem eorum opinionem hæresibus „ non accensuit? in dubio pariter relinquo, quod tam secure Theodori Ancyrani, & aliorum locos „ explodunt: ex illo tempore nihil „ tam frequentius occurrit in libris „ cum Græcorum, tum Latinorum, „ quam ejusmodi criminationes sibi „ invicem exprobrantium, corrupta, „ & adulterata esse caussæ instrumenta. Sic in Synodo Florentina Marcus Episcopus Ephesinus, de processione Spiritus sancti disputans, „ ad objectos locos, alterum ex Epiphanii Ancorato, alterum ex „ Basilio contra Eunomium, respondet ad illum quidem, *tam a longo tempore Epiphanii tractatum esse corruptum*; ad hunc vero, *aliquem Latinorum sententiæ studiosum, eum ad ipsorum sensum accommodasse*; sane affirmans, Constantinopoli nonnisi quatuor exem-

„ pla-

(*a*) *Concil. 7. Act. VI.*

(*b*) *Act. VI.*

„ plaria libri iſtius extare, in quibus verba a latinis prolata haberentur, eſſe autem in eadem „ urbe ſupra mille, in quibus deſiderarentur. (*a*) Regerunt latini, orientalium, non occidentalium eſſe libros adulterare; quod ut probent, locum ex Cyrillo allatum „ proferunt, quo tamen de Hæreticis quibuſdam, Neſtorianis videlicet, qui Athanaſii ad Epictetum „ Epiſtolam corruperant, non vero „ de omnibus orientalibus, multo „ minus de Eccleſia græca agit .... „ Sed ſi cui cordi ſit, quam dubia, „ & incerta ſint poſtremæ hujus antiquitatis ſcripta conſiderare, legat Synodum octavam, quam Œcumenicam volunt occidentales: „ Codices latinos cum Græcis conferat; & expendat maxime Anaſtaſii, Papæ Bibliothecarii Præfationem. Is poſtquam acerrime in „ Græcorum ambitionem invectus eſt; „ poſtquam, quos hi habent tertii „ Concilii Canones, eos veluti ſuppoſititios ejecit, ut paucis rem expediat, nihil circuitione uſus, omnia Concilia, nullo niſi primo excepto, Græcos depravaſſe affirmat. „ Quibus jam ſcriptis acquieſcemus, „ quandoquidem peſtis illa adeo alte inſedit, penituſque ipſa Concilia, hoc eſt, monumentorum Eccleſiæ veterum cor ipſum occupavit! Symbolum ipſum tot Conciliis Œcumenicis conſecratum, ejuſmodi depravationibus ſubduci non „ potuit: nam, ut nihil dicam de „ hiſce levis momenti verbis, *de Cœlis*, „ *ſecundum ſcripturas*, *Deum de Deo*, „ quæ in quibusdam Symbolis haberi, in aliis vero deſiderari obſervavit in Synodo Florentina Cardinalis Julianus, fluxere jam integra ſæcula, ex quo inter Orientales, & Occidentales de voce *filioque* in capite de proceſſione Spiritus Sancti contenditur: illis querentibus, ab his additam, his muſſantibus, ab illis ſublatam. Quæ „ quidem alteratio licet videatur in „ ſpeciem levis; magni tamen eſt „ momenti; adeout ex ea pendeat „ quæſtionis ſummi momenti deciſio. Hæc enim eſt, quæ hactenus „ inter utroſque ſchiſma fecit: videlicet num Spiritus ſanctus non minus procedat a Filio, quam a Patre. Indicio certiſſimo factum ſtudio partium, quique ſint criminis „ hujus rei, ut manus tam ſacro monumento injicerentur. Sed quicquid „ attentatum eſt olim in hiſce rebus, „ pene jocus, & ludus cenſebitur, ſi „ cum iis comparentur, quæ facta „ ſunt noviſſimis hiſce temporibus. „ Adeo ſtudiis incanduere miſeri mortales, ut nulli ſcriptori pepercerint, quin paſſim obvia quæque „ fœdarint. Quapropter nonniſi ſumma cum ratione mihi, quæ ſequuntur, viſus eſt ſcripſiſſe Eraſmus „ Præfatione in Hieronymi opera ad „ Guillelmum Uvaramum Archiepiſcopum Cantuarienſem. *Ex tot* „ (inquit ille) *eximiis*; *vereque ſacroſanctis auctoribus*, *quos nobis vel* „ *erudita dedit Græcia*, *vel hujus* „ *æmula prodidit Italia*, *vel olim* „ *ſtudiis florentiſſima produxit Gallia*, „ *vel ingenioſa peperit Africa*, *vel* „ *laboris patiens edidit Hiſpania* .., „ *quam pauci ſuperſunt caſu ſervati* „ *magis quam noſtro beneficio. Atque* „ *hi rurſum ipſi quam fœde muti li*,

Q 2 „ *quam*

(*a*) *Concil. Florent. Act.* 18.

„ *quam contaminati, quam prodigio-* „ *sis mendis undique scatentes, ut non* „ *magni referat sic superesse.... At-* „ *que id profecto cum mihi vehemen-* „ *ter indignum videtur in omnibus* „ *eruditis, tum longe indignissimum* „ *in Hieronymo.... bona pars vigi-* „ *liarum ejus intercidit. Quod super-* „ *est non depravatum erat, sed pror-* „ *sus extinctum, & obliteratum, idque* „ *partim illiteratorum vitio scriba-* „ *rum, qui solent ex emendatis inc-* „ *mendata describere, ex mendosis* „ *mendosiora reddere, prætermittere* „ *quod non legunt, corrumpere quod* „ *non intelligunt, velut Hebræa,* „ *græcaque vocabula, quæ frequenter* „ *intermiscet Hieronymus. Sed multo* „ *sceleratius a sacrilegis, haud scio* „ *quibus, studio detruncata permulta,* „ *addita nonnulla, mutata pleraque ..* „ *Commovit itaque me partim tam* „ *insignis Ecclesiæ Doctoris non feren-* „ *da contumelia, in cujus immortalia* „ *monumenta sic impie debacchati sunt* „ *isti plusquam apri Calydonii; par-* „ *tim publica studiosorum utilitas,* „ *quos videbam a tam eximiis epulis,* „ *hisce rebus submoveri* „ *&c.* Sed „ Erasmi querelæ recentiores non „ deterruerunt, quin simili audacia „ in veterum monumenta grassaren- „ tur. Joannem quidem Gagnæum „ Parisiensem Theologum, cum Al- „ cimi Aviti poemata a. D. 1536. „ Lugduni ederet, & *alia pro arbi-* „ *trio immutasse, ac depravasse, &* „ *quingentis prope versibus* præter li- „ brorum tum manuscriptorum, tum „ etiam a. 1507, & 1509. Coloniæ „ editorum fidem, inaudito, atque „ incredibili facinore interpolasse ob- „ servavit eruditissimus (*a*) Sir- „ mondus. Ita plurimorum de San- „ ctorum veterum vitis scriptorum „ lucubrationes in sua illa tricubali „ farragine Surius Carthusianus pro „ sui ingenii captu varie, ac mul- „ tipliciter interpolavit; quod faci- „ nus optimus Monachus adeo non „ erubuit, ut de plerisque ipse mo- „ nuerit, se eorum stylum mutasse. „ Ita in vita Martinæ Virginis, „ Concordiæ, Genovefuæ, Rigober- „ ti, Juliani, & Basilissæ, Guillel- „ mi Bituricensis, Boniti Arvernen- „ sis, Spseulippi, & Eleusippi, Sul- „ pitii Bituricensis, Launomari, Pon- „ tiani, Sebastiani, Præjecti, Pop- „ ponis, Margaritæ, Constantii mo- „ nentur lectores, *stylum in gratiam* „ *Lectoris a Surio mutatum esse*. Cla- „ rissimus Bosquetus hanc ejus frau- „ dem in Saturnini actis notavit, „ in quibus quod auctor scripserat, „ *sensim, & gradatim in omnem ter-* „ *ram sonus Evangelii exivit, tar-* „ *doque processu in regionibus nostris* „ *Apostolorum prædicatio coruscavit*: „ Surius *contra manuscriptorum fidem* „ *suo*, inquit Bosquetus, *more cor-* „ *rupit, parique* processu pro *tardo* „ edidit, ne videlicet hinc discere- „ mus, Dei religionem serius trans „ Alpes susceptam, ut ait Sulpitius „ Severus. Sic frustra quæras in edi- „ tionibus operis imperfecti in Ma- „ thæum, quas Mahursius procura- „ vit, varia, quæ hinc inde a mul- „ tis scriptoribus ex illo de scriptu- „ ra, de notis Ecclesiæ, de Eucha- „ ristia afferuntur. Illa omnia, dum „ se fingit opus id fæcibus Aria- „ norum repurgare, fœde sustulit, „ nec venerandum Chrisostomi no- „ men, quo falso inscribitur, obsti- „ tit,

(*a*) *Sirm. præfat. in Avit., & not. pag. 61. Edit. Parif. an. 1643.*

Digitized by Google

„ tit, quominus sic truncaretur. Nec „ unus hanc Latinorum hominum „ audaciam vidit, & denotavit Erasmus. Laurentius Brochellus diu „ postea Præfatione in decreta Ecclesiæ Gallicanæ idipsum persequitur: *taceo*, inquit, *innumeros auctores sacros, prophanos, veteres, recentiores, ab illis tam improbi, quam infælicis ingenii hominibus miserabiliter decurtatos, vel . . . parcere non assuetis ... S. Ludovico, cujus Pragmaticæ, ut vocant, sanctionis articulos nonnullos, maxime ad rei Gallicæ statum pertinentes, abs Bibliotheca illa SS. Patrum constitutionibus regiis, & statutis Episcoporum quorumdam Synodalibus, Reginæ urbium Lutetiæ nuper impressis expunxerunt &c.* Sed hic adversus illos non scribimus. Satis est „ confirmasse, istos, additis, & rescissis plurimis, innumera fidei veterum monumenta immutasse, & „ depravasse. Isti sunt, qui in hac „ XII. Cypriani ad populum Carthaginensem Epystolæ periodo: *audiant, quæso, patienter consilium nostrum, expectent regressionem nostram, ut, cum ad vos per Dei misericordiam venerimus, convocati Episcopi plures secundum Domini Disciplinam, (a) & Confessorum præsentiam, & vestram quoque sententiam, beatorum Martyrum literas, & desideria examinare possimus;* ex editionibus Gryphianis Lugduni 1528. & 1537. & Pamelii „ voces has, *secundum vestram quoque sententiam*, quæ in aliis, puta „ Manutii, & Morellii Parisiis 1564. „ habentur, per scelus expunxerunt: „ quia ex iis discimus, quod nos „ nescire sua referre censuerunt, plebem fidelem scilicet in suæ Ecclesiæ „ negotiis partes suas, jusque suffragii aliquo modo habuisse. Illi ipsi „ sunt, qui in Epistola quadragesima „ de *Petra Petrum* fecerunt: & qui „ corruptorum priscorum vestigiis insistentes, ejusdem Tractatum de unitate Ecclesiæ fœde adulterarunt in „ medias ejus periodos variis de suo „ infartis, contra optimorum manuscriptorum fidem, cujusmodi hæc „ sunt, *super illum unum ædificat Ecclesiam suam; & illi pascendas mandat oves suas:* item, *Primatus Petro datur, ut una Ecclesia Christi, & Cathedra una monstretur:* denique, *Cathedra Petri, super quam fundata est Ecclesia.* Quorum quidem additamentorum nemo est qui „ scopum, & qua mente assuta fuerint, non videat. Illi ipsi sunt, „ qui quam moleste ferant non suppressam Firmiliani Cæsaræ Cappadocum Episcopi, magni, suo tempore, nominis, Epistolam, non „ obscure feruntur. Cum enim ex ea „ pateat, quanta libertate veterum „ sæculorum Episcopi cum Papa agerent, eam de industria Manutius „ in Cypriani editione Romana omiserat. Verum Morellius eam in sua „ editione restituit, Cyprianique, ad „ quem scripta est, Epistolis inseruit, magno argumento, quibus studiis isti trahantur; & quot ejusmodi fœtus clam præfocarint. Hæc „ est Officina, ex qua Ambrosius interpolatus prodiit, & cujus sortem „ graviter lamentatus est Nicolaus „ Faber. Libros de interpellatione „ Jobi & Davidis in aliis Editionibus conjunctos diviserunt; quod

„ ut

(a) Cypr. Pamel. & Gryphi lugd. 1528.

„ ut facerent exemplo partim laudabili, inferuerunt, & interpolaverunt nonnulla, quod & fecerunt „ in prima Apologia David; sed longe pejus in altera: ex cujus capite „ octavo quinque, aut sex lineas, „ quæ in omnibus veteribus editionibus leguntur, expunxerunt. Horum ne, aut fimillum recentiorum, „ an aliorum vetuftiorum manu corruptus fuerit Isidori in originibus de „ sacrificio locus, recisa ejus ultima „ parte, haud facile dixerim. Mutilatum quidem, ac decurtatum locum ex Ratramno conftat, qui „ eum cum ante annos pene octingentos defcriberet, ita exhibuit: „ *cujus panis, & calicis Sacramentum* „ *Græci Eucariftiam dicunt, quod Latine bona gratia interpretatur, &* „ *quid melius Corpore, & Sanguine* „ *Christi? Panis vero & vinum ideo* „ *Corpori, & Sanguini Domini comparantur, quia ficut vifibilis hujus* „ *panis, vinique fubftantia exteriorem nutrit, & inebriat hominem;* „ *ita Verbum Dei, qui eft panis vivus, participatione fui Fidelium* „ *recreat mentes*. Atque hæc quidem „ apud Ratramnum Isidorus; sed ifta „ ultima fruftra in vulgatis ejus codicibus quæras, in quibus locus in „ hæc verba definit: (*a*) *Et quid melius Corpore, & Sanguine Chrifti?* „ nimirum Latinos, qui poft Isidori „ fæcula, primo Paschafii Ratberti „ novitates, tum & ipfam tranfubftantiationem admiferunt, movit, „ quod Isidorus *panem*, & *vinum* nominat, & quod utrumque *corpori*, „ & *fanguini comparari* dixit, non „ in ipfius corporis, & fanguinis Dominici fubftantiam, fua amiffa, „ converti; quæ fortaffe ratio eofdem, vel certe ejusdem generis „ artifices compulit, hæc in alio Isidori opere ita fcribere, atque edere: *porro eo hinc fenta fuccedit confirmatio Sacramenti, ut oblatio*, „ (*b*) *quæ Domino offertur, fanctificata per Spiritum Sanctum, corpori* „ *Christi, & fanguini confirmetur*: „ vel nulla, vel inepto fenfu. Quid „ enim eft *confirmari corpori Chrifti?* „ Caffander legit, *conformetur*: & res „ ipfa, atque fenfus docet, fcriptum „ ab Isidoro fuiffe, *corpori Chrifti*, „ & *fanguini conformetur*. Sed id verbum latinis fequiorum temporum „ dilucius vifum eft, quam ut fuæ „ τυπωσεως myfterium repræfentaret, itaque audacter mutarunt, „ Isidorique nullum hic effe, quam „ fibi adverfantem fenfum maluerunt. Jam in homines non abfimilis ingenii incidit ille mutilatus Anaftafii, vel potius Damafi, „ aut alterius Anaftafio (*c*) longe vetuftioris de vitis Pontificum liber; „ nam primum ab iis Auctoris ad „ Hieronymum præfatio fublata eft. „ Deinde ex vita S. Petri periodum, „ quam hic inferam, prout in omnibus manufcriptis exemplaribus „ expunxerunt (*d*). Hic B. Clementem *Epifcopum confecravit, eique* „ *Cathedram, vel Ecclefiam omnem* „ *difponendam commifit*. &c. alibi „ apud eundem fcriptorem, ubi in „ omnibus manufcriptis Codicibus „ *Papa urbis* legitur, ifti *Papam orbis* fubftituerunt, ipfi funt, qui „ apud Gulbertum Epifcopum Carnotenfem; quo loco infignia Augufti-

(*a*) Isid. lib. 6. de Orig. cap. 19. v. 15. pag. 81. Edit. ehe Bru. 1621.
(*b*) Isid. de offic. Eccl. 15. pag. 585.

(*c*) Vide Anaft. de Vit. R. Pont. Edit. Mogunt. an. 1602.
(*d*) In Steph.

,, gustini verba profert, *figura est er-*
,, *go præcipiens Passioni Domini esse*
,, *communicandum*: has voces *inse-*
,, *ruerunt*, *figura ergo*, *est*, *dicet Hæ-*
,, *reticus*, (*a*) astute Hæretico tri-
,, buentes sententiam, quæ revera
,, Augustini est, qualiter etiam a Ful-
,, berto allegabatur. Iidem sunt, qui
,, apud Gregorium Magnum, Sacerdo-
,, tum exercitus, in *Sacerdotum exitus*,
,, per quos Apostasias, & defectiones vo-
,, lunt intelligi transformarunt. Legitur
,, (*b*) enim Epistola 38.cap.1v. *Omnia...*
,, quæ prædicta sunt, fiunt Rex *superbiæ*
,, *prope est*, & *quod dici nefas est*,
,, *Sacerdotum ei præparatur exercitus*,
,, cum manuscripti Codices, immo
,, & ipse Bellarminus legant, (*c*) *Sa-*
,, *cerdotum ei præparatur exercitus*,
,, Idem alium Gregorii insignem lo-
,, cum pari fraude corruperunt, qui
,, in libris manuscriptis sic habetur.
,, *pervenit quoque ad nos*, *quosdam*
,, *scandalizatos fuisse*, *quod Præsbytero*
,, *chrismate tangere in fronte eos*,
,, *qui baptizati sunt*, *prohibuimus*.
,, *Et nos quidem secundum veterem*
,, *usum Ecclesiæ nostræ fecimus*. *Sed*
,, *si omnino hac de re aliqui contri-*
,, *stantur*, *ubi Episcopi desunt*, *ut Præs-*
,, *byteri etiam in frontibus baptiza-*
,, *tos* (*d*) *Chrismate tangere debeant*,
,, *concedimus*. Recentiores hæc, quæ
,, hodierno Romanorum, de chris-
,, matis in fronte ministro, dogmati
,, adversari videbant, soli enim Epi-
,, scopo baptizatorum frontes chris-
,, mare licet; audacter in editioni-
,, bus mutarunt, & scripserunt, *eos*,
,, qui *baptizandi sunt*, & *baptizandos*
,, *chrismate tangere*. (*e*) Bellarminus
,, ipse monuit, corruptum esse locum,
,, & veram, quam exhibuimus, lectio-
,, nem tum ex altero ipsius Gregorii lo-
,, co qui extat eodem libro, Epistola
,, ɪx. tum ex Gratiano, & Thoma con-
,, firmat *qui hunc*, inquit, *Locum ita*
,, *citant*, *ut esse debet*, *non ut modo*
,, *legitur in Codicibus impressis*. Illi
,, ipsi sunt, qui hunc Augustini lo-
,, cum commutarunt, quod suæ trans-
,, mutationis dogmati adversaretur.
,, *Corpus Domini*, (*f*) inquit ille, *in quo*
,, *resurrexit*, *uno loco esse oportet*,
,, *veritas autem ejus ubique diffusa*
,, *est*. Sic enim scripsisse Augusti-
,, num & res ipsa clamat, & aper-
,, tissime testantur Ivo Carnotensis,
,, Algerus, Lombardus, (*g*) Gratianus,
,, Thomas, Bonaventura, Scotus,
,, Durandus, Biel, & alii veteres,
,, qui hæc verba sic plane recitarunt,
,, Recentiores Latini pro illis ver-
,, bis, *uno loco esse oportet*, hæc sub-
,, stituerunt, *uno loco esse potest*, ut
,, videre est in omnibus Augustini
,, editionibus, quæ ex eorum offici-
,, na prodierunt. Ab eadem manu,
,, & causa est, quod sequitur; Au-
,, gustinus in Joannem tractatu 26.
,, extremo scripserat; *ac per hoc qui*
,, *non manet in Christo*, & *in quo*
,, *non manet Christus*; *procul dubio*
,, *nec manducat carnem ejus*, *nec bi-*
,, *bit ejus sanguinem*; *etiamsi tantæ*
,, *rei Sacramentum ad judicium sibi*
,, *manducet*, & *bibat*. Qui novissi-
,, mam Augustini editionem Parisi-
,, nam a. D. 1635. procurarunt, fa-
,, tentur, se locum ita scriptum in
,, Codicibus manuscriptis sex repe-
,, risse, atque ita lectum fuisse etiam
,, Tho-

(*a*) *Fulber. Carnot. Edit. avillerio a. 16. Paris.*
(*b*) *Greg. Edit. Rom. an.* 1589.
(*c*) *Bellarm. de. Rom. Pont. Lib.* 3. *Cap.* 13.
(*d*) *Greg. Lib.* 3. *Ep.* 26.
(*e*) *Bellarm. de confirm. c.* 12.
(*f*) *Aug. Tract.* 10. *in Jo.*
(*g*) Grat. 2. *Decret. part.* 2. C. 8.

Digitized by Google

„ Thomæ Aquinatis tempore, ex ejus „ catena patet ; quod & ipsum ex „ Prospero quoque clarissime confir- „ matur, qui sententiam 339. quam „ ex hoc loco eruit, ita expressit, „ *nam qui discordat a Christo*, *nec* „ *carnem ejus manducat*, *nec sangui-* „ *nem bibit*, *etiamsi tantæ rei Sacra-* „ *mentum ad judicium suæ præsum-* „ *ptionis quotidie indifferenter acci-* „ *piat*, quæ ita laudata sunt jam ante „ aliquot sæcula & ab Ivone *Carno-* „ *tensi*, & a Gratiano, & ab ipso „ Lombardo. (a) At nuperæ omnes edi- „ tiones verba Augustini sic interpo- „ lata exhibent : *ac per hoc qui non* „ *manet in Christo*, *& in quo non* „ *manet Christus*, *proculdubio nec man-* „ *ducat spiritaliter carnem ejus*, *nec* „ *bibit ejus sanguinem*, *licet carna-* „ *liter*, *& visibiliter premat denti-* „ *bus sacramentum corporis*, *& san-* „ *guinis Christi*, *sed magis tantæ rei* „ *Sacramentum*, *ad judicium sibi man-* „ *ducat*, *& bibit*, &c. Hactenus, „ corruptores ; quorum nemo non „ videt quo spectet crassa ista, pla- „ neque inepta Augustinianæ oratio- „ ni adtexta lacinia ; nempe ut per- „ suadeant, Christi carnem, quam „ Augustinus simpliciter negaverat „ ab indigne communicantibus sumi, „ abiis *carnaliter*, & visibiliter sumi : „ tametsi eadem spiritualiter ab ipsis „ non sumatur. Iidem in tractatu de „ Rectitudine Catholicæ conversatio- „ nis, qui non Augustini, sed Eligii „ Noviomensis a. D. 663. nati vere „ est, ita de Fideli ægrotante legunt, „ *Oleum benedictum fideliter ab Eccle-* „ *sia petat*, *unde corpus suum unga-* „ *tur*. At scriptum fuisse olim, *un-* „ *de corpus suum ungat*, clare testa- „ tur Waldensis, (b) dum locum ita ci- „ tat ; & sane idipsum poscit Latini „ sermonis ratio ; dicendum enim „ erat, *unde corpus ejus ungatur*. „ Ac firmat denique sermo de tem- „ pore apud Augustinum 215. hinc „ excerptus, in quo *ungat* legitur, „ non autem *ungatur*. Corruptores „ *ungatur* substituerunt, ne hæc Eli- „ giana unctio a sua extrema vide- „ retur aliena, quam nemo ægrotus „ sibi ipsi ministrat, ut notum est. „ Illi ipsi sunt, qui Aimonio, vel „ ejus certe continuatori, supposue- „ runt quæ sequuntur, *in qua sy-* „ *nodo*, *quam octavam universalem* „ *illuc convenientes appellarunt*, *de* „ *imaginibus adorandis*, *secundum quod* „ *Orthodoxi Doctores antea diffinie-* „ *rant*, *statuerunt* : cum prorsus con- „ tra scripsisset, *aliter*, *quam Ortho-* „ *doxi Doctores* (c) *definierant*, *sta-* „ *tuerunt*, ut apparet cum ex ma- „ nuscriptis codicibus, tum ex anti- „ quioribus editionibus, tum ex Ba- „ ronio ipso, qui hoc postremo lo- „ co hunc locum laudat, Annalium „ Tomo x. ad annum Christi octin- „ gentesimum sexagesimum nonum. „ Illi sunt, qui ex Œcumenico lo- „ cum sequentem totum expunxe- „ runt : *qui enim legi patrocinabantur* „ *venerationem etiam Angelorum in-* „ *ducebant*, *quia lex per ipsos data* „ *est* ; *mansit autem consuetudo illa* „ *in Phrygia*, *adeo ut synodus Laodi-* „ *cena lege prohibuerit ad Angelos ac-* „ *cedere*, *eosve precari*, *unde est*, *quod* „ *apud eos sunt multa templa Mi-* „ *chælis Archangeli*, *vel summi Du-* „ *cis exercitus* : quem locum David

Hoe,

(a) Ivo Decret. q. 2. v. 8. extra. Grat. de consecr. dist. L. L. qui

(b) *Waldens. Tom.* 2. *Tract. C.* 6.

(c) *Aim. lib.* 5. *c.* 28. *p.* 310. *edit. Paris. an* 1625.

„ Hoeschesius in notis suis in librum „ Origenis contra Celsum pag. 483. „ testatur se vidisse, & legisse in ma- „ nuscriptis Œcumenii Codicibus, „ qui tamen nullus est in hactenus „ excusis. Sed quod istos impulit cau- „ sæ Romanæ studium Œcumenio „ sua hæc eripere; idem eos ista alie- „ na Theodoreto commodare, & as- „ fingere subegit, *hunc ipsum ignem* „ *Purgatorium credimus*, *in quo ani-* „ *mæ purgantur*, *sicut aurum in con-* „ *flatorio*. Hæc enim tanquam Theodoreti verba & Latini Græcis jam pridem objectant, ut ex Nilo patet, „ & Bellarminus, „ & Gagnæus ve- „ lut ex scholiis Theodoreti (*a*) in „ 1. cor. 3. nunc quoque in Dispu- „ tatione de Purgatorio afferunt, quæ „ & olim Græci Theodoreti sui esse „ negarunt, & nos hodie frustra sive „ in illus Patris in Paulum com- „ mentariis, sive in aliis operibus „ quærimus. “

„ Simili de causa vitiatum est „ Prosperi Chronicon ad a. Arcadii, „ & Honorii Imperatorum XXIII. „ quo loco Auctor scripserat, *Præ-* „ *destinatorum Hæresis*, *quæ ab Au-* „ *gustino dicitur accipere initium*, „ *his temporibus serpere exorsa*. Us- „ serius ita scriptum fuisse testatur „ in duobus Anglicanis optimæ no- „ tæ manuscriptis, altero Bibliothe- „ cæ Regiæ, altero Benedictini apud „ Cantabrigienses collegii; sic quo- „ que habere & Codices duos Gal- „ licanos æque manuscriptos, alte- „ rum S. Victoris Parisiensis, alte- „ rum, qui Antonii Oiselii olim „ fuit, diserte tradidit Jacobus (*b*) „ Sirmondus. Editores, ne hinc pa- „ teret, Augustinum ipsum fuisse il- „ la Prædestinatianismi calumnia ap- „ petitum, & qui Massiliensibus „ Prædestinatiani sunt, eos revera „ fuisse sinceros Augustini Discipu- „ los, locum mutarunt, & pro iis, „ quæ exhibuimus ex Manuscriptis „ libris, ista, quæ in Codicibus ex- „ cusis vulgabantur, ediderunt: *Præ-* „ *destinatorum hæresis*, *quæ ab Au-* „ *gustini libris male intellectis acce-* „ *pisse dicitur initium*, *his tempori-* „ *bus serpere exorsa*, inde etiam est, „ quod quandam Fausti Pelagiano- „ rum signiferi Epistolam, illius se- „ ctæ venenis refertam, velut a IX. „ Episcopis (*c*) in Concilio nescio „ quo Arelatensi approbatam, eorum „ nominibus, & subscriptionibus mu- „ nitam ediderunt, quam (*d*) Sir- „ mondus & apud Hincmarum, & „ in veteribus optimis quibusque li- „ bris solum Fausti auctoris nomen „ præferre testatur, tametsi, quod „ merito mireris, ipse quoque par- „ tium studio victus, in Concilio- „ rum Gallicanorum editione eam „ ab his ipsis Episcopis subscriptam „ repræsentare non dubitet. “

„ Sed satis non fuit his modis „ quædam, ex quibus de veteris Ec- „ clesiæ sententia nobis constare po- „ terat, monumenta depravare, in „ libros totos sævitum est, & in iis „ magno numero abolendis adlabora- „ tum: quod ut pernoscamus, scien- „ dum est, prioribus sæculis Impera- „ tores Christianos in scriptis, quæ re- „ ctæ Fidei adversari censebantur, ex- „ terminandis gnaviter incubuisse; ut „ patet ex libris Arianorum, Nestoria- „ norum, & aliorum ejusmodi, quos „ cer-

(a) *Theod. 1. Cor. 3. Nil. de Purg. pag. 144. Extr. Bellarm. lib. 1. de Purgat. c. 10.*
(b) *Sirm. hæres. Prædest.*
(c) *Tom. 1. Concil. ad an. 524.*
(d) *Sirm. Hist. Prædest. pag. 28.*

„ certum est severis istorum Principum edictis non solum prohibitos, sed etiam profligatos, & abolitos fuisse; quinimmo Ecclesia ipsa, sicubi in libris superiorum aliquid animadverteret, quod cum receptis suo tempore sententiis non conveniret, eorum scripta, licet pridem in Catholicorum Communione obdormiissent, infamia notabat. Sic in Synodo quinta Æcumenica cum Theodoro, Theodoreto, & Iba Episcopis, licet longe ante in Ecclesiæ pace defunctis, actum est, ut & cum Origene, etsi trecentis annis ante mortuo. Non defuit hic Pontifex Romanus sibi; vestigiis istorum institit, & penitus ipsa monumenta oppressit, si quid in veterum sciptis occurrit a sententia sua alienum &c. Num vetus Ecclesia in templis suis Christi, & Sanctorum imagines habuerit, colueritque, hodie disputatur, Certatum est etiam super hac controversia diu, & acriter in Græcia, cum (a) in Concilio VII. Nicææ habito superiores evasissent, qui cum affirmantibus sentiebant, prohibuerunt, ne quis adversarum partium libros apud se haberet; jusseruntque, ut ad Patriarcham Constantinopolitanum comportarentur omnes, ut scilicet iis fieret secundum Papæ Adriani Legatorum postulata, & flammis mandarentur quæcumque scripta fuissent adversus venerabiles imagines. Nec dubium est, quin eadem clade perierint quæcumque e libris veterum repugnare viderentur: cujusmodi fuere Eusebii ad Constantiam, & Epiphanii ad Joannem Hierosolymitanum Epistolæ, & aliæ, quæ ea calamitate absumptæ, ut probabile est, nunc desiderantur. Epistola enim Epiphanii, quam habemus, est ex interpretatione Hieronymi, & in Occidente conservata, ubi studium imaginum longe remissius fuit, quam inter orientales, apud quos Archetypon græcum periit. Hos imitatus Adrianus II. (b) in suo Concilio decernit, in acta Concilii, quod Photius adversum Ecclesiam Romanam cæperat, ignibus tradantur; quod & in Synodo VIII. quam Latini Œcumenicam volunt, denuo imperavit, fieri non potest, quin iis ignibus conflagrarint plurima monumenta, quæ usui esse possent in illustranda veterum sententia, seu super imaginibus, de quibus in Synodo VII. actum erat, seu super auctoritate Pontificis Romani, de qua maxime certabatur in controversia Photii. Inter hodiernas controversias nulla fere est ea nobilior, quæ de panis Eucharistici transubstantiatione agitatur: de hac nono etiam sæculo diversæ fuerant Doctorum virorum sententiæ; nam cum Paschasius Ratbertus Abbas Corbejensis an. 818. Librum edidisset, quo transubstantiationem aperte ponere videtur; Theologi aliquot horum, & proximorum temporum Eruditissimi, inde orta rei accuratius exponendæ occasione, contra novum illud dogma scripserunt, in primis Amalarius Archidiaconus Trevirensis, Rabbanus Abbas, Heriboldus, Joannes Scotus Erigena, & Rathramnus. Itaque Rat- berti

(a) *Concil. VII. Act. VIII. Anath. IX.*

(b) *Concil. 8. Act. VII.*

Digitized by Google

„ berti quidem liber vivit, ac floret, Joannis vero Scoti, Hereboldi „ Antifiodorenfis, Rabani ipfius contraria Ratberto opufcula perierunt. „ Unius Rathramni fælicius fatum „ fuit, cujus de tam multis Ratberti adverfariis Opus hoftium manus effugit. Eo tandem deventum „ eft, ut Leo X. in Concilio Lateranenfi, quod anno 1518. finem habuit, decreverit, „ *ne ullus librum aliquem imprimere, feu imprimi facere præfumeret, nifi prius in urbe per facri Palatii magiftrum, in aliis vero diœcefibus per Epifcopum, vel (a) alium ab Epifcopo ad id deputandum, & Inquifitorem Hæreticæ pravitatis diligenter examinetur, fub pœna ei, qui fecus præfumpferit, ultra librorum impreſſorum amiſſionem, & illorum publicam combuftionem, folutionis centum ducatorum*. „ Quo decreto generali non minus Patrum „ opera, quam alia comprehenduntur, ut apparet ex eo, quod, cum „ Epifcopus Melphitanus lecto decreto refpondiffet, *fibi placere de „ novis, non autem de antiquis*: reliqui omnes Patres fimpliciter *placere* dixerunt; nec ulla decreto addita fuit limitatio: idipfum difertis, conceptifque verbis confirmavit Concilium Tridentinum, „ præfecitque Viros nonnullos, qui „ libros recognofcerent, & referrent, „ *ut facilius poſſent varia, & peregrinæ doctrinæ tanquam Zizania a „ Chriftianæ veritatis tritico feparari*. „ Deinceps ftrenue Operi manus admotæ, & procufi funt indices expurgatorii ..., quibus Cenfores librorum omne genus confodiunt.., „ invifas quidem fententias convellunt, reverentiam vero erga veteres teftantur, dum Patribus, veris „ fententiarum auctoribus, parcunt. „ Quamquam ne illud quidem fimpliciter verum eft, quod Patribus „ parcant, quorum plurima monumenta non una ratione aboleverunt, ut ex iis exemplis patet, „ quæ vel memoravimus, vel mox afferemus. Quæfo enim, nonne Patres „ erant illi trecenti Francofordienfis „ Synodi Antiftites, quorum Binius „ Canones in Conciliorum editione „ fuppreffit? neque vero de Recentiorum numero fuit Huldaricus „ Auguftanus, hujus nominis Epifcopus prior, Rathramni, ut videtur, æqualis; cujus Epiftolam ad „ Nicolaum I. P. R. pro Sacerdotum „ conjugio nono fæculo fcriptam fimpliciter expungunt, & Tridentinorum, & Hifpanorum indices. Eft „ quoque inter veteres cenfendus „ nobiliffimus fcriptor Sigebertus „ Gemblacenfis, quem ante annos „ quingentos, & quod excurrit, undecimo fæculo præcipiti, ineunte „ duodecimo floruiffe conftat. Atqui „ ne hujus quidem operibus parcitum eft. Mitto notas, quibus ejus „ Chronicon, laudatiffimum opus, „ deformarunt Cenfores. Sed & hi „ infignem Sigeberti difputationem „ in fuos utrique indices, velut exitio „ devotum opus, retulerunt. Circa „ eadem tempora fcriptus eft liber „ *de unitate Ecclefiæ confervanda*; „ five eum Venerico Vercellenfi, five Walaramo Naumburgenfi, five „ denique Conrado Trajectenfi Epifcopo tribuamus, atqui & in hunc „ ipfum dicta eft ab Hifpanis triftis „ fententia. Eo minus mirandum,

[b] *Concil. Later. feſſ.* 2.

„ quod in Honorium Augustodunensem, in Dantem, in Petrarcham, „ in Theodoricum a Niem, in Ockamum, & alios sequentium temporum scriptores, tametsi pro nostro sæculo veteres, grassari ausi „ sunt. Neque ii disputationem quandam inter Clericum & militem, „ ab incerto quidem Auctore, sed „ tamen ante an. D. 1380. scriptam „ omiserunt. “

„ Sed neque hanc istorum postremo fraudem omiserim, qua quoties neque de scriptore, quin pius, „ & Catholicus fuerit, neque de libro, quin verum ejus opus fuerit, „ dubitare licet, calumniantur, objectas voces ab Hæreticis suisse assutas. Hoc Bellarminus fecit in „ Epiphanii ad Joannem Hierosolymitanum Epistola, in qua Sanctissimus ille vir pronuntiat, *hominis* „ *in Christi Ecclesia imaginem pendere* nefas esse; idque si fiat, *contra auctoritatem scripturarum fieri*. „ Alanus quidem Copus notham, „ & Epiphanio suppositam totam „ Epistolam dixerat: Martianus vero Victorius, & Vasquez veram „ esse simpliciter concedentes, verba „ ejus stropharum, & glossarum suarum subtilitate declinare, ac eludere conantur. Par fuit Latini Latinii in plurima Chrysostomi contra confessionem auricularem loca „ temeritas, qui in libello de Confessione, Opuscula, in quibus ista „ leguntur, vel Chrysostomi esse negat, vel certe a Novatianis corrupta. Eandem stropham Bellarminus adhibet ad eludendam, & „ (a) Ignatii & Canonum Apostolicorum de Sabbathi a jejunio immunitate legem: *posset fieri*, inquit, „ ut ... *a Græcis posterioribus insertum fuerit nomen Sabbathi*. Extant „ duæ Honorii Epistolæ Monothelitarum venenis consperfæ, tum „ sextæ Synodi disertum anathema. „ Bellarminus de more suum illud „ usurpat, *fortasse ab Hæreticis confictas Concilio generali insertas Honorii Epistolas*.

„ Huc quoque pertinet, quod Baronius in græcis ejus Epistolæ, „ quæ Ignatii nomine circumfertur, „ Codicibus additum Pauli inter Apostolos conjugatos nomen contendit nulla ratione; cum ne unus „ quidem extet sincerus ejus Epistolæ Codex, in quo non legatur Pauli nomen. Sed hæc temeritas (b) „ Baronio familiaris est, ut cum ad „ Epiphanium ea ab aliquo suisse addita ariolatur, quæ is de Origenis „ lapsu tradidit Hæresi 64. & cum „ alibi ab Irenæo scripta esse negat, „ quæ in omnibus ejus exemplaribus „ de Christi ætate, libro II. adversus hæreses cap. 39. habentur, suis „ quibusdam conjecturis adversus constantem omnium Codicum fidem „ frustra pugnans, ut est a Petavio „ demonstratum. Sed hæc quidem „ hactenus; ex quibus constat, quam „ facile sibi isti homines persuadeant, „ vitiata, ac mendosa esse veterum „ Scriptorum monumenta, quoties „ ea vel cum Romana fide, vel cum „ privatis suis opinionibus pugnant. „ Unde porro quivis non hebes intelligit, eos in veterum Codicibus, quos soli, & omnes olim habuerant, & plerosque eriam nunc „ habent, & hæc ipsa, quæ adulterata esse disputant, libenter, si id „ tuto

(a) *Ignat. Epist. ad Phil. can. Apost. 65.*

(b) *Bar. ad an. Dom. 14. &c. 142.*

„ tuto licuisset, mutaturos fuisse, „ proque suo libitu emendaturos; & „ vero plurima alia ejusdem generis, „ quæ invertere, & ad rem suam effingere commode in tenebris licuit, „ haud dubie mutasse. “

Pereant hæc; Censoris opera; pereant hi *ludi; pereant denique hæ* argutiæ; quales esse suas istas locutiones ipse fatetur; quibus tamen pauca veterum volumina „ edita depravationi quadamtenus obnoxia „ fuisse ex inviolatis eorum “ *manuscriptis* compluribus monstrat: qua demonstratione plerosque Patrum Romanæ, & Catholicæ fidei suffragantium *Codices* incorruptos, a nemine mutatos, & a nonnullis libris violatis distinctos esse, apertissime ponit: quo quidem posito & tota ejus corruit argutatio; & enuntiatum, quod jam probavimus, communitur.

Hinc fastidivi, non modo plura ipsius Dallæi verba supervacanea, & contumeliosa, quæ argumentis tenebras offundunt, ac nulla sunt, exhibere; verum etiam repetere oppositionem, quam e Scribis, de quibus S. Hieronymus loquitur, excerpit; cujus S. Doctoris unas litteras, quas ad Lucinium Bœticum scripsit, antea retulimus, monentes, Hieronymum verbis suis conditionem *si* apposuisse; Qua videlicet dubitavit, quin illi notarii Bœtici, quos idem Lucinius miserat, essent valde periti ad usum latini sermonis scribendi, ac latina ipsius opuscula bene scripsissent: ac propterea non affirmando, sed dubitando dixit, quod illi homines *scribunt* non *quod inveniunt*, *sed quod intelligunt:* (a) quod tamen ab illis reapse effectum fuisse, S. Doctor non protulit; qui vel postea in Epistola ad Theodoram sic Lucinium, ac sua opuscula ab iisdem notariis descripta commendavit: *Ego in illo .. laudabo fervorem*, (b) *& studium scripturarum; Quo ille desiderio opuscula nostra flagitavit, & missis sex notariis (quia in hac Provincia latini sermonis scriptorum penuria est) describi sibi fecit Quæcumque ab Adolescentia usque in præsens tempus idictavimus*. His S. Doctor *paragrammata*, & ea, quæ *sensum legentis impedirent*, quæque ut *intellecta*, *non* ut *inventa* essent exarata, sicuti Lucinio scripserat, minime adjecit, indigitans, sua omnia opuscula a suis Discipulis, & librariis, quibus ea *dictaverat*, optime exscripta fuisse; ideoque se non de universis librariis, sed de Siccinii Notariis, Bœticis, non Latinis, dubitasse: hanc autem dubitationem a se deinceps adlatam non esse; ac sic ejus opusculis Lucinii notarios reapse paragrammata, & errata neutiquam addidisse.

Ac si unus, vel alter Notarius exscripsisset, non quod inveniebat, sed quod intelligebat; non sequitur, ut idem omnes Librarii perpetrarint. Quandoquidem eodem Hieronymo teste, quem prius laudavimus, *universa* Origenis, atque adeo cæterorum veterum, & ipsius Hieronymi *volumina, quæ diversis & locis, & temporibus edita sunt, in toto orbe corrumpi non potuerunt*. Non igitur Hieronymus plerosque orbis librarios, qui ista opera ediderunt, nec suos amanuenses, & Damasi Romani Pontificis exscriptores, quos alibi commendatos voluit; sed aliquos non Latinos, & a plerisque illis distin- ctos,

(a) S. Hier. Epist. 71. ad Lucin. pag. 432. Tom. 1.

[b] Idem Hier. Epist. 75. ad Theod. pag. 450. Tom. 1.

ctos, suo illo dubio comprehendit. Ad hoc tamen deponendum, & ad perspicienda, ac suscipienda pleraque integra veterum manuscripta & aliquæ antiquorum adlegationes, & nulla Litterarum excisio, & antecedentium, & consequentium connexio, quæ in compluribus Patrum Codicibus elucet, plurimum valent.

Quo circa uno adspectu intueri possumus Codicum a veteribus adlegatorum ætatem, qua eosdem Codices integros, optimos, nullisque mendis refertos, atque a nonnullis depravatis sejunctos ad nostra tempora pervenisse cognoscimus: exempli causa, S. Augustinus laudato in loco plura Ss. Irenæi, Cypriani, Basilii, Ambrosii, & ipsius Hieronymi scripta, istorumque locos nullis scribarum erroribus scatentes, sed sibi omnino Constantes, adversus Julianum laudavit: commendatione celeberrimus ille Ecclesiæ Doctor, & Patribus ipsis, & eorum Codicibus, qui duobus anterioribus sæculis exarati fuerant, coævus, aut ferme suppar, adsignificavit, plures eorumdem temporum librarios reapse diligentes extitisse, ipsorumque Patrum ac singillatim Hieronymi Codices, quos scribæ exararant, erroribus caruisse: alioquin Augustinus sicut *putatum vel scriptoris, vel interpretis errorem* in exscribendo, aut vertendo Chrysostomi loco observavit; ita scribarum errata in exarandis aliorum Patrum, ac præsertim Hieronymi opusculis adnotasset; quod cum non adverterit, sequitur, ipsorum Patrum volumina, quæ retulit, & quorum unum græcum Chrysostomi, exemplar integrum a Latino adulterato secrevit, inviolata fuisse, quæ cum ita sint: cumque in integris Patrum libris compluribus nullos exscriptionum errores Eusebius, Hieronymus, Augustinus, Gennadius, Isidorus Hispalensis, quinta, & sexta Synodus, Photius, ac Bessarion memorarint, & aliqui Critica cautione illos ab aliis, in quibus scriptionis errata inerant, distinxerint: iidem libri sive prioribus, sive posterioribus sæculis exarati, ac modo ex incorruptis manuscriptis græcis, ac Latinis editi, atque a paucis violatis distincti, plerorumque Codicum antiquitatem, integritatem, ac fidem ostendunt; quorum proinde exscriptores diligentes, nullisque gravibus errationibus abusos Dallæus incassum obtundit.

Hisce observatis, ad plura, mixta, & confusa ipsius censoris argumenta distincte revincenda, quoad in ordine progredi oratio potuerit, illico pergimus, ad illa has notas appositurі.

De Sacrorum Codicum similitudine a Dalleo nequicquam assumpta.

QUid illa sacrarum litterarum similitudo, quæ ejus vis, quæ investigatio, quæ tandem excogitatio est? Sane talis, ut omnes Dallæi, aliorumque recentiorum suspiciones evertat.

Etenim Sacri Libri Hebraici, quos Moyses, ac Prophetæ exararant, millies intra quadraginta sæculorum spatium in variis Codicibus scripti, ac non discrepantibus documentis, sed dissimilibus hominum characteribus, quibus multa eorum exemplaria descripta cernuntur, exhibiti, illam ipsam formam, quam a suis auctoribus sacris acceperant, perpetuo servarunt: quorum plura manuscripta non errores, non tineæ, non caries, non blattæ, non vermes denique sepelierunt. Atque ut aliquot Homeri,

ri,

Digitized by Google

ri, Platonis, Herodoti, Varronis, Cæsaris, Livii, Ciceronis, & humanarum artium Codices non, ut Censor falso arbitratur, sepulti, sed in Bibliothecis extantes permanserunt; ita multa Sacrarum Litterarum scripta in illis integre perdurarunt; in quibus Divinis voluminibus plures quorumdam vocabulorum lectiones, quæ Fidei, morumque doctrinam non variant, neque adeo Sacrarum Litterarum auctoritatem minuunt, Patres, & alii eruditi observarunt: quæ observatio Dallæi perimit criminationem, qua veteres, & recentiores sinistre insequitur; qui illas varias lectiones censent minimi esse momenti; neque ita Sacræ Doctrinæ officere, nec isti illis fidem derogari & auctoritatem. Quemadmodum igitur Sacræ Litteræ intra multa temporum spatia integræ servatæ fuerunt; ita fieri potuit, & factum est, ut intra duodecim, & quindecim sæcula complures Patrum Codices eundem habitum, eandemque textuum connexionem, quam ipsis hi tribuerant, semper retinuerint, nihil obstantibus tineis, pulveribus, blattis, vermibus, exscriptionum dissimilitudinibus, & quorumdam Hæreticorum delirationibus: quam rem & illa parilitas, & relati testes, & præcipue Bessarion sæculo xv. clarus, aperte demonstrant.

At Disceptator reponit, Sacras Scripturas utpote omnibus receptas longe majori studio, quam Patrum lucubrationes, quæ paucis, & raro, adeoque vix notæ erant, in Ecclesia universa asservatas fuisse.

Itane vero? Nonne Eusebius ex Ecclesiasticis Græcorum, Latinorum, Syrorumque Monumentis patentibus multa collegit? Nonne S. Hieronymus publica Græcorum, Latinorumque veterum scripta recensuit? Nonne S. Augustinus in Africa commorans complures Græcos, & Latinos Patrum Codices celebravit? Nonne Chalcedonense Concilium, Synodus quinta, & sexta generales, multa Latinorum, Græcorumque Ecclesiasticorum Manuscripta, Romæ, & Constantinopoli integre servata, adduxerunt? Ergo Patrum libros Paucis raro, & vix notos fuisse, Dallæus falsissime esseverat. Quapropter uti Sacræ Litteræ Hebræis, Græcis, Latinis, ac Syris acceptæ, & maximo studio exscriptæ; sic patrum Græcorum opera Latinis, & Latinorum scripta Græcis, & Syrorum volumina utrisque, ac non solum suæ linguæ hominibus, comperta, & studio non minimo exarata ita fuere, ut, dum exscribebantur, alii aliorum oculos, manus, vocesque observarent: quoniam plures Divinarum Litterarum, ac Patrum Codices inviolatos Orbis adcurate servavit; quod posterius etiam S. Hieronymus indicavit, reclamitans, plura Origenis, aliorumque conscripta in *toto Orbe corrumpi non potuisse*, etsi *unus liber violari* potuit, itaut ne minima quidem, quæ ullius esset momenti, depravatio acciderit, quin universæ Ecclesiæ Patres reclamitarent; quod vel S. Augustinus de quodam S. Joannis Chrysostomi textu Latine verso, adulterato, & Græcis incorruptis Codicibus haud consono fecit. Proinde sicut Catholicæ Ecclesiæ Scriptores, quos Dallæus confuse postea adfert, de injuria nonnullis Scriptis Sacris illata questi sunt; ita ejusdem Catholici Orbis Patres de aliquibus depravationibus, quæ paucis veterum Monumentis factæ fuerant, expostularunt: quo quidem factum est, ut in ejusmodi veterum depravationes pronior

nior lapsus non fuerit, nec difficilior animadversio, Patribus advertentibus, & reclamantibus. Argutum vero Sacræ Scripturæ, ac Tertulliani exemplum a Censore sumptum protinus eliminatur. Nam & Divinas Litteras obscuras esse, res ipsa docet, ac Dallæus (*a*) minime inficiatur: & quasdam Tertulliani phrases subobscuras apparere; ejus autem argumenta, quæ Catholicus scripsit, lucescere, Eruditissimus quisque deprehendit. Quare si Divinis Scripturis parva vox adjiciatur, earum stylus obscurus ac simplex impie perrumpitur: Sin illis Tertulliani argumentis vocula addatur, plana eorumdem vis obsidetur & gravitas. Sed has Pyrronismi argutias esse, veritati obsistere, & rei extantiæ opponi, Dallæus adfirmat; qui tamen eas adfert, ostentat, ac fallitur: quia & Sacri Codices, quibus credimus, atque obsequimur, certissime sunt inviolati: & legitima Tertulliani scripta corrupit nemo.

Agam interim rectius, & mittam aliquas mutationes a Dallæo prætextas, quas in originalibus veterum Codicibus facere non instituerunt aut ii quos adduximus, aut alii ab ipso relati. Siquidem Ruffinus Origenis non sententias, sed errores silentio obruere ausus; tamen non græca Origenis scripta *de principiis*, sed suam Latinam istorum versionem adulteravit: sic & Julianus Heterodoxus non Græcum illud S. Joannis Chrysostomi exemplar inviolatum, sed & corruptam Latinam ejus versionem, & sic adulteratam sententiam adduxit. Quæ vero duum generum mutationes, aliæ videlicet ab animo non malo profectæ, aliæ ad fraudem & fucum faciendum comparatæ, aliæ item antiquæ, aliæ demum recentes a Censore dicuntur: istæ pariter in plerosque integros veterum Codices invectæ non sunt, quemadmodum Disceptator ipse diserte adsignificat. Hic autem quosdam suppositos libros cum adulteratis miscet, nempe ut sui argumenti Levitas appareat, qua aliquorum operum suppositionem cum nonnullorum depravatione ubique confundit; contra quem iterum dicam, quod Patres posteriori in Dissertatione laudati aliquos totos libros subdititios abiecerunt, ac significarunt, eos non ad religionem, neque ad auctoritatem veritati, ac bonis rebus conciliandam spectasse, sed non vacasse periculo, & in eam rem, qua de agebatur, non contulisse; ac demum a veris Patrum operibus, quorum certa ratio in optimo quoque vetere insedit, quorumque auctoritas ad veritatem demonstrandam, & ad quæcumque falsa amovenda semper valuit, fuisse distinctos.

Hinc antiquores Critici veras visiones supernas, quas aut Sacræ Litteræ, aut legitima Patrum opera narrant, amplexi, falsas alias repudiarunt; cui crisi, atque judicio S. Hieronymus stetit in Epistola ad Rusticum Monachum Adolescentem; quem ille religiosæ vitæ rudimenta, ac virtutes sic docuit: „ (*b*) Non mihi „ nunc per virtutum prata ducendus „ est rivulus, nec laborandum, ut „ ostendam tibi variorum pulchritu„ dinem florum; quid in se lilia ha„ beant puritatis, quid rosa verecun„ diæ possideat, quid violæ purpura „ promittat in regno; quid rutilan„ tium

(*a*) Dall. initio Capitis v. lib. 1. de usu Patrum.

(*b*) S. Hier. Epist. 126. pag. 927. Tom. 1.

Digitized by Google

„ tium spondeat pictura gemmarum.
„ Jam enim, propitio Domino, stivam tenes, jam tectum, atque solarium cum Petro Apostolo conscendisti; qui esuriens in Judæis, Cornelii saturatur fide, & famem incredulitatis eorum, gentium conversione restinguit; atque in Vase Evangeliorum quadrangulo, quod de Cœlo descendit ad terram, docetur, & discit, omnes homines posse salvari. Rursumque, quod viderat in specie candidissimi linteaminis, in superiora transfertur, & credentium turbam de terris ad Cœlum rapit, ut pollicitatio Domini compleatur, (a) *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* ... (b) De ludo monasteriorum hujuscemodi volumus egredi milites, quos eremi dura rudimenta non terreant: Qui specimen conversationis suæ multo tempore dederunt: qui omnium fuerint minimi, ut primi omnium fierent: quos nec esuries aliquando, nec saturitas superavit: qui paupertate lætantur: quorum habitus, sermo, vultus, incessus, doctrina virtutum est: qui nesciunt secundum quosdam ineptos homines Dæmonum pugnantium contra se portenta confingere; ut apud imperitos, & vulgi homines miraculum sui faciant, & exinde lucra sectentur. "

In His mihi videor videre ruentem Dallæi Excogitationem, qua ex nonnullis hominum fallaciis miracula, & visiones natas esse comminiscitur. Num ergo ex illis S. Petri Apostoli visio, & prodigia orta fuere? Commentum hoc falsum est, atque impium: nam Sacri Codices integri, quos venerando tractamus, referunt illius Apostolorum Principis miracula, atque visionem, quam S. Hieronymus a falsissimis *portentis* omnino sejunxit; quæ *Dæmonum portenta* non omnes Christiani, neque Religiosi omnes, sed *quidam imperitis vulgi hominibus* propinabant: nec tamen superna miracula ostentabant, sed fictis illis Dæmonum pugnis *miraculum* sui, hoc est, vanam sui mirationem ita faciebant, ut ex hacce vera miracula, quæ Historia Ecclesiastica narrat, profecta esse, Dallæus errore deducat; quoniam hæc Divina prodigia certis, probatisque Testibus; illa autem inanis miratio *ineptorum* hominum ostentationibus, innituntur, ac distinguuntur: qui posteriores *homines* cum essent *inepti*, sane haud poterant suæ vanitati auctoritatem conciliare; &, quicquid huic obesset, vel ipsam remorari posset, de via amovere; ac quædam apta eidem apponere; aut saltem, quæcumque hæc, vel illa fuerint, tollere. Nihil enim dignum, nihil validum, nihil aptum habent ineptiæ; ad quas ne ille adolescens abiret, Hieronymus monuit; qui easdem ineptias toleratas, vel commendatas, & ab illis hominibus aliquem aut Sacræ Scripturæ, aut veterum Codicem interpolatum minime protulit: ex cujus proinde contextu censor perperam colligit, quosdam libros ab aliquibus interpolatos hodieque procudi: præsertim cum eruditiores Catholici integras Sacras scripturas, integras S. Hieronymi Epistolas, integras etiam reliquorum Patrum Lucubrationes ediderint; in quibus nihil, quod Catholicæ Fidei repu-

(a) *Matth. cap. VIII.*

(b) *Ib. pag. 932.*

repugnet, aut certe ab orthodoxis ſententiis diſcrepet, continetur.

Quare, dimiſſis cenſoris fallaciis, ad propoſitum, quod ipſe interrupit, revertamur. Enim vero Hæreticos fraudis, qua non omnes ſacri Codices, ſed aliqui improbe violati fuerunt, ſemper ſuſpectos fuiſſe Diſcepiator confingit: Quamvis enim quidam pravi ad illam graviſſimam perniciem aliquando lapſi fuerint; tamen ipſos ſemper ad eam non inclinaſſe, aliqui idonei Teſtes adfirmant: quibus nimia & odioſa Dallæi, aliorumque ſuſpicio infra repelletur.

Quo animadverſo, aſſeveramus, ab Eccleſia Catholica pleroſque integros Sacræ ſcripturæ Codices, etſi nonnulli ab aliquibus Hæreticis, aliiſve nequiter quandoque violati ſunt, ſervatos fuiſſe.

Nam Tertullianus (*a*) Marcionem orthodoxæ fidei hoſtem propterea oppugnavit, quia is S. Lucæ Evangelium impie corruperat; & tamen ſuum ejuſdem Evangelii Codicem integrum; illum autem, qui in Eccleſia legebatur, depravatum temere prætexebat; contra quem Heterodoxum ſcriptor ille liquido dixit: „ Ego meum dico verum, Marcion „ ſuum. Ego Marcionis affirmo a„ dulteratum, Marcion meum. Quis „ inter nos determinabit, niſi tem„ poris ratio, ei præſcribens aucto„ ritatem, quod antiquius reperie„ tur, & ei præjudicans vitiationem, „ quod poſterius revincetur? in quan„ tum enim falſum corruptio eſt „ veri, in tantum præcedat neceſſe „ eſt veritas falſum. Prior erit res „ paſſione, & materia æmulatione. „ Alioquin quam abſurdum, ut ſi „ noſtrum antiquius probaverimus, „ Marcionis vero poſterius, & no„ ſtrum ante videatur falſum, *quam* „ habuerit de veritate materiam, & „ Marcionis ante credatur æmula„ tionem a noſtro expertum, quam „ eſt editum! & poſtremo id verius „ exiſtimetur, quod eſt ſerius poſt „ tot, ac tanta jam opera, atque „ documenta Chriſtianæ religionis „ ſæculo edita, quæ edi utique non „ potuiſſent ſine Evangelii veritate, „ id eſt ante Evangelii veritatem? „ Quod ergo pertinet ad Evangelium „ interim Lucæ, quatenus Commu„ nio ejus inter nos, ac Marcionem „ de veritate diſceptat, adeo anti„ quius Marcione eſt, quod eſt ſe„ cundum nos, ut & ipſe illi Mar„ cion aliquando crediderit: cum & „ pecuniam, in primo calore fidei, „ Catholicæ Eccleſiæ contulit, pro„ jectam mox cum ipſo, poſteaquam „ in hæreſim ſuam a noſtra veritate „ deſcivit. "

Euſebius (*b*) ubi de pluribus ſcriptoribus Eccleſiaſticis, qui ſecundo ſæculo floruerant, egit, aitque, *veterum Eccleſiaſticorum virorum*, *qui tunc temporis vixerunt*, *plurima adhuc ſervantur apud multos laudabilis diligentiæ monumenta:* deinceps cujuſdam Anonymi tertio ſæculo viventis ſcriptum refert; quo hic aliquos Hæreticos Artemonis ſectatores exagitat, quod ii non integros quidem ſacrarum litterarum Codices in Eccleſia Catholica extantes, ſed quædam ſua ipſarum exemplaria corrupte deſcripſerint; quorum audaciam Anonymus idem ſic reſecat: „ Divi„ nis ſcripturis audacter manus in„ tu-

(a) *Tertul. lib. 4. cont. Marc. cap. 4. pag. 415.*
(b) *Euſeb. Hiſt. Eccl. lib. v. cap. 24. pag. 218.*
(c) *Anon. apud Euſeb. cap. 28. pag. 228.*

„ tulerunt, eas a se emendatas esse „ dicentes; atque id a me non falso eis objici, quisquis voluerit, „ facile cognoscet. Nam si exemplaria „ illorum undique conquisita simul „ inter se contulerit, inveniet profecto, illa inter se plurimum dissentire. Certe Asclepiodori exemplaria non conveniunt cum illis, „ quæ sunt Theodoti ... ac proinde „ quid aliud sunt, quam Dæmoniaci! Neque enim negare possunt, „ hoc facinus a se admissum esse, „ cum ipsorum manu descripta sint „ exemplaria; neque ab illis, a quibus in Christiana fide instituti „ sunt, ejusmodi Codices acceperint: „ nec ostendere possint exemplaria, „ ex quibus sua illa descripserunt. „ Quidam autem ex ipsis ne adulterare quidem scripturas dignati sunt, „ sed legem, ac Prophetas absolute „ repudiantes, per illegitimam, & „ impiam doctrinam, sub obtentu „ gratiæ in altissimum exitii gurgitem delapsi sunt. "

S. Epiphanius (a) impias prædicti Marcionis depravationes his verbis narrat, & arguit: *jam enim ed ejus scripta, vel potius scelerate commissa, me confero. Nam iste solum Lucæ Evangelium amplectitur, amputato tamen ejus initio, quod ibi Salvatoris in utero generationem, & ejusdem adventum cum corpore perspicue commemoret. Nec initium modo circumscripsit ille sui potius quam Evangelii corruptor: sed & ex initio pariter ac medio plerasque veritatis sententias sustulit, aliasque pro illis substituit. Hanc unam porro Evangelii formam, quod a Luca scriptum, admittit: Epistolas præterea Pauli Apostoli* (b) *decem, quibus solis utitur, nec iis quidem integris, sed alia ex aliis capita detrahit, alia commutat ..... libet vero disputationem quandam hic inserere, quam adversus Hæreticum istum elucubraveram, cum multis abhinc annis Marcionis hujus commentitias fabulas, & inanissima dogmata perscrutatus essem; quosque ille libros pro Canonicis comprobat, puta Evangelium, quod ipsi vocant, & Apostolicum ab iisdem nominatum evolvens; selectiora inde nonnulla, quæ ad illum refutandum pertinent, continuata serie decerpsissem: uberioris cujusdam operis fundamenta posui, ac singulorum ordinem ita distribui, ut unicuique sententiæ, Prima, secunda, tertia, ac sic deinceps, præscriberem: & ad finem usque singula notarem; in quibus istas Salvatoris, aut Apostoli sententias contra se videtur stultissime retinuisse. Quædam enim ex illis ab eo commutatæ, depravatæque sunt; non ea fide repræsentatæ, qua aut in Evangelii secundum Lucam exemplaribus leguntur, aut Apostolicus ipse stylus præ se ferre videtur.*

Demum S. Augustinus contra Manichæos, qui plurima Divinarum Scripturarum loca a quibusdam deprevata errando contendebant; in litteris ad S. Hieronymum missis hæc scripsit: „ Manichæi plurima Divinarum Scripturarum, quibus eorum „ nefarius error clarissima sententiarum perspicuitate convincitur, „ quia in alium sensum detorquere „ non possunt, falsa esse contendunt; „ ita tamen, ut eandem falsitatem „ non scribentibus Apostolis tribuant, sed nescio quibus codicum corruptoribus: quod tamen quia nec

(a) *Epiph. hæres.* 42. *num.* 1x. *pag.* 309. *Tom.* 1.

(b) *Ib. num.* 2. *pag.* 310.

„ pluribus sive antiquioribus exemplaribus; nec præcedentis linguæ auctoritate, unde Latini libri interpretati sunt, probare aliquando potuerunt; notissima omnibus veritate superati, confusique discedunt. Ubi igitur, & qualis est illa Censoris suspicio? Eam sane antiquissimus Scriptor ab Eusebio relatus tollit, dum aperte testatur, quod *quidam ex ipsis*, Heterodoxis, qui impium Artemonem sectabantur, *ne adulterare quidem Scripturas dignati sunt*, aut ausi: non igitur hujusce fraudis Hæretici semper suspecti fuere: sed censor ipse, aliique recentiores errantes in eandem, quam *Manichæi* de Divinis Scripturis inviolatis improbe habuerunt, suspicionem cadunt; qui eas Sacras Litteras, & pleraque integra Patrum opera ab Hæreticis depravata errore suspicantur; *quia nec pluribus* Sacrarum Scripturarum *exemplaribus*, Hebraicis scilicet, Græcis, ac *Latinis*, de quibus loquitur Augustinus, depravationes illatæ sunt; neque *plurima Ecclesiasticorum Monumenta*, quæ Eusebius celebrat, ab ullis violata, sed a *multis diligenter servata* fuere. Jam vero Marcion non plura *Evangelii* S. *Lucæ*, & *Epistolarum S. Pauli* Apostoli *Exemplaria*, nec *tot*, ac *tanta Christianæ Religionis opera*, quot hæc custodiebat, sed suum exemplar stulte adulteravit, referentibus Tertulliano, atque Epiphanio; quos Dallæus per peram adfert, ut pleraque Patrum opera ab Heterodoxis corrupta causetur: sicut enim Nebulones isti non multa Sacrarum Litterarum exemplaria, sed aliqua; ita quædam Patrum volumina, non plurima nequiter violarunt.

De nonnullis veterum Ecclesiasticorum scriptis.

Deinceps antiquos Ecclesiasticos auctores, ex quibus *plerosque injuriam passos* esse, eamque ex Ruffino, aliisque patere, Hæreticus (*a*) Rivetus, ac Dallæus pertendunt, speciatim expendamus: Quamvis enim Ruffinus in expositione symboli plura, quæ ad istud explicandum attinent, bene conscripserit; nihilominus *pleraque* sanctorum Patrum opera ab Hæreticis depravata fuisse, ibi non dixit; sed hæc verba, quæ Rivetus ipse refert, tantummodo protulit, fuisse *perversos homines, qui ad assertionem dogmatum sub virorum sanctorum nomine inseruerunt ea, quæ illi nunquam scripserunt*: ex quibus Rivetus falso colligit, in *plerorumque Patrum Libris multa esse, quæ depravavit malitia, vel obscuravit inscitia, vel omisit negligentia, vel submovit audacia æque enim plerosque Patres*, nec *ista multa* pronuntiavit Ruffinus: nec multa Patrum volumina, sed pauca, quæ Hæretici corruperant), ab Eusebio, (*b*) S. Hieronymo, ac S. Augustino feruntur: quorum prior quasdam S. Dionysii Corinthii Epistolas, quæ deperditæ sunt, ab Heterodoxis violatas ita exhibet, ut inviolata ipsarum fragmenta referat: ob quam rem non omnia illa exemplaria, sed aliqua ab ipsis Nebulonibus depravata fuere. Unde idem Scriptor jam laudatus adfirmat, *plurima veterum Ecclesiasticorum Monumenta a multis servari*. Tum Hieronymus, & Augustinus, adhibitis quibusdam exceptio-

(a) *Rivet. Tractat. de Patr. auctor. Cap. XII. Edit. Genev. an. 1660.*

(b) *Euseb.*

ptionibus, quas supra exhibuimus, pleraque Patrum volumina incorrupta, plerasque ipsorum sententias, quæ in illis hodie leguntur, commendant; quas proinde non depravavit malitia, non obscuravit inscitia, non omisit negligentia, non denique submovit audacia.

Quapropter S. Hieronymus retulit & illa quidem Ruffini verba, sed integra, & alia, quæ is in Apologia, sive in tractatu de hoc argumento fecerat: quibus iste non pleraque Veterum opera, sed vel dubias, vel fictitias Clementis Romani recognitiones, & Clementis Alexandrini hypothiposes, S. Dionysii Alexandrini scripta ab Hæreticis violata significavit, ut Origenis Libros de principiis in quibus errores se scripsisse Origenes ipse fassus est, ab Hæreticis violatos prætexeret: quem contra dixit Hieronymus, non modo quantum intelligitur ex Hypothesi, sive finita, & particulari quæstione de Origenis persona, illisque ipsius libris Græcis incorruptis; verum etiam quantum judicatur ex Thesi, sive quæstione infinita, aut universali de corruptione operum, quæ Ecclesiastici ediderant: quam posteriorem repugnantiam Dallæus, priore concessa, inconsulto inficiatur adversus generale S. Doctoris argumentum, quod is eruit ex illis quibusdam *exemplis*, quæ Ruffinus adducebat, ut *non* illos aliquos, qui ea opera exararant, *male sensisse*, sed ipsorum, & præsertim Origenis *scripta* ab *Hæreticis* corrupta esse defenderet: cui defensioni Hieronymus hoc universim objecit, quod „ si conceditur, ut quidquid „ in libris noxium reperitur, ab ali„ is corruptum sit, nihil eorum erit, „ quorum fertur nominibus: quam„ quam & illorum non erit, quo„ rum incerta sunt nomina; atque „ ita fiet, ut, dum omnium omnia „ sunt, nihil alicujus erit. Hac de„ fensionis perturbatione nec Mar„ cion, nec Manichæus, nec Arius, „ nec Eunomius accusari poterunt: „ quia quicquid nos ab His impie „ dictum objecerimus; Discipuli re„ spondebunt, non a Magistris suis „ ita editum, sed ab inimicis esse vio„ latum. „ In istis Hieronymi verbis, quæ plenius deinceps subjiciam, generalem *omnium* thesim, & caussam non adspicit nemo. Ergo Dallæus falso negat, S. Hieronymum in eo, quod spectat ad Thesim, contra Ruffinum dixisse. Non igitur pleraque *omnia* aut *Catholicorum* volumina, aut *impia Hæreticorum dicta* sunt depravata: alioquin *nihil* plerorumque omnium, nihil *proprium* illorum, nihil illorum proprium, *nihil* demum *alicujus* erit: quod falsissimum est. Cum autem ea Ruffinus nec affirmaret, nec recte asserere posset; sequebatur, ut ex ipsis paucis exemplis minus bene concluderet, eadem illa Origenis scripta hæresum plena ab Hæreticis viitata fuisse: præcipue quod & Græca ittius Originalia, atque exemplaria corrupta non fuerint; & errores magnos in illis contineri Origenes ipse haud negaverit. Sicut ergo eam *defensionis perturbationem*, ita perturbatam argumentationem quorumdam, qui ex nonnullis depravatis libris pleraque veterum opera violata esse temere colligunt, Hieronymus exagitavit: qui etiam innuit, *recognitionum* volumen sub *incertis nominibus* ferri, ac sic vel dubium, vel probabiliter fictum Clementis Romani esse fætum, & a certa hujusce Epistola ad Corinthios, quam alibi Hieronymus certo adprobavit, distingui.

Illi

Illi vero Clementis Alexandrini *libri*, de quibus idem S. Doctor dubitanter locutus est, & in quibus *Dei Filius creatus* impie *dicitur*, sunt *hypothiposes*, quæ eandem blasphemiam continent, a Clementis Alexandrini stylo maxime discrepant, a quibusdam librariis Heterodoxis prorsus corruptæ videntur, & a certis, inviolatis que ipsius Clementis operibus, uti Photius adnotat, distinguuntur (*a*). Denique S. Dionysii Alexandrini conscripta, quæ Ruffinus objiciebat, a nullo vitiata fuere; cum S. Athanasius Alexandrinus Episcopus illa, ut Hieronymus observavit, bene interpretatus sit, & incorrupta adsignificarit. Non igitur pleraque veterum scripta, nec multa, quæ integra a Criticis demonstrantur; sed aliqua, quæ jam noscuntur, depravata fuere.

Hieronymus itaque græcos illorum Origenis librorum codices inviolatos esse adversus Ruffinum defendit, & ait: (*b*) *Videamus tamen quibus argumentis probare nitatur, Origenis ab Hæreticis scripta vitiata*. „Clemens, „ *inquit*, Apostolorum Discipulus, „ qui Romanæ Ecclesiæ post Apo„stolos Episcopus, & Martyr fuit, „ libros edidit, qui appellantur ἀναγνωρισμὸς, id est, *Recognitio*, in „ quibus cum ex persona Petri Apo„stoli doctrina quasi vere Apostoli„ca in quamplurimis exponatur; „ in aliquibus ita Eunomii dogma „ inseritur, ut nihil aliud, quam „ ipse Eunomius disputare credatur, „ Filium Dei creatum de nullis ex„tantibus asseverans. „ *Et post alia, quæ prolixum est scribere*, quid, quæso, „ *ait*, de his sentiendum est, „ quod Apostolicus vir Hæretica scri„pserit? an id potius credendum, „ quod perversi homines ad assertio„nem dogmatum suorum sub virorum „ Sanctorum nomine, tanquam facilius credenda, interseruerint ea, „ quæ illi nec sensisse, nec scripsis„se credendi sunt. Clementem quo„que Alexandrinæ Ecclesiæ Presby„terum, virum catholicum, *Scri„bit*, in libris suis interdum Dei „ Filium dicere creatum; & Diony„sium Alexandrinæ urbis Episcopum, „ virum eruditissimum, contra Sa„bellium quatuor voluminibus di„sputantem, in Arianum dogma delabi. „ *Et sub his exemplis illud agit, ut non Ecclesiasticos, & Catholicos viros male sensisse, sed ab Hæreticis eorum scripta corrupta esse testetur, & concludat ad extremum dicens:* „ de „ Origene quoque, in quo similiter, „ ut in his, quos supra diximus, „ quædam diversitas invenitur, istud „ non sufficiat sentire, quod de præ„judicatis jam Catholicis sentitur, „ vel intelligitur viris, ne similis „ causæ similis sufficiat excusatio. Si „ conceditur, ut quidquid in libris „ noxium reperitur, ab aliis corru„ptum sit, nihil eorum erit, quo„rum fertur nominibus; sed his de„putabitur, a quibus dicitur esse „ vitiatum; quamquam & illorum „ non erit, quorum incerta sunt no„mina: atque ita fiet, ut, dum „ omnium omnia sunt, nihil alicu„jus sit. Hac defensionis perturba„tione nec Marcion, nec Mani„chæus, nec Arius, nec Eunomius „ accusari poterunt: quia quidquid nos

(a) *Photius in BB. Cod.* CIX.
(b) *S. Hier. lib.* 2. *cont. Ruff. num.* 17. *pag.* 507

„ nos ab his impie dictum objeceri-„ mus; discipuli respondebunt, non „ a Magistris suis ita editum, sed „ ab inimicis esse violatum. Hoc ge-„ nere & iste ipse tuus liber, tuus „ non erit, sed forsitan meus: & „ meus liber, quo tibi accusatus re-„ spondeo, si in illo aliquid repre-„ henderis, non erit meus, sed tuus, „ a quo reprehenditur; & dum om-„ nia ad Hæreticos refers, quid Ec-„ clesiasticis tribues, quibus proprium „ nihil relinquis? Quomodo, inquies, „ in libris eorum vitiosa nonnulla „ sunt? si me causas vitiorum ne-„ scire respondero, non statim illos „ Hæreticos judicabo. Fieri enim po-„ test, ut vel simpliciter erraverint, „ vel alio sensu scripserint, vel a li-„ brariis imperitis eorum paulatim „ scripta corrupta sunt; vel certe „ antequam in Alexandria quasi Dæ-„ monium meridianum Arius nasce-„ retur, innocenter quædam & mi-„ nus caute locuti sunt. Quæ non „ possunt perversorum hominum ca-„ lumniam declinare. Objiciuntur „ Origeni crimina, & tu non illum „ defendis, sed alios accusas, nec „ crimen renuis, sed criminosorum „ turbam requiris. Si tibi dicere-„ tur, quos habet Origenes in hæ-„ resi socios, recte ista proferres. „ Nunc a te quæritur, hæc, quæ „ in Origenis libris scripta reperiun-„ tur, bona sunt, an mala? taces, „ & pro his alia loqueris: Clemens „ hoc ait: Dionysius in isto errore „ deprehenditur: Athanasius Episco-„ pus sic Dionysii (*a*) defendit erro-„ rem: Apostolorum scripta simili-„ ter depravata sunt, quomodo & „ nunc ab aliis tibi hæreseos cri-„ men impingitur, & tu pro Te ta-„ ces, & pro me confiteris? Ego „ neminem accuso, pro me tan-„ tum respondisse contentus. „

Sed Vincentium Lirinensem, (*b*) a quo *corrupti Origenis libri* feruntur, Rivetus adducit: Cui primitus objicimus, quod ille pleraque Patrum (*c*) Græcorum, ac Latinorum *scripta*, ut quæ in *Ephesino* Concilio Œcumenico adversus *impium Nestorium recitata* sint, incorrupta voluit: Qui etiam de quadam erranti Origenis doctrina agens; non græcos omnes istius codices, sed illos principiorum libros, quos Ruffinus e græco in latinum sinistre transtulerat, & *amaverat*, corruptos haud obscure indicavit, dum statim advertit, (*d*) *etsi non ipsum*, *libros tamen sub nomine suo editos*, *magnæ esse tentationi; qui multis blasphemiarum vulneribus scatentes*, *non ut alieni*, *sed quasi sui & leguntur*, *& amantur:* quo enuntiato significavit, non græcos eorumdem principiorum libros, quos Origenes a se scriptos asseruit; sed eos, qui utique in latinum versi *intelliguntur*, *corruptos* esse; ideoque *non ut alienos*, *sed quasi suos* putari: *Et si in errore concipiendo*, uti Vincentius addit, (*e*) *Origenis non fuit sensus*; quippe quia *blasphemiæ*, quibus illam latinam versionem scatere etiam S. Hieronymus observavit, non eo dubitando sensu, quo illas Origenes græce *conceperat*, & ambigendo erraverat, ipsa in versione exprimuntur, ac sic mutatus sensus videtur.

De-

(a) Hæc tanquam absurda, quæ ex Ruffini assertione inferebantur, Hieronymus arguit.
(b) *Vinc. in Comm. cap.* 23.
(c) *Idem in Comm. cap.* 41. *pag.* 463. *& sequ. cit. edit.*
(d) *Vinc. in Comm. cap.* 23. *pag.* 410.
(e) *Vinc. Lir. ib.*

Dehinc S. Auguſtini Epiſtolam ad Vincentium Rogatianum Donatiſtam profert Rivetus, (*a*) qui ex ea *operum S. Cypriani* depravationem perperam colligit; cum S. Auguſtinus plura inviolata ejusdem Martyris ſcripta in libris adverſus Pelagianos exaratis, & alterum incorruptum ipſius ſcriptum de unitate Eccleſiæ, ubi S. Martyr Catholicam *unitatem orbis terræ* adverſus *eos*, qui *ſe* ab ea *ſeparare voluiſſent*, adprobaverat, in eadem Epiſtola commendarit: in qua idem Auguſtinus (*b*) illa germana S. Cypriani opera corrupta non ſenſit, ſed de nonnullis ejusdem, & *Concilii* ſui *litteris*, in quibus is Hæreticos iterum baptizandos dixerat, ita egit: (*c*) ,, Cyprianus autem ſen-
,, ſiſſe aliter de baptiſmo, quam for-
,, ma, & conſuetudo habebat Eccle-
,, ſiæ, non in Canonicis, ſed in
,, ſuis, & in Concilii litteris inve-
,, nitur; correxiſſe autem iſtam ſen-
,, tentiam non invenitur: non in-
,, congruenter tamen de tali viro
,, exiſtimandum eſt, quod correxe-
,, rit, & fortaſſe ſuppreſſum ſit ab
,, eis, qui hoc errore nimium de-
,, lectati ſunt, & tanto velut patro-
,, cinio carere noluerunt. Quam-
,, quam non deſint, qui hoc Cypria-
,, num prorſus non ſenſiſſe conten-
,, dant, ſed ſub ejus nomine a Præ-
,, ſumtoribus, atque mendacibus fuiſ-
,, ſe confictum. Neque enim ſic po-
,, tuit integritas, atque notitia litte-
,, rarum unius quamlibet illuſtris E-
,, piſcopi cuſtodiri, quemadmodum
,, ſcriptura Canonica, tot linguarum
,, litteris, & ordine, & ſucceſſione
,, celebrationis Eccleſiaſticæ cuſtodi-
,, tur; contra quam tamen non de-
,, fuerunt, qui ſub nominibus Apo-
,, ſtolorum multa confingerent: fru-
,, ſtra quidem, quia illa ſic com-
,, mendata, ſic celebrata, ſic nota
,, eſt. Verum quid poſſit adverſus
,, litteras non Canonica auctoritate
,, fundatas, etiam hinc demonſtra-
,, vit impiæ conatus audaciæ, quod
,, & adverſus eas, quæ tanta notitiæ
,, mole firmatæ ſunt, ſeſe erigere non
,, prætermiſit. Nos tamen duas ob
,, res non negamus illud ſenſiſſe Cy-
,, prianum, quod & ſtylus ejus ha-
,, bet quandam propriam faciem,
,, qua poſſit agnoſci, & quod ibi
,, magis contra vos noſtra cauſa de-
,, monſtratur invictior, veſtræque ſe-
,, parationis præſumptio, videlicet
,, ne macularemini peccatis alienis,
,, tota facilitate ſubvertitur, cum
,, apparet in litteris Cypriani, com-
,, municata eſſe cum peccatoribus Sa-
,, cramenta, cum admiſſi ſunt in Ec-
,, cleſiam, qui ſecundum veſtram,
,, &, ſicut vultis, illius ſententiam,
,, baptiſmum non habebant; & ta-
,, men Eccleſiam non periiſſe, ſed
,, in ſui generis dignitate per totum
,, Orbem ſparſa Dominica frumenta
,, manſiſſe.

Hic profecto Auguſtinus non de pleriſque veris, ac genuinis Cypriani libris, atque Epiſtolis, quæ adulterari potuiſſent, quaſque ut integras alibi laudaverat; ſed de prædictis nonnullis iſtius litteris, quas *confictas* eſse quidam contenderent, primum egit: eoque magis has confingi potuiſse argumentatus eſt, quod *lit-*

(*a*) *Riv. ib. pag.* 80.
(*b*) *S. Auguſt. in Epiſtola* 93. *ad Vinc. Rogat. num.* 36.
(*c*) *S. Auguſt. in ead. Epiſt. num.* 38. *& ſequ. pag.* 246 *& ſequ. Tom.* 11.

litterarum ejus integritas minus nota esset, quam *scriptura Canonica omnibus linguis celebrata*, *& ordine Ecclesiasticæ successionis custodita*; contra quam tamen aliquot impii sub *Apostolorum nominibus multa conxerunt*: frustra quidem ob Divinam Canonicarum scripturarum præstantiam omnium *linguarum litteris* optime custoditam, & a multis illis fictitiis omnino seclusam. Quare Donatistis eas Cypriani Epistolas afferentibus opposuit, *litterarum ejus integritatem* eo mirabili modo, quo Scriptura Sacra conservata est, cui commentii nihil addi potuit, *custodiri non potuisse*, non quæ integre asservata non esset, sed cui aliquid *ficti*, de quo in antecedentibus, & consequentibus Augustinus solum disseruit, adjici potuisset. Ac non latinis, & Græcis, sed quibusdam aliis gentibus Cypriani opera, & epistolas minus notas fuisse, quam scripturas Canonicas, idem S. Doctor voluit; cum ex Latinis S. Cornelius Pontifex summus, atque ex Græcis Eusebius (a) ejusdem Martyris scripta retulerint, & integra denotarint. Illas autem ipsius Martyris litteras a Donatistis objectas nec fictitias, nec adulterinas esse, Augustinus ipse monstravit, quippe qui postmodum adprobaverit, ac dixerit, quod in illis Epistolis stylus ejus, qui utique in legitimis Cypriani operibus lucebat, *agnosceretur*: qui stylus, si depravata Cypriani scripta fuissent, *agnosci* non *posset*. Itaque S. Cornelius, Eusebius, Augustinus ipse, atque etiam Hieronymus (b) haud obscure indicarunt, germana S. Cypriani volumina & vera esse, & incorrupta.

Frustra tandem Dallæus objicit S. Cyrilli Alexandrini Episcopi epistolam ad Joannem Antiochenum Præsulem scriptam: in qua S. Cyrillus cum suam doctrinam S. Athanasii testimoniis adversus Nestorianos tuitus esset; atque etiam quosdam, qui *adulteratam ipsius Athanasii Epistolam ad Epictetum ediderant*, arguisset: illam *a vetustis exemplaribus incorruptis* distinxit, ejusque sincerum exemplar ad Joannem Antiochenum Antistitem misit, ac dixit: (c) *Quia vero didicimus, quosdam Orthodoxam præclarissimi Patris nostri Athanasii Epistolam, quam ad beatum Epictetum scripsit, adulteratam, depravatamque edidisse; multosque graviter hinc lædi: rati hoc utile, & salutare fratribus fore, ex vetustis exemplaribus, quæ sincera, incorruptaque apud nos extant, exempla ad sanctitatem tuam transmisimus.*

Quamvis ergo ab Hæreticis nonnulla veterum exemplaria depravata fuerint, nihilominus multa *incorrupta*, quæ etiam nunc extant, & sinceras Patrum auctoritates antiquitus laudatas exhibent, eo modo permansere, quo ipsa adulterinis inconfusa plures alii Scriptores, quos sæpe recensuimus, quosque Dallæus consulere debuit, liquido commendarunt.

De nonnullis antiquorum Conciliorum Generalium Codicibus.

PRisci auctores Ecclesiastici vetustissimarum Synodorum univer-

(a) *Vide Euseb. Hist. Eccl. lib. 6. cap. 43. pag. 270.*
(b) *S. Hier. in Catal. & alibi.*

(c) *S. Cyrill. Alex. in Epist. ad Joan. Antioch. pag. 108. Tom. V. P. 11. Paris. edit. an. 1638.*

falium memoriam ampliſſimis monumentis conſecrarunt; quæ Dallæus haud tenens, & omnia illarum monumenta ab Hæreticis depravata contendens: hujuſce fraudis teſtes quoſdam nuperos librarios, qui Romæ Concilia generalia Sæculo XVII. ineunte ediderunt, eſſe falſo ſumit: nam eorum teſtimonium inſtar mille aliorum non eſt; cum antiquitatis Eccleſiaſticæ teſtes ſint Scriptores priſci, non recentiores librarii; qui nec omnia Conciliorum acta, neque Canones, neque fidei decreta ab Heterodoxis corrupta putarunt; & ſibi teſtimonii vim ſubduxere, dum veteres, imprimiſque (a) *Theodoretum* de Nicæna fidei formula loquentem adlegarunt, quem proinde, atque etiam alios veteres ad refellendas Cenſoris argutationes adferamus oportet.

Theodoretus itaque in ſuæ Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ libris plura integra monumenta ad Nicænum I. Concilium pertinentia, reſque in eo geſtas deſcribit; ac de ipſius Synodi Patribus ſic loquitur: (b) *Cum formulam Fidei, quæ ad hunc uſque diem in Eccleſiis obtinet, communi conſenſu dictaſſent, & ſubſcriptionibus ſuis confirmaſſent: Concilium dimiſere.*

Idem Scriptor poſtea de Arianis fraudem concipientibus iſta narrat: (c) *Ariani cum Imperatoris animum ad iracundiam incitaſſent; pleroſque ex Epiſcopis invitos ad oppidum Thraciæ duxerunt, cui nomen eſt Nice. Cumque ex his alios dolo decepiſſent ob ſimplicitatem, alios metu oppreſſiſſent: perſuaſerunt illis, ut fraudem, quam ipſi dudum adverſus pietatem excogitarant, abſolverent:* καὶ τὴν μὲν οὐσίαν, καὶ τὸ ὁμοούσιον ἐξορύξαι τῆς πίστεως; ἐνθεῖναι δὲ ἀντὶ τούτων τὸ ὅμοιον: *& quidem ſubſtantiam, & conſubſtantiale Fidei pertunderent, ponerent autem contra hæc ſimile.*

Adhæc ipſe Theodoretus adfert S. Damaſi R. Pontificis litteras ad Illyrici Epiſcopos conſcriptas, quibus is illos Arianorum dolos, atque improbitatem ita reſcidit: (d) „Confidimus quidem ſanctitatem veſtram Apoſtolorum inſtructione fundatam, eam tenere fidem, eam plebibus intimare, quæ a majorum inſtitutis nulla ratione differat. Neque enim aliter ſentire Dei convenit Sacerdotes, quorum pars eſt cæteros erudire. Sed Gallorum, atque Venetenſium fratrum relatione comperimus, nonnullos, non hæreſis ſtudio; neque enim hoc tantum mali cadere in Dei Antiſtites poteſt; ſed inſcitia, vel ex ſimplicitate quadam ſcævis interpretationibus æſtuantes non ſatis diſpicere, quæ magis Patrum noſtrorum ſit tenenda ſententia, cum diverſa conſilia eorum auribus ingerantur. Denique Auxentium Mediolanenſem hac præcipue cauſa damnatum eſſe perſcribunt. Par eſt igitur univerſos magiſtros legis per Orbem Romanum paria de lege ſentire, nec diverſis magiſteriis fidem Dominicam violare: nam cum dudum hæreticorum virus, ut nunc iterum cœpit obrepere; ac præcipue Arianorum blaſphemia pullulare cœpiſset: majores noſtri trecenti decem & octo Epiſco-

[a] *Vide præfationem Tom. 1. Concil. edit. Romæ anno 1628. pag. VI. & ſequ.*

[b] *Theod. lib. 1. Hiſt. Ecc. cap. 7. pag. 24. noviſſ. edit. Aug. Taurin.*

[c] *Idem Theodor. lib. 2. Hiſt. Eccl cap. 21. pag. 90.*

[d] *S. Dam. Epiſt. ad Epiſc. Illyr. apud Theod lib. 2. Hiſt. Eccl. cap. 22. pag. 91.*

„ ſcopi, atque ex parte Sanctiſſimi „ Epiſcopi Urbis Romæ directi, „ apud Nicæam confecto Concilio „ hunc murum adverſus arma Diabolica ſtatuerunt, atque hoc antidoto mortalia pocula propulſarunt, ut Patrem, Filium, ſpiritumque Sanctum unius Deitatis, „ unius virtutis, unius figuræ, „ unius credere oporteret ſubſtantiæ; „ contra ſentientem alienum a noſtro conſortio judicantes: quam „ definitionem ſalutarem poſtea aliis „ Tractatibus quidem pervertere, „ & violare tentaverunt. Sed & „ in ipſo exordio ab iiſdem ipſis, „ qui apud Ariminum retractare cogebantur, emendatum hactenus „ eſt, ut ſubreptum ſibi alia diſputatione faterentur, idcirco quod „ non intellexiſſent, Patrum ſententiæ apud Nicæam formatæ eſſe „ contrarium ... Unde advertit ſinceritas veſtra, hanc ſolam fidem, „ quæ apud Nicæam Apoſtolorum „ auctoritate fundata eſt, perpetua „ firmitate eſſe retinendam: hac „ nobiſcum Orientales, qui ſe Catholicos recognoſcunt, Occidentaleſque gloriari.

Atque etiam Theodoretus adlegat S. Athanaſii Epiſcopi Alexandrini Epiſtolam ad Afros: ubi iſte Arianorum commenta, quæ in diverſis Synodis adverſus recta Nicœni Concilii dogmata ediderunt, ita delevit: (a) „ quis „ eos probaturus eſt, qui Ariminenſem, aut aliam quampiam Synodum, præter Nicœnam adlegant; „ aut quis eos non oderit, qui patrum quidem ſtatuta rejiciunt; recentiora vero, quæ apud Ariminum „ per vim, & contentionem confecta ſunt, illis anteponunt? Quis „ vero eſt, qui cum hominibus iſtis „ coire velit, qui ne ſua quidem ipſi „ adprobant? Nam qui in decem, „ & amplius Synodis ſuis, ut jam „ diximus, alia, atque alia ſcripſerunt, aperte teſtantur, ſe ſingulas „ earum damnare... quod ſi quis magnam illam Synodum cum Synodis iſtorum conſerre ex adverſo voluerit; illorum quidem pietatem, „ iſtorum vero dementiam animadvertet. Nam qui Nicææ congregati ſunt, nequaquam depoſiti convenerunt, ſed confeſſi ſunt, Filium „ ejuſdem cum Patre eſſe ſubſtantiæ. „ Iſti vero ſemel, atque iterum, ac „ tertio apud Ariminum depoſiti, „ conſcribere auſi ſunt, dicendum „ non eſſe, quod Deus ſubſtantiam „ habeat aut hypoſtaſim. Et in Occidentis quidem partibus tot, ac „ tales fuere fraudes, ac machinæ, „ quas ſectatores Arii adverſus rectam „ fidem commenti ſunt.

Socrates quinti ſæculi ſcriptor aliquot integra Nicœni Concilii monumenta, & nonnulla exſcripta, quæ Sabinus Macedonianus pervertetat, tractat hoc modo: (b) „ Porro ea, „ quæ in commune placuerant, ſcriptis mandata, & ſingulorum ſubſcriptione roborata ſunt. Et hæc „ quidem Euſebius ad verbum ſcripta iſtis de rebus nobis reliquit. „ Nos vero ea hoc loco proferre non „ alienum duximus; ſed eorum teſtimonio utentes, huic Hiſtoriæ noſtræ conſulto inſeruimus, ſi qui forte Nicœnum Concilium tanquam „ in cauſa Fidei lapſum condemnare

(a) S. *Ath. in Epiſt. ad Afr. apud Theod. lib.* 2. *Hiſt. Eccl. cap.* 23. *pag.* 93.

(b) *Socr. lib.* 1. *Hiſt. Eccl. cap.* 8. *pag.* 18. *& ſeq.*

„ voluerint; iis minime attendamus; „ nec Sabino Macedoniano credamus, „ qui imperitos, ac simplices vocat „ eos, qui in eo Concilio convene- „ runt. Nam Sabinus Macedoniano- „ rum apud Heracleam Thraciæ ur- „ bem Episcopus, qui diversarum Sy- „ nodorum acta unum in corpus col- „ legit, Nicæni quidem Concilii Sa „ cerdotes quasi rudes, ac simplices „ deridet; nec animadvertit, seipsum „ quoque Episcopum, qui fidem il- „ lam post diuturnæ inquisitionis exa- „ men amplexus est, ut imperitum „ simul criminari; ac nonnulla quidem „ de industria prætermisit, quædam „ vero pervertit, atque immutavit. „ Cæterum cuncta ad institutum suum, „ sensumque pertraxit. Et Eusebium „ quidem Pamphili tanquam testem „ Fide dignissimum laudat, impera- „ torem quoque ipsum præconiis af- „ ficit, utpote qui Christianæ Fidei „ dogmata apprime calleret. Fidem „ vero Nicææ expositam reprehen- „ dit... Fidei vero confessio Nicææ „ a Magno Concilio magnifice pro- „ mulgata hæc est. „ Credimus in „ unum Deum Patrem Omnipoten- „ tem, omnium visibilium, & invi- „ sibilium Creatorem: & in unum Do- „ minum Jesum Christum, Filium „ Dei, genitum ex Patre unigenitum, „ hoc est, ex substantia Patris; Deum „ de Deo, lumen de lumine, Deum „ verum de Deo vero; genitum, non „ factum, ὁμουσιον Consubstantialem „ Patri, per quem omnia facta sunt, „ quæ in cœlo sunt & in terra .... „ Credimus & in Spiritum Sanctum: „ eos autem, qui dicunt, fuit ali- „ quando tempus, cum non esset, & „ antequam gigneretur, non erat; vel „ quod de non extantibus factus est, „ aut qui ex altera substantia, vel „ essentia dicunt esse Filium Dei, aut „ creatum, aut conversioni, mutatio- „ nique obnoxium, anathematizat „ Sancta, Catholica, & Apostolica „ Ecclesia. „ Hanc fidem trecenti „ quidem, & octodecim Antistites „ probaverunt, & amplexi sunt; at- „ que, ut Eusebius scribit, uno om- „ nes ore, & in unam sententiam „ conspirantes conscripserunt.

Dehinc Socrates Arianorum formulam, de qua locuti sumus, hoc modo describit, atque exagitat: (*a*) „ cum „ Episcopi apud Ariminum conve- „ nissent; Orientales quidem se ad „ Concilium venisse dixerunt, nul- „ lam prorsus de Athanasii causa men- „ tionem facturos: eorum studium, „ atque institutum omni ope adju- „ vabant Ursacius, & Valens. Qui „ initio quidem Arianum dogma de- „ fenderant; postea vero in consub- „ stantialis fidem consenserant, dato, „ sicut ante dictum est, libello Ro- „ manæ urbis Pontifici. Quippe isti „ semper ad eorum partes transibant, „ qui plus posse viderentur. Quibus „ sese adjunxerunt Germinius, Au- „ xentius, Demophilus, & Cajus. „ Cum igitur in consessu Episcopo- „ rum alius aliud proponere conare- „ tur, Ursacius, & Valens pro non „ scriptis habenda esse dixerunt quæ- „ cumque de fide antehac pronuntia- „ ta essent, & suscipiendam esse no- „ vissimam illam Fidei formulam, „ quam ipsi paulo ante Sirmii con- „ venientes ediderant. His dictis „ chartulam, quam præ manibus ha- „ bebant, legendam curarunt, ... „ Hæc autem ex latino sermone in Græ-

(*a*) *Socr. lib. 2. Hist. Eccl. cap. 37. pag. 116. & seq.*

„ Græcum conversa sic habet: „ exposita est Fides Catholica præsente „ Domino nostro Constantio, Flavio, „ Eusebio, & Hypatio, clarissimis „ Consulibus, Sirmii die undecimo „ Kalendas Junias. Credimus in unum „ solum, ac verum Deum Patrem „ Omnipotentem, .. Conditoremque „ omnium. Et in unum Filium Dei „ unigenitum, qui ante omnia sæcula, ante omne principium, ante „ omne tempus, quod intelligentia percipitur, ante omnem denique comprehensibilem notionem, „ sine passione genitus est ex Deo, „ per quem & sæcula condita, „ & omnia facta sunt: qui genitus „ est ex Patre unigenitus, solus ex „ solo, Deus ex Deo, similis Patri, „ qui ipsum genuit secundum Scripturas: cujus generationem nemo „ novit, nisi Pater, qui ipsum genuit. Hunc unigenitum Filium Dei „ nutu paterno e Cœlo in terras advenisse scimus... Nomen vero substantiæ, quod a Patribus simplicius „ ponitur, a populo vero minime intellectum, offensioni est plurimis, „ propterea quod in scripturis non „ continetur, placuit omnino removere, nec ullam deinceps, cum de „ Deo sermo est, substantiæ fieri mentionem, quoniam Scripturæ Sacræ „ nusquam meminerunt substantiæ „ Patris, & Filii. Filium vero per „ omnia similem Patri dicimus, quemadmodum Sanctæ Scripturæ dicunt; ac docent. „ quibus recitatis, ii, quibus ista non placebant, „ consurgentes dixerunt, non pro „ pterea huc venimus, quod egeremus Fide: eam enim integram servamus quam a Majoribus accepimus. Sed idcirco venimus, ut si „ qua novitas circa illam emerserit, „ eam reprimamus.. Quamobrem si „ ea, quæ rata sunt, nihil habent „ novitatis, aperte jam anathemati subjicite hæresim Arianam, quemadmodum & alias hæreses vetus „ Ecclesiæ regula tanquam impias „ rejecit: impium enim Arii dogma „ tumultus, ac seditiones ad hunc „ usque diem in Ecclesia excitasse, „ orbi terrarum manifestum est, hæc „ conditio cum ab Ursacio, Valente, Germinio, Auxentio, Demophilo, & Cajo non admitteretur, „ penitus divisit Ecclesiam. Etenim „ isti quidem ea, quæ tum in Synodo Ariminensi recitata fuerant, „ amplexi sunt; alii vero Nicænam „ fidem denuo confirmarunt.

Gelasius (*a*) Cyzicenus circa annum Domini 476. florens, libris suis Nicenæ 1. Synodi acta exhibet, idque testatur: „ quæ in Sancta, magna, „ & universali Episcoporum Synodo, „ ex omnibus, ut sic dicam, Romani Orbis Provinciis, & ex Perfide, Dei gratia, & pii, ac Deo „ chari Imperatoris nostri Constantini edicto Nicææ congregata, pro „ Apostolica, & Orthodoxa Fide contra perversa, & impia impii Arii „ dogmata: omnia, inquam, quæ „ in præclara illa, & Sancta Synodo dicta, facta, & constituta fuerant, jampridem, cum adhuc in „ paterna domo vitam degerem, legi: cum illa invenissem in antiquissimo libro in membranis plane integris descripta.

Tum autem Synodus 1. Constantinopo-

(a) *Gelas. Cyzic. lib. 2. Hist. de act. Nic. Syn. Apud Labb. Tom. 11. Com. pag. 188.*

& recentioribus omnibus, vel prædictis librariis, qui illorum verbis abutuntur, omnino graviores, utpote qui ipsis antiquis Conciliis generalibus suppares fuerint. Hæc vetustas, hæc Roma, hæc Romani Pontifices docuere: quibus Dallæus; qui nuperos eos librarios antiquitatis testes esse falsò supponit, convincitur.

Nam *integra* Nicænæ Synodi acta, quæ a S. Athanasio, Thodoreto, ac Gelasio Cyziceno referuntur; Ariani minime corruperunt; quippe qui *alia; atque alia*, ac sic diversa ab illis actis, scripserunt; quæ quidem diversitas est, non corruptio, teste ipso Athanasio, qui; ut *magna Synodus* illa *cum* Arianorum *Synodis conferretur*, periit; quæ collatio nihil eum juvasset, si *magnæ Synodi* Nicænæ acta ab iisdem Arianis depravata fuissent: quorum proinde *fraudes*, ac *machinæ tales* fuerunt, ut *adversus* ea acta, & *rectam fidem a magna* ipsa *Synodo scriptam*, atque adeo haud corruptam, secus *recta* non esset, plura *commenti* fuerint. Non igitur isti Heterodoxi Græco vocabulo ὁμοού-σιος *consubstantialis*, quod Nicæni Patres in sua fidei formula conscripserant, unam litteram, addidere. Etenim aliter, ac Valesius Theodoreti verba Græca in Latinum minus bene vertit, iidem Hæretici arti *contra* idem consubstantiale ὁμοιον simile in alia formula Nicænæ contraria *posuerunt;* ac non adeo Nicænam formulam depravarunt; quæ quidem Theodoreti ævo, quod Arianorum illam aliam formulam effingentium tempore posterius fuit, *in Ecclesiis obtinebat*, atque ita integre servabatur. Quocirca Damasus testatus est; quod iidem hæretici *sævis interpretationibus*, & *aliis Tractatibus*, qui a Textuum corruptione maxime differunt, Nicænam *Definitionem perverterint;* quam tamen *perpetua firmitate*, quæ scilicet depravationibus interrupta, & infirmata non erat, *retinendam esse*, idem Pontifex tradidit. Verum Sozomenus scribit, quod *fertur denique*, *Eusebium* (*a*) *Nicomediensem*, *&* *Theognium Nicææ Episcopum*, *corrupto Notario*, *cui Imperator acta Synodi Nicenæ servanda commiserat*, *subscriptiones suas delevisse:* quod recte scriptor ille *ferendi* voce in dubium vocat: nam constat ex Theodoreto (*b*) antiquore, ab Eusebio ipso, & Theognio *Arium* dumtaxat *excommunicatum* fuisse, ac fidei formulam a Nicænis Patribus, qui eam *dictaverant*, deinceps *subscriptam*. At Eusebius Nicomediensis, & Theognius illam haud dictaverunt, sed aliam *blasphemiis* refertam Synodo obtulerunt: merito igitur factum illud Sozomeno venit in dubium, qui etiam ipsum quodammodo falsum esse innuit, referens, Arianos illos *subscriptiones suas delevisse*, haud rescissis Nicænæ Synodi artisquæ vel Socrates multo post Eusebii Nicomediensis, & Theogni mortem, quæ fere medio quarto Sæculo evenerat, vidit ab Eusebio Cæsariensi *ad verbum*, atque adeo integre *relicta*, & *roborata singulorum*, quibus *in commune placuerant*, *subscriptione:* nulla ergo subscriptio a Nicænis actis ablata quinto Sæculo, quo Socrates scribebat, apparuit; nullaque adeo est Sozomeni, qui eodem ævo vitam agebat, dubia narratio. Quare si Sabinus Macedonianus

(a) *Sozom. lib. 2. Hist. Eccl. cap. 21. pag. 67.*

(b) *Theod. lib. 1. Hist. Eccl. c. 7. pag. 24. cit.*

nus quædam Nicæni Concilii verba impie *pervertit*, atque *mutavit*, id fecit in suo exemplari describendo, non in ipsius Synodi Autographo, neque in exemplaribus inviolatis, ex quibus Socrates adversus illum Hæreticum integram Nicænam fidei formulam attulit: quam & Damasus Pontifex Maximus, & Synodus Constantinopolitana generalis contra Macedionianos produxit: cujus Synodi acta inviolata, & Canones Theodoretus, aliique veteres significarunt; quippe in quibus gestis *incorrupta Doctrina*, quam idem Concilium conscripsit, cernatur. Denique integritatem, *vetustis*, ac *veriores Synodorum*; Ephesinæ Œcumenicæ, & Chalcedonensis Codices, quos, S. Gregorius Magnus appellat, & a *novis* violatis distinguit, præseferunt,

Cum itaque eos Testes satis idoneos, præsertim Socratem, ac S. Gregorium Magnum, librarii adducti sua in præfatione excitarint: hi secundum illorum sensa *vetustos* recensitarum Synodorum *Codices veriores*, & incorruptos, nonnullos vero novos aut Hæreticorum, aut aliorum fraudibus depravatos voluerunt: cum itaque eorumdem Conciliorum acta, quæ Theodoretus, Socrates, S. Gregorius Magnus, aliique veteres adulterinis inconfusa recensent: illorumque Canones puri, & integri sint; in iisque *incorrupta* Patrum *Doctrina*, quam Romana, & Catholica Ecclesia pro Canone habet, reperiatur: nihil in eorum vetustis exemplaribus, & cæteris. quæ *verioribus* respondet, Hæretici potuerunt; qui neque eorumdem integras partes, & reliquas ab ipsis Testibus laudatas oppresserunt, quæ tanti fiunt, ut ex eis plura fidei dogmata eruantur, Concilio Tridentino respondente; cujus acta integra, & Canones editi, in quorum pluribus fidei definitiones ex Patribus probatæ adspiciuntur, ad refellenda Dallæi, aliorumque argumenta valent, atque sufficiunt.

De exscriptis aliquot Ecclesiasticis monumentis.

ALia veterum scripta quæramus, & intueamur; quorum aliqua depravari potuisse, ex S. Epiphanio, cujus locum reperire non potui, Dallæus argumentatur; qui tamen se ipse suo refutat argumento. Nam ex eodem Epiphanio refert, in bonis S. Lucæ exemplaribus legi, Christum flevisse, eoque testimonio usum Irenæum, & quosdam imprudentes ex Lucæ voluminibus, quæ ipsi describebant, vocem illam sustulisse. At isti rudes homines idem verbum in Irenæi operibus scriptum non deleverunt, Dallæo affirmante. Is ergo ex illa deletione falsissime colligit, nullam veteribus Catholicis religionem futuram fuisse, vocem aliquam, si eam sententiæ suæ repugnare, aut Hæreticorum corruptelis obnoxiam esse censerent, ex Patrum scriptis expunxisse: quoniam illi quidem bonis, & emendatis Divini illius Evangelii exemplaribus parcentes, eaque ducentes majore religione, quam suos novos Codices, quos Hæreticorum timore inani violarant: tamen humana Irenæi scripta, in quibus vox illa eorum opinationi, & formidini contraria existebat, & extat, neutiquam corruperunt; ex quo proinde Dallæus contra suam assertionem, contra argumentationis leges, contra S. Epiphanii testimonium infert, probabile esse Patrum opera corruptioni obnoxia fuisse; cum

ne

ne unius quidem Irenæi opera iidem illi corruperint.

Hic iterum Dallæus Ruffinum producit; quem a S. Hieronymo diffidentem S. Augustinus ægerrime tulit, cujusque proprios labores, non adulterinas Origenis, & Eusebii interpretationes, Gennadius commendavit. Nam ille præsertim græca Origenis utilia, & noxia mutavit sua versione latina. Hieronymus autem quarumdam Origenis Homiliarum *utilia*, (*a*) uti græce scripta erant, latine vertit, & *noxia* tantum *subtraxit*, ac sic a Ruffino ita dissentit, ut etiam ejusdem Scriptoris Periarchon libros in latinum integre transtulerit, & græca Origenis scripta haud corrupta esse testatus sit: quorum aliquot inviolati Codices plane editi sunt; quos proinde nec Hilarius, nec Eusebius Vercellensis, nec Hieronymus, nec ullus alius adulteravit: qui quamvis ea Origenis noxia, quæ rudibus offensioni esse poterant, in suis versionibus haud posuerint; tamen utilia non mutarunt: idque (*b*) Hieronymus in Apologia contra Ruffinum, atque adeo aliis in locis, significatum voluit. Sed enim adversus S. Hieronymi testificationem Dallæus obtendit, quod S. Doctor in latina græci Chronici, quod Eusebius Cæsariensis concinnarat, versione pleraque immutarit, videat Censor S. Hieronymi præfationem eidem operi præfixam; in qua hic apertissime dixit, (*c*) *Sciendum etenim est me & interpretis, & scriptoris ex parte officio usum, quia & Græca fidelissime expressi, & nonnulla, quæ mihi intermissa videbantur, adjeci, in Romana maxime Historia*. Quibus S. Doctor declaravit, se quidem in describendo Eusebii Chronico & *Interpretis*, & *Scriptoris officio usum* esse; atque ut *Scriptorem*, *nonnulla* illi *adjecisse*; Verumtamen Eusebii *græca fidelissime expressisse*; quorum aliqua interrupta fragmenta nunc extant; quæ proinde cum Hieronymi interpretationibus plane conferri non possunt. Ex eo autem Hieronymi testimonio facile intelliges, eum ut *interpretem*, quamvis ut *scriptor nonnulla adjecerit*, nihil sibi in vertendis *græcis* indulsisse; sed *fidelissime* eadem expressisse: quem morem retinuisse ejus Discipuli censendi sunt; qui græca Origenis scripta integre exscripserunt, & in nonnullis græcis exemplaribus, aut fragmentis extantibus illius errores, qui ab Ecclesiæ sententiis abhorrebant, exararunt, tametsi ii in aliquibus latinis translationibus mimine appareant. Recte igitur Hieronymus, ejusque Discipuli aut græca, aut latina veterum autographa exscripserunt, haud obstantibus quibusdam versionibus.

Differt. IV.

Unde in germanis veterum Codicibus plura loca ineptissime assueta, pulsus, & spiritus, sive styli inæqualitas magna, & spatia a Dallæo conficta, minime habentur: qui hæc incassum probat ex marginalibus nugarum notis, quæ in antiquis Gothicis S. Ambrosii editionibus non leguntur; in cujus libris de Abraham unus locus non corruptus quidem, sed subobscurus est, qui patefieri facile potest.

Hinc mirum est, quod Dallæus Erasmi oratione critica delectatus;

V nunc

(*a*) S. Hieron. lib. 2. contra Ruf. pag. 459. Tom. II.

(*b*) Ibid.

(*c*) S. Hier. in Præf. Chr. pag. 7. tom. 8.

nunc contra eum, qui illos S. Augustini versus Purgatorium docentes in sua editione posuit, disputet, & ex Ludovico Vives, ex Holstenio, aliisque contendat, eosdem capiti XXIV. libri XXI. de Civitate Dei insertos fuisse: quos tamen in purioribus, & antiquoribus S. Augustini Codicibus legisse putandus est. Sed hoc prætereamus; atque ex certissimis, vetustissimis, & inviolatis Manuscriptis Gallicanis, Anglicanis, Vaticanis, aliisque, quæ recentiores Benedictini Patres edidere, afferamus S. Augustini textus ita connexos, ut in ipsis nulla styli dissimilitudo, nullumque sit spatium, quod Dallæus comminiscitur. Nam Augustinus de iis, pro quibus Ecclesia orat, agens, Purgatorium hoc modo significat: (a) *Pro Defunctis quibusdam, vel ipsius Ecclesiæ, vel quorumdam piorum exauditur oratio, sed pro his, quorum in Christo regeneratorum nec usque adeo vita in corpore male gesta est, ut tali misericordia judicentur digni non esse, nec usque adeo bene, ut talem misericordiam reperiantur necessariam non habere. Sicut etiam facta resurrectione mortuorum non deerunt, quibus post pœnas, quas patiuntur spiritus mortuorum, impertiatur misericordia, ut in ignem non mittantur æternum. Neque enim de quibusdam veraciter diceretur, quod non eis remittatur neque in hoc sæculo, (b) neque in futuro, nisi essent, quibus, etsi non isto, tamen remittetur in futuro.*

Hi sunt duodecim illi Augustini versus in integris, & certis Augustini scriptis extantes, quæ intueri, & ab aliis minus probatis, ac recentibus distinguere Censor debuit: a quo etiam sinistre Holstenius dehinc opponitur; qui non de vetustis, & incorruptis S. Athanasii, S. Joannis Chrysostomi, ac Procli Codicibus græcis, quos integros in excusis eorum operibus Critici probant, sed de exscriptis „ sequiorum sæculorum „ ineptiis„ expresse loquitur.

Mitto ea, quæ de Sacris liturgiis, *Breviariis*, ac *Missalibus* primum, & deinde Dallæus perperam tractat: neque enim in græco liturgiæ S. Basilii Magni Codice, quamvis interpolato, neque in latinis Liturgiis (c) ab Ecclesia adhibitis superstitiones, quas Masius, & Cassander errore affirmant, sed Sacræ ceremoniæ a Ss. Justino Martyre, Basilio, Chrysostomo, & Proclo, quorum plura integra scripta habemus, traditæ reperiuntur: Cujus traditionis monumenta sunt aliquæ preces illis additæ, quæ scilicet Liturgiarum substantiam non mutant, sed ad earum speciem pertinent, & dignitatem: de quibus, & aliis ritibus recensitis, quos Dallæus inique carpit, & ideo ejus argutationes dimisimus, Ecclesia servavit celebrem regulam S. Augustini dicentis: (d) *In his enim rebus, de quibus nihil certi statuit Scriptura Divina, mos populi Dei, vel instituta majorum pro lege tenenda sunt. De quibus si disputare voluerimus, & ex aliorum consuetudine alios improbare, orietur interminata luctatio, quæ labore sermocinationis cum certa documenta nulla veritatis insinuet,*

(a) *S. Aug. de Civit. Dei lib. XXI. cap. 24. pag. 642. Tom. VII. novist. Ven. edit. in cujus capitis nota legas Augustini textus ab Erasmo editos.*

(b) *Matth. 12. 32.*

(c) *Vide & Codicem græcum Liturgiæ S. Basilii Tom. II. operum ejus pag. 674. & Duham. Tract. de Euch. cap. IV. & sequ.*

(d) *S. Aug. ep. 36. pag. 68. Tom. II.*

nuet, utique cavendum est, ne tempestate contentionis, serenitatem charitatis obnubilet.

De quibusdam Canonum Ecclesiasticorum Codicibus.

NUnc primum diluenda sunt ea, quæ contra Gratianum, cujus ingenium si non omnis, at aliqua perquirendorum antiquorum Codicum diligentia incitavit, Dallæus dicere solet.

Verum hunc Censorem id refellit, quod cunctis notum est ex confusis Concilii Carthaginensis tertii, & quarti Canonibus ortam fuisse eorum legendorum varietatem: itaut illum quartæ hujus posterioris Synodi Canonem XLIV. quem prius Dallæus objicit, unus Codex membranaceus, ut vocant, ab Joverio, (*a*) & Baile, relatus & aliquot Manuscripta exemplaria exhibeant hoc modo; *Clericus nec Comam nutriat, nec Barbam*. At vero in Gemblacensi Codice habetur, *barbam tondeat*, & in Gandensi, *barbam radat*. Hæc autem codicum varietas, quæ non in priori, sed in posteriori Canonis parte cernitur, ostendit, priorem partem certam esse, & alteram dubiam, atque ab Amanuensi additam uni exemplari Bibliothecæ S. Victoris Parisiensis, in quo legitur: *Clericus nec comam nutriat, nec barbam radat:* quod posterius subdititium esse indicant plerique alii Codices eo carentes. Gratianus igitur vel alteram Canonis partem, quæ in multis aliis Codicibus varie legebatur, dubiam, aut subditam probabilius putavit; vel suo in exemplari minime legit, magna Codicum varietate suffragante. At, inquiunt, ab eo posteriorem partem resecatam fuisse, utpote a sui ævi moribus alienam: postquam enim contra Canonem radi a Clericis barba cæpit, Canonem, qui vetaret, extare non placuit. Qui hæc objiciunt, nequaquam observant, quod antiquissimus ille Joverii Codex, & plura exemplaria ei consentientia, quæ quidem uni non autographo, sed exemplari S. Victoris præferenda sunt, ita, ut diximus, legant: *Clericus nec comam nutriat, nec barbam:* secundum quem Canonem proinde, non contra eum, radi a Clericis barba cæpit; quibus eundem, qui non vetaret, sed illam radi juberet, extare placuit: quem usum si Gratianus respexisset, eundem Canonem protulisset in medium: quod cum neutiquam fecerit, idcirco sui temporis morem non spectavit, sed Canonis verba, prout ea in suo volumine legerat, attulit. Nec vero *comæ* non *relexandæ* verbo, quod idem est, ac eam non nutrire, Canonem mutavit; sicut amanuensis, qui in altero Codice scripsit *tondere* pro *radere*, Canonem haudquaquam invertit. Ac si ei Canoni quidpiam deesse dixeris, jam sequitur, Gratiano Mancos illorum Canonum Codices visos, ac proinde solam priorem ejusdem Canonis partem ab eo rectius exscriptam, non Canonem resecatum esse, neque mutatum.

Quid dubitas inde, Concilii Arausicani I. Canone, ita constituto, ut particula negante, quam Dallæus objicit, careat, id tenere unum, id tueri, id defendere?

Etenim Canon ille prior in antiquio-

(a) *Vide Sum. Concil. Bail. Tom. 11. pag. 104. nov. Patav. edit.*

quioribus ejusdem Synodi Codicibus, & in recencioribus editionibus sic legitur: (*a*) *Nullus ministrorum, qui baptizandi recipit officium, sine chrismate usquam debet progredi, quia inter nos placuit, semel in baptismate chrismari. De eo autem, qui in baptismate, quacumque necessitate faciente, non chrismatus fuerit, in confirmatione Sacerdos commonebitur. Nam inter nos chrismatis ipsius nonnisi una benedictio est. Non ut præjudicans quicquam dico, sed ut necessaria habeatur chrismatio repetita.*

Quo ex Canone colligitur, idem chrisma *baptismi chrismationi* in vertice, & *chrismationi confirmationis* in fronte inservisse. Illud autem, *non præjudicans quicquam dico*, idem est, ac si ob *necessitatem* chrismatio, collato baptismate, plenius effecta non sit: nullum inde æternæ salutis periculum procreatur; sed, depulso vitæ periculo, propter *confirmationis* Sacramentum, de qua Canon expresse loquitur, quamque a baptismate secernit, *necessaria est repetita chrismatio*.

Huic autem postremo Canonis enuntiato Sirmondus in sua Conciliorum Galliæ editione negationem sic addidit, *ut non necessaria habeatur repetita chrismatio*: (*b*) quam negationem ille apposuit, secutus antiquam editionem Coloniensem, & adversatus eruditissimo Frontoni Ducæo, qui, exploratis vetustissimis ipsius Arausicanæ Synodi Codicibus, illam negationem sua in editione haud posuerat, sed illum Canonem ita, ut nos supra eum exscripsimus, sincere ediderat: cui plura antiqua ejusdem Canonis Manuscripta favent, quorum e numero primus est Tuscelli Codex, quem vetustum esse & (*c*) Labbæus Catholicus, & Blondellus, & Dallæus ipse, Hæretici, censent: quo in Codice ille Arausicanæ Synodi Canon eam negationem haud continet: cui Codici antiqua Isidori Mercatoris Manuscripta in Romanis (*d*) Bibliothecis extantia respondent: qui scriptor quamvis plura supposititia adduxerit, nihilo secius sicut germanum illum Arausicanæ primæ Synodi Canonem recte laudavit; ita eundem relata negatione carentem integre exscripsit. Quare Fronto Ducæus, Merlinus, Crabbius, aliique eruditi, vetustis codicibus usi, suis ejusdem Concilii editionibus illam negationem minime apposuerunt; quam etsi habent tres Codices a Sirmundo relati; tamen istos illis recentiores esse, (*f*) Petrus Aurealus, Parisiensis Theologus adprobavit. Quocirca Dallæus in edito suo, opere, quod exagitamus, primum ex Sirmondo, & deinceps ex Gratiano (*e*) eundem ipsum Arausicanæ Synodi Canonem sine illa negatione, uti retulimus, repetit. Unde hæc repetitio? Nempe Dallæus ipse ea, quæ contra Gratianum dicit, rescidit: Canonemque ipsum in vetustis Codicibus sine illa negatione in perantiquis Codicibus exaratum, ac sic non mutilum a Gratiano exscriptum agnovit; qui nedum ad sua tempora, verum etiam ad antiquiora, quæ

(a) *Conc. Arauf. 1. Can. 2. pag. 142. Tom. 11. Conc. Bail.*

(b) *Lege illam Summam Concil. Bail. Tom 11. pag. 143. & sequ.*

(c) *Vide Vitasse de Confirm. Tom. VI. Ven. edit pag. 317. & sequ.*

(d) *Lege duos collectionis Canonum Isidori Codices van. Bib. & a RR. PP. Domin. sup. Minerv.*

(e) *Petr. Aur. apud. Bail. ib. & Vitasf. ib.*

(f) *Dall. lib. 1. de usu Pat. cap. XV. pag. 68.*

quæ Canonem illum ea negatione carentem exhibuerant, bene respexit; in quibus etiam chrisma in confirmationis Sacramento *necessario repetitum* fuit secundum perpetuam Apostolicæ Ecclesiæ sententiam, atque doctrinam; quæ pariter tradit, non Presbyterum simplicem, sed Episcopum esse ordinarium Sacramenti Confirmationis ministrum; & extra ordinem, ubi antiquitus Episcopi non extabant, idem Sacramentum a Præsbyteris administratum fuisse: quas res, non alias, quas Dallæus miscet, Arausicani Patres illo Canone significarunt: quorum ævo chrisma semel in baptismate acceptum satis non erat: nec chrismationis & Præsbyteralis, quæ cerimonia est, & Episcopalis, quæ Sacramentum ab illa distinctum nedum Gratiani tempore, sed semper est creditum, erat una, atque eadem ratio; cum *necessaria* esset *chrismatio repetita*; quam etiam alii veteres, aliaque antiqua Concilia docent.

Hic nihil fuit, quod de Gratiani negligentia, qua 36. Trullanæ Synodi Canonem minus exactum descripsit, quereretur Dallæus, & Gregorianos Gratiani Censores perfidiæ puduisse, petulanter jactaret; quam petulantiam ille suis assertionibus fregit; quarum in una potuit, in illius Concilii Canone id legi, quod *Thronus Constantinopolitanus æqualia privilegia cum antiquæ Romæ Throno obtineat... ut qui sit post illum secundus:* dehinc in altera admittit, a Gregorianis Censoribus illa *privilegia æqualia* sic bene e Græco in Latinum versa, ut sint *similia:* quæ eodem modo Gratianus exscripsit, quamvis alia miscuerit. Illos ergo Censores non perfidiæ puduit, sed ipsi verum Græcum textum, ut in integro Codice erat; reddentes, Dallæum retuderunt, qui non *similia*, sed *æqualia privilegia* suo in opere scripsit: quam gradus æqualitatem in Romano Pontifice, & in Constantinopolitano Episcopo nec Patrum ullus, nec Synodus Constantinopolitana 1. nec Chalcedonensis, quas Trullani Præsules eodem Canone indigitant, neque tandem Canonis ipsius contextus a Dallæo, & Gratiano relatus, utique novit: in quo Constantinopolitanus Episcopus dicitur *post illum secundus*; qui *secundus* proinde primo, & summo Pontifici Romano æqualis non est. Hanc veritatem & Ecclesia Apostolica semper, nedum Gratiani temporibus, suscepit; & illi Censores ex inviolatis Græcis Codicibus, quos hic defendimus, juste exegerunt.

Rursus Dallæus ordinem invertens ad Concilium Carthaginense quartum pertransit, & Gratianum accusat, quod is illius Canoni quo mulieri docendi jus in *Conventu* Ecclesiastico, & jus ordinarium baptizandi negatur, exceptionem apposuerit; qua scilicet mulieres, dum necessitas cogit, baptizare possunt: quam exceptionem cum neque ejusdem Synodi Codici, neque interiori Canonis textui, Gratianus addiderit; sed integro Canonis contextu recitato, illam fecerit, & Petrus Lombardus eandem ut a Gratiano factam attulerit; is profecto neque ipsius Synodi Codicem, neque interiorem Canonis textum depravavit, neve callide diluit; sed ipsum Canonem integrum cum exceptione laudavit, itaut in dicendo ruat Dallæus, dum effutit, illam exceptionem ideo a Gratiano effectam esse, ut ne pulsaret suos Catholicos, qui mulieri etiam indoctæ in

in necessitate jus baptizandi concedant. Quis ista feret! multi namque Patres, & magni Theologi docent, viros omnes, omnesque mulieres, etiam ineruditas, illiteratas, sive indoctas, dummodo baptismatis formam calleant, in necessitate extraordinariam baptizandi potestatem, cum ordinarius baptismi minister non adest, habere: qua Doctrina Gratianus ornatus, ubi integrum eum Canonem adlegavit, inde & illam exceptionem optimam dedit: ac similiter Milevitani secundi Concilii Canonem XXII. quo non Episcopi, sed Clerici trans mare appellare vetabantur, non adulteravit; sed illi integre adlegato *limitationem*, quam Eruditissimus Bail (*a*) docet, quaque Clerici etiam ad Romanum Pontificem appellare possent, apposuit: quam provocationem S. Augustinus in Epistola ad S. Cælestinum I. Pontificem summum, quam antea adduximus, haud obscure adprobavit: cujus quidem alium textum de Canonicis Scripturis Gratianus haud integre retulit, sed ex Gregorii XIII. Decreto Censores (*b*) post Gratiani dicta incorruptam, ac plenam S. Augustini Sententiam, quam etiam Dallæus ipse non occultat, posuerunt, hæc adjicientes: *quæ quidem B. Augustini Sententia non ad Decretales Romanorum Pontificum, sed ad Canonicas, & Sacras referenda est*; quapropter Gratiani titulus quamvis obscurus, tamen audax non est; quippe quo nullum signatum *Romanorum Pontificum* nomen ille produxit, ac sic *Sacras Decretales*, sive *Canonicas* Apostolorum Epistolas intellexit. Qui etsi illum Augustini locum minus sincere patefecit, nihilominus Orthodoxi Censores ex inviolatis S. Doctoris Codicibus integram ejusdem Sententiam protulerunt; quam etiam ipse Dallæus integre adlegavit, ac proinde incorruptos Augustini Codices, in quibus ea extat, agnovit.

Atvero is Censor humanas res orbis mutatas, & Eusebii Chronicon aliqua recenti editione inversum, in quo Quadragesimæ jejunium a Thelesphoro R. Pontifice institutum & dies dominicus a Pio itidem summo Præsule Decretus, falso leguntur, immiscet; ac vincit, hanc falsitatem, „ patere ex Manuscriptis quibusdam „ in quibus de his Capitibus, licet „ recentioribus longe acceptissimis, „ altum est silentium. „ Ergo Dallæus Codicum Lectione delectatus, diserte fatetur, quædam Eusebiani Chronici Manuscripta esse incorrupta; quibus consonat recentissima ejusdem editio; (*c*) quæ quoniam utroque illo commento caret, idcirco eas reliquias, quæ ex antiquitate supererant, non immutatas significat; itaut metuendum non sit, ne oleum perdamus & operam, dum in integris vetustatis Ecclesiasticæ Codicibus, quos vel Dallæus probat, genuinum ipsius antiquitatis sermonem, quo nonnullæ editiones minus exactæ repelluntur, inquirimus, ac reperimus; utpote quo illa commenta repudiemus, & Quadragesimæ ac diei Dominici institutiones ex immutabili traditione Apostolica ortas esse cognoscimus.

Nonne autem stupendum est, Dallæum

(*a*) *Bail in sum. Concil. Tom.* I. *pag.* 127.

(*b*) *Decr. prim. Part. distin.* XIX. *Cap.* VI. *pag.* 37. *lugd. Edit. a.* 1661.

(*c*) *Vide Chron. Eusch. Tom.* 7. *S. Hier. noviss. veron. edit.*

læum a fingendi artibus non abſtinuiſſe, & quibusdam errantibus ad ejuſmodi audenda animum addidiſſe! Nam S. Leonis I. Pontificis ſummi ſapientes legati, anno 451. coram toto Chalcedonenſi Concilio, apud ſexcentos ſelectiſſimos Epiſcopos, totius Eccleſiæ florem, ex Græco ſuo Romano exemplari ſextum Concilii Nicæni I. Canonem verbis iis, in quibus rei ſumma vertitur:, recitarunt: nimirum, *Eccleſiam Romanam ſemper primatum habuiſſe:* tum Nicænorum Canonum exemplar, quod in magna Eccleſia Conſtantinopolitana ſervabatur, allatum fuit; & lectus eſt ſextus ille Canon, prout eum Dionyſius (*a*) Exiguus ex Conſtantinopolitano Codice poſtea exſcripſit, in quo ea *Primatus* verba non continebantur: & tamen ſexcenti, illi ſelectiſſimi Præſules, Nicænis Patribus ſuppares, ac ſic certiſſimi Teſtes ſecundum Canonem a Legatis apoſtolicis lectum rem illam declararunt. Nam judices dixerunt: *ex* (*b*) *his, quæ geſta ſunt, vel ab unoquoque depoſita, perpendimus, omnem quidem primatum, & honorem præcipuum, ſecundum Canones, antiquæ Romæ Deo amantiſſimo Archiepiſcopo conſervari... & cætera. Epiſcopi dixerunt. Hæc omnes dicimus. Hæc omnibus placent.*

Hæc refellunt Dallæi commentum, quo vult, ſexti Canonis Nicæni verba „ omnibus reclamantibus, contaminata „, quæ corruptio ficta eſt. Nam *omnes* Chalcedonenſis Synodi *Epiſcopi* non modo non reclamarunt, verum *ſecundum Canones*, Nicænos ſcilicet, *dixerunt, omnem Primatum Romæ Archiepiſcopo conſervari*; idque, & alia, quæ ibi recenſentur, *omnibus placuiſſe*. Si igitur eundem Canonem Nicænum Græce exaratum, quo Romani Archiepiſcopi *Primatus* traditur, Africani Epiſcopi paulo ante Concilium Chalcedonenſe intuiti haud ſunt: ſi ipſum Dionyſius exiguus non legit, qui non ex Græco Romano Codice, neque ex Concilii Chalcedonenſis authographo, ſed ex Conſtantinopolitanis Canonum Codicibus, aliiſve ſuam Canonum collectionem exſcripſit: ſi denique illum Dallæus non vidit: viderunt tamen eum ſexcenti Chalcedonenſes Epiſcopi, ac teſtes Nicæno I. Concilio ferme coævi: & Legatorum Pontificiorum Codicem Conſtantinopolitano ſibi lecto veriorem judicarunt, dum illum præ iſto ſequuti ſunt, & amplexi. Ac proinde nihil ſani, & incorrupti ex antiquitate ſupereſſe, Dallæus falſiſſime pronuntiat: nihil enim clariſſimi veteres, nihil S. Leo Magnus, nihil ejus Legati corruperunt, ſed ſextum Nicænum Canonem ſincere adlegarunt, adprobantibus *omnibus* Chalcedonenſis Synodi antiquiſſimæ *Epiſcopis*.

Sed quoniam Dallæus Dionyſium exiguum retundere temere auſus eſt, idcirco hujuſce teſtimonium, quod in ejusdem præfatione Canonum Eccleſiaſticorum collectioni prefixa legitur, producendum eſt: in qua idem Dionyſius (*c*) ait: *Regulas Nicenæ Synodi, & deinceps omnium Conciliorum, ſive quæ ante eam, ſive quæ poſtmodum facta ſunt, uſque ad Synodum centum quinquaginta Pontificum, qui apud Conſtantinopolim convene-*

(a) *Conc. Chalc. act.* 16.

(b) *Concil. Chalc. act.* XVI. &c. *apud. Tom.* IV. *Labbe antea cit. & apud Bail. ſum. Concil. Tom* 2. *pag.* 251.

(c) *Dionyſ. exig. præfat. pag.* 101. *Tom* I. *Juſtel. Pariſ. edit. an.* 1661.

venerunt, sub ordine numerorum id est, a primo capite usque ad centesimum sexagesimum quintum, sicut habetur in Græca authoritate, digessimus. Tum Sancti Chalchedonensis Concilii Decreta subdentes, in his Græcorum Canonum finem esse declaramus.

Deinde Laodicenæ Synodi quarto sæculo celebratæ Canonem ultimum Dionysius sic exhibet: (a)*quod non oporteat plebejos Psalmos in Ecclesia cantare; nec libros, præter Canonem Legi: sed sola sacra volumina novi Testamenti, vel veteris.*

Quare Dallæus immerito objicit, quod Dionysius exiguus, hunc Laodicenæ Synodi Canonem, qui per se se generalis est, & in quo *Sacrorum voluminum* non speciatim enumeratorum; sed universim indicatorum Canon adducitur, detruncavit „ veritus, ne Ecclesiam Romanam offen-„ deret„ in qua ante Innocentius 1. in veteris Testamenti Canonem retulerat, sapientiam, Ecclesiasticum, Tobiam, Judith, & Machabæos, quorum apud Patres Laodicenos nulla mentio est. Nulla est hæc argutatio: quia tum Dionysius non Romanam, sed *Græcam* Codicis Canonum *auctoritatem* diserte attulit; ac non adeo offensionis a Dallæo fictæ molestiam vidit, neque tunc Innocentii 1. Canonem spectavit, sed *Græcos Canones* utique testes expresse produxit: In quibus proinde Canon ille Laodicenus sine ulla Sacrarum Litterarum enumeratione generatim exponebatur: nec ullus author vel Dionysio antiquior, vel ei coævus afferri potest, qui & Canonem illum Laodicenum, & aliquem Sacrorum voluminum numerum ei adnexum ex vetustiori Græcorum Canonum Codice adduxerit. Dionysium itaque exiguum in illo Canone excribendo „ te-„ chnis usum„ esse, Dallæus inique criminatur. Atque perspicuum etiam illud est, post ipsius Dionysii, qui sexti sæculi initiis florebat, tempora alium recentem Græcorum Canonum Codicem, qui Juniore Justiniano post medium septimum sæculum imperante scriptus fuit, quemque Dallæus laudat, editum esse; in quo Canoni illi Laodiceno aliquis imperfectus Sacrarum Litterarum numerus adjunctus est, & postea in aliquibus Gallicanis Conciliorum Manuscriptis exaratus; qui numerus dubitationem mihi affert; quia ab antiquorum nemine, ut diximus, adductus fuit. Cum igitur hic Sacrorum Librorum numerus, ut in eo Canone postmodum exscripto repositus, dubitationis aliquid habeat; profecta & Dionysius illum Canonem sine isto numero integre exhibuit; & certo antiquioris Innocentii 1. judicio standum, ut certum Sacrorum Librorum numerum monstremus; rescissis Dallæi præjudiciis, inanibusque contentionibus.

Sed quia is Censor illam Dionysii præfationem non vidit: ob id plura falsa, quæ ipsius Dionysii textus brevi refellit, obtrusit: nam Dionysius de Concilii Constantinopolitani 1. Canonibus, qui a Dallæo immerito objiciuntur, hæc protulit: *regulas.. usque ad Synodum .... Constantinop. id est, a primo Capite, usque ad centesimum sexagesimum quintum, sicut habetur in Græca auctoritate, digessimus*: ac recensitis plurium Concilio-

(a) *Dion. exig. Can.* clxii. *ib. pag.* 132.

ciliorum CLXII. Canonibus, Constantinopolitanæ Synodi *Canones tres*, qui priorem illum numerum explent, descripsit. (*a*) Ergo Dallæus adversus istud luculentissimum testimonium false, & inconsulto obtendit, quod Dionysius vetustiorem Græcorum Canonum Codicem, & Constantinopolitanæ Synodi Canones septem „ truncavit „ tribus solummodo numeratis: falso, inquam, hæc propinat; quippe quia solum *tres Canones* in *Græca auctoritate* tunc *habebantur*; in cujus proinde Codicem alii quatuor Canones tum relati non fuerant; qui quidem post Dionysii tempora in posteriori Græcorum Canonum Codice, quem Balsamon, & Zonaras x. sæculo viventes innuunt, exscripti sunt. Hinc Dallæi crimina rescinduntur, quibus ait, a Dionysio, vel ab Ecclesia Romana quatuor illos Canones detruncatos fuisse: in quorum uno de judicandis Episcopis agitur, nulla facta mentione appellationis ad Romanum Pontificem: contra quas Dallæi criminationes primum id valet, quod universalis Constantinopolitani Concilii (*b*) Epistola Synodica ad S. Damasum Romanum Episcopum scripta Hunc ut suum *Caput*, a quo scilicet omnes Episcoporum causæ in quibuscumque Conciliis quæsitæ omnino penderent, plane agnoverunt, & proinde nullam rescindendorum actorum Constantinopolitanorum, & Canonum causam cum Ecclesia Romana, tum Dionysius exiguus Romæ manens, habuere: cujus rei contrarium Dallæus falso asserit, falsoque sumit, reliquos quatuor Canones ab illis recisos fuisse, ac vel scripta Ecclesiastica detruncandi, vel infartis additamentis corrumpendi, audaciam antiquitus, in usu esse cæpisse: quod falsitatis eo convincitur, quia non CLXIX. sed CLXV. Canones *in Græca Codicis auctoritate habebantur*.

Cumque ii CLXV. Canones in ea *auctoritate haberi*, & post ipsorum *numerum* aliquos Chalcedonensis Synodi Canones in eodem *Græco Canonum* Codice statim exaratos esse, Dionysius aperte testetur; ideo in ipso Codice octo Ephesini Concilii Œcumenici Canones contentos, & a Dionysio, & a Latinis truncatos, itidem Dallæus falso supponit: quamvis enim isti octo Canones in antiquis ejusdem Synodi scriptis extarent, tamen in *Græcorum Canonum* Codicem Dionysii tempore relati non erant; quia, cum tantum illi CLXV. Canones, & continuo *Chalcedonenses* in eo scripti essent, sane in ipso Ephesini Canones desiderabantur.

Quin etiam Concilium ipsum Chalcedonense cum de causis Ecclesiasticis ageret, in isto græcus Canonum Codex allatus est; (*c*) ex quo tamen octo illi Canones Ephesini nec adducti sunt, nec indicati. Ergo Dallæus falso insimulat, quod Dionysius exiguus, & Latini Octavum Ephesinum Canonem, quo *Antiocheni Episcopi* (*d*) Cypriorum *ordinationes* usurpantis potentia & fastus coarguuntur, & alii Metropolitæ, ne id faciant, monentur, formidarint, ideoque a suo Codice Canonem illum, aliof-

(a) *Dion. exig. ib. pag.* 133.
(b) *Const.* 1. *Syn. in ep. ad Dam. apud Theodor. loc. sup. cit. pag.*

(c) *Conc. Chalc. apud Justel. Tom.* 1. *pag.* 15.
(d) *Concil. Eph. Can.* VIII. *eundem Just. Tom.* 1 *pag.* 60.

aliosque resecarint : quæ fallax censoris suspicio eo propulsatur, quia Canon ille octavus, ac reliqui Ephesini in Codice, quo Chalcedonensis Synodus usa est, non extabant: quem proinde Dionysius exiguus, & Latini sine Ephesinis Canonibus recte adhibuerunt, nihil metuentes, nihil inde truncantes.

Atque ista Anastasius Bibliothecarius confirmat Præfatione Nicenæ II. Synodo generali præfixa, sive Epistola ad Joannem VIII. Pontificem Maximum scripta : ubi ille de ejusdem Synodi, aliarumque Canonibus ita disputat : (a) „ Sane notandum „ est, quædam in hac Synodo ex „ Apostolorum, & sextæ universalis „ Synodi Canonibus, & sententiis „ inveniri, quæ penes nos interpre- „ tata nec habentur, nec admittun- „ tur. Et certe de Apostolorum Ca- „ nonibus liquido novimus, quo- „ niam his quidem facile præbue- „ re consensum. Sed & Prædecessor „ vester beatissimus Papa Stephanus „ non ex his plus, quam quinquaginta „ recipiendo Synodice promulgavit; „ licet quædam constituta Pontifi- „ cum ex ipsis Canonibus assumpta „ esse videantur. Unde Apostolatu „ vestro decernente non solum illos „ quinquaginta Canones Ecclesia re- „ cipit, sed & omnes eorum, utpo- „ te spiritus Sancti tubarum, quin „ & omnium omnino probabilium „ Patrum, & Sanctorum Concilio- „ rum regulas & institutiones ad- „ mittit, illas dumtaxat, quæ nec „ rectæ fidei, nec probis moribus „ obviant : sed nec sedis Romanæ „ decretis ad modicum quid resul- „ tant, quin potius adversarios, id „ est, Hæreticos potenter impugnant. „ Ergo regulas, quas Græci a sexta „ Synodo perhibent editas, ita in „ hac Synodo principalis Sedes ad- „ mittit, ut nullatenus ex his illæ „ recipiantur, quæ prioribus Cano- „ nibus, vel decretis Sanctorum se- „ dis hujus Pontificum, aut certe „ bonis moribus inveniuntur adver- „ sæ, quamvis omnes hactenus ex „ toto maneant apud Latinos inco- „ gnitæ, quia nec interpretatæ, „ sed nec in cæterarum Patriarcha- „ lium sedium, licet græca utantur „ lingua, reperiantur archiviis : ni- „ mirum quia nulla earum, cum „ ederentur, aut promulgans, aut „ consentiens, aut saltem præsens „ inventa est, quamquam eosdem „ Patres illas Græci promulgasse per- „ hibeant, qui in sexta Synodo sunt „ inventi : sed hoc nullis probare „ certis possunt indiciis.

Porro *Regulæ*, quæ in *sexta Synodo promulgatæ* a Græcis dicebantur, sunt aliquot *Canones Apostolorum*, *Patrum*, *sanctorumque Conciliorum* : qui quidem græco in Codice scripti in nonnullis locis, *cum ederentur*, extabant: *omnes* tamen eo pacto exarati in præcipuarum *sedium Patriarchalium archiviis non reperiebantur*, & *apud Latinos manebant incogniti*, ut nimirum in unum Codicem relati; in quo proinde scriptos Ephesini Concilii canones Dionysius exiguus minime invenit, ideoque hos recte dimisit ; quos etiam Ecclesia Romana, & Latini non consciderunt, utpote sibi tunc *incognitos*. Quare illos aliquot Canones, quos *a sexta Synodo editos* Græci *perhibebant*, non modo in vetustissimis latinis exempla-

(a) *Anast. BB. Pref. in VII. Syn. pag. 675. Tom.8. Concil. Labb.*

plaribus, verum etiam in græcis *ſedium Patriarchalium* codicibus non inveniri, Anaſtaſius teſtatur; qui neque criminatur, ipſos Canones a Græcis ſuppoſitos eſſe; ſed tantummodo dicit, quod iidem *nullis certis indiciis probare poſſunt*, eaſdem *regulas a Patribus, qui in ſexta Synodo ſunt inventi, promulgatas fuiſſe*: quod quidem dictum eſt, non certum, neque ſuppoſitum. Suppoſitiones igitur Dionyſio, Latinis, & Anaſtaſio Dallæus affingit falſa argumentatione.

Quapropter in eo, quod ſequitur, exemplo nullus eſt dubitandi locus de fallaciis cenſoris; qui 28. Concilii Chalcedonenſis Canonem, quo Conſtantinopolitanus Epiſcopus Patriarcha inſtituebatur, obtendit: de quo tamen Canone Legati S. Leonis Pontificis ſummi in ipſius Concilii actione XVI. ut omnibus conſtat, diſſenſerunt, eumque Canonem ita irritum fecerunt, ut Theodorus lector, hiſtoricus græcus, anno 518. florens, ac de Chalcedonenſi Synodo agens, illum 28. Canonem ſilentio iſto prætereat: (*a*) *Synodus Chalcedonem translata eſt, & in Eccleſia Euphemiæ Martyris celebrata in hac Synodo multa neceſſaria dogmata, ac negotia conſtituta ſunt; quorum notitia, & multiplex utilitas ex ipſa actorum lectione percipi poteſt. Expoſiti ſunt etiam Canones viginti ſeptem; quibus omnibus geſtis Epiſcopi ab Imperatoribus honorati, ſinguli ad proprias Civitates remearunt.*

Hæc argumentum luce clarius, aptius, & firmius afferunt ad probandam Dionyſii exigui integritatem, atque ad revincendas argutationes Dallæi, qui multos illorum temporum ſcriptores ſciens, tamen dimiſit Theodorum, in cujus illo loco *viginti ſeptem Chalcedonenſis Synodi Canones*, quos etiam XXVII. Dionyſius (*b*) exiguus dumtaxat recenſet, expreſſe numerantur: qui numerus maximo argumento eſt, illum viceſimum octavum ejuſdem Synodi Canonem Theodori ævo, in quo etiam Dionyſius exiguus florebat, non modo irritum putatum, verum quoque in græco Canonum codice deſideratum fuiſſe; ideoque eundem Canonem 28. ſincere a Dionyſio recenſitum non eſſe; quippe qui *græcam* codicis Canonum *auctoritatem* attulerit, ac dixerit, *Sancti Chalcedonenſis Concilii decreta ſubdentes, in his græcorum Canonum finem eſſe declaramus*.

Quæ omnia declarant, non auctorem fraudis Dionyſium fuiſſe, & jure illum Canonem, cui in Concilii Chalcedonenſis geſtis illi Legati repugnarant, quique a S. Leone Magno reſciſſus in *græcorum Canonum* codicem non referebatur, ab eo omiſſum fuiſſe. Ex his ſequitur, ut non omnes vetuſtiores Hiſtorici, ſed poſteriores, quos Zonaras, & Balſamon ſecuti ſunt, Canone illo 28. codicem, quem Dallæus adlegat, obſignarint. Nam Theodorus, cunctis aliis, quos cenſor producit, antiquior, ex *Chalcedonenſis Synodi actis viginti ſeptem Canones* ſolum recenſet: ex quo colligitur, eum quidem Canonem ab ipſius Synodi Epiſcopis tentatum, ſed ob Legatos diſſentientes non ut legitimum caput

X 2

(*a*) *Theod. lect. in excerptis lib.* 2. *pag.* 510. *Tom. edit. cit.*

(*b*) *Dion. exig. Tom.* 1. *Juſtel. pag.* 137.

put agnitum esse ; quia Theodorus quamvis illum nomine *negotiorum* , quæ in *actis* scripta erant indigitet , tamen inter Canones non numeravit. Quare si omnia antiqua ea monumenta periissent , nihil ejus rei venisset in mentem. Cum autem illa haud interciderint , elapsis undecim sæculis ; hinc illa omissio facta est non in actis a Theodoro adlegatis , sed in vetere receptorum Canonum codice , in cujus canonibus Chalcedonensibus XXVII. *finem esse* Dionysius *declaravit* ; quam declarationem Theodorus ipse habuerat , atque fundarat non laudato quidem illo XXVIII. Canone , sed commendatis ejusdem Concilii *actis* , in quibus & *necessaria dogmata*, & *negotia*, quæ in eo acta fuerant , Manuscripta sunt ; quæ controversiam de illo Canone haud finitam , ut sic Canonem non relatum in definitorum Canonum codicem , ferunt . Quod igitur græci , & latini artibus lusferint , & multa veterum sententiarum monumenta nos fugerint , & magna cautione opus sit , aliaque via nobis sit tentanda ; hæc certe Dallæi vox falsa est , atque fallax : quia & Dionysius certa *græca* monumenta , in quibus Canon ille non cum recentiorum opinatione, sed cum recepto Nicænæ I. Synodi Canone VI. minus conveniens, non extabat , sincere adlegavit , habita non vitii , sed rationis cautione : & Theodorus in græcia scribens, nullumque adeo præjudicium comparans , de illo Canone siluit , & tamen Chalcedonensis *Synodi acta* , *& necessaria dogmata*, pluresque res alias multis notas descripsit , quibus aliisque antiquitatis monumentis nos haud fugientibus illud Dallæi argumentum, quo fraudes facit , liquido reprobatur.

De nonnullis Veterum textibus.

PRimum Dallæus hic objicit aliquos textus resectos ab Adriani I. Romani Pontificis epistola ad Constantinum Imperatorem anno 781. scripta ; quæ in partes est divisa tres ; quarum una Pontifex ille , qui Nicænam II. Synodum pro sacrarum imaginum cultu denuntiarat, probavit suum Primatum ; altera vero eundem cultum vicit . Præterea coarguit tertia illos , qui ex sæcularibus statim Episcopi ordinati fuerant , quorum unus Tharasius Constantinopolitanus Patriarcha erat : tum Œcumenici Patriarchæ nomen , quod Constantinopolitani Præsules sibi dandum pertendebant , quod tamen antea S. Gregorius Magnus rejiciendum notaverat , jure , ac merito reprehendit .

Hanc vero tertiam partem ex authentico illius Epistolæ codice Episcopi græci, qui ad illud Concilium venerant, non abstulerunt , sed tantum in græca ejusdem latinæ epistolæ versione haud posuerunt , ne Synodi utilitas , cui Tharasius, illis Adriani litteris implicite notatus , aderat, impediretur , quemadmodum Anastasius (*a*) Bibliothecarius eodem octavo sæculo illustris testatur ; qui eandem partem tertiam ex genuino Bibliothecæ Romanæ codice integre refert ; qua in parte Adrianus Constantino scripsit , (*b*) *valde mirati su-*

(*a*) *Anast. BB. ap. Labb. Tom* VIII. *Conc. pag.* 763.

(*b*) *Adr. I. ep. ad Constant. pag.* 764. *ejusd. Tom.* VIII. *Labb.*

ſumus, *quod in veſtris imperialibus juſſis pro Patriarcha regiæ urbis*, *ſcilicet Taraſio*, *directis*, *univerſalem ibidem eum reperiamus exaratum*. Dallæus ergo fruſtra opponit, eorum Adriani enuntiatorum ne verbum quidem eſſe in recenti quadam latina, & græca ejuſdem Concilii editione: quoniam ea verba Anaſtaſius in ſuo germano, & antiquiori exemplari exſcripſit, cui a latinis eadem aſſuta fuiſſe, Dallæus ex Græcis neſcio quibus temere aſſert; quem Anaſtaſius ipſe ſua obſervatione retundit; ubi dicit, quod illa, & alia Adriani pronuntiata, quæ jam indicavimus, (a) *Græci ... in Synodo hac nec recitari*, *nec actis inſeri paſſi ſunt*: quæ illam cenſoris nuperi temeritatem qui primum dubitat, & ſtatim indefinite Chriſtianos veteres depravationis inſimulat, removent. Quandoquidem Anaſtaſius & Adriano I. & Synodo ſeptimæ coævus, atque adeo certus teſtis, ac dignus, cui fides tribuatur, aſſeruit, non a Latinis, ſed a *Græcis* illa Adriani effata in *Synodo* eadem *nec recitata eſſe*, *nec actis inſerta*; & tamen in latino illius Pontificis autographo extitiſse; ex quo Anaſtaſius & inviolatas unas illas Adriani I. litteras, & alteram integram ejuſdem Epiſtolam ad laudatum Tharaſium miſsam, quæ Romani Pontificis (b) *Primatum* vincit, quam tamen græci poſtea truncarant, plane edidit. Non ergo antiqui illorum temporum auctores, præſertim latini, ſcripta violarunt, ſed ea, quæ integra hodieque ſuperſunt, a nonnullis interpolatis diſerte ſecreverunt. Quod autem in aliquo græco ſeptimi Concilii exemplari Tharaſius dicitur *Epiſcopus Œcumenicus*: hic titulus a græcis additus eſt poſt eundem Anaſtaſium, utpote qui integras ipſius Synodi actiones, in quibus Titulus ille non legitur, e græco in latinum tranſtulerit.

Atque etiam recte eadem Synodus Iconoclaſtas arguit, quod & in Bibliotheca Conſtantinopolitana librum quendam reſciſſis pluribus foliis corrupiſſent, & aliqua adnotata ex quodam opere deleviſſent; & triginta volumina in urbe Photia concremaſſent: quæ ab illis patrata fuiſſe Concilium ipſum minime criminatur, cum iidem Hæretici alia Patribus, ut ſupra viſum eſt, ſuppoſuerint; quæ a certis, & inviolatis veterum libris eadem Synodus ſeparavit, nec tamen quidquam S. Athanaſio Alexandrino Epiſcopo, ut antea oſtendimus, ſubdidit, & ita Dallæi crimina non modo diluere potuit, verum etiam reſcidit.

Idemque Concilium primum exhibet errores Arianorum, qui Dei Verbum, ac Filium eſſe verum, & ſummum Deum impie inficiabantur, atque ab ipſo Verbo humanitatem ſine anima aſſumptam, idemque loco animæ in ea fuiſſe effutiebant; quibus erroribus ante Nicænam Synodum Euſebius Cæſarienſis Epiſcopus adhæſit; cujus epiſtolam, quæ ad Conſtantiam Licinii uxorem ſcripta ab Iconoclaſtis ferebatur, & opponebatur, eadem Synodus ſic reprehendit: (c) Εὐσέβιος γράφει Κωνσταντίᾳ τῇ λικιννίου γυναικί, μὴ πάρ αὐτῷ εὑρῆσθαι ποτε εἰκόνα, ἐπειδὴ ϗ ἐν τῇ αὐ-

(a) *Anaſt. obſerv. apud Labb. ib. pag. 763.*
(b) *Adr. I. epiſt. ad Tharaſ. pag. 771. Tom. 8. Conc. Labb.*

(c) *Syn. VII. act. VI. pag. 1149. Tom. VIII. Conc. Lab.*

αὐτῇ ἐπιστολῇ λέγει, ὅτι μετεβλήθη ἡ ἔνσαρκος αὐτοῦ μορφὴ εἰς τὴν τῆς θεότητος φύσιν. ἀλλ' οὐδεὶς τῶν ἁγίων πατέρων ἡμῶν ἐφρόνησεν, ἢ ἐδίδαξεν. *Eusebius... Constantiæ uxori Licinii scribit*, „ non aliquando apud se inveniendam imaginem. „ *quoniam & in eadem epistola dicit*, „ quia mutata est incarnata ejus forma in Divinitatis ejus natura. „ *Sed nullus Sanctorum Patrum nostrorum sic sapuit, aut docuit*.

Ecce eorum verborum non interpretationem a Dallæo confictam, sed adlegationem a Nicæno II. Concilio productam; quod quidem illam epistolam esse certam Eusebii prolem haud pronuntiavit, ac non ejus verba exposuit; sed, ut in ipsius exemplari exarata fuerant, tantummodo retulit suis his *verbis*, *Eusebius ... in eadem epistola dicit:* quæ non epistolæ expositionem, sed ejus verborum adlegationem aperte declarant. Illa autem græca epistolæ verba, μετεβλήθη ἡ ἔνσαρκος αὐτοῦ μορφὴ εἰς τὴν τῆς θεότητος φύσιν, (a) Dallæus ipse refert, & ita ea fuisse probat, quæ Synodi Patres græce, & integre ex illa epistola exscripserunt, monstrantes, utrumque ejus dictum & de *Imagine*, & de *Verbi forma mutata* maxime erroneum esse, utpote *Sanctorum Patrum* documentis haud consonum. Ecquis autem non videt, a Dallæo dolum adhiberi! quippe qui græcam voculam εἰς vertat *A*, quasi eadem in epistola scriptum sit, *Verbi formam mutatam a Deitate*. Callida & falsissima interpretatio: quia particula εἰς cum accusandi casu, qui est in eo græco textu, non AB, sed AD, aut IN adsignificat, universis Græcis docentibus. Quo fit, ut Synodus VII. ejusque latinus interpres rectissime illa epistolæ verba errantia sic proferant, *mutata est incarnata ejus forma in Divinitatis naturam*; id quod fuit magnum erratum Arii, qui Verbum factum esse Deum impie affirmavit. Non igitur græcum ejusdem epistolæ textum septima Synodus Œcumenica, & latinus ejus interpres; sed Dallæus falsa versione corrupit, dolos commolitus; quibus minime officientibus, integri sunt Synodi VII. codices, integræ ipsius editiones, integri demum pauci illius epistolæ textus, quamvis erratis referti.

Unde apparet, quantum ipsius Concilii Patribus juste debeamus, qui nullis fraudibus, nullisque depravationibus abusi, quædam miracula ex antiquioribus Ecclesiasticis auctoribus, (b) aliisque ex Testibus comprobarunt, atque adeo ea inaudita non esse vicerunt.

Nec vero ejusdem Concilii Patres quæcumque ab adversariis adducta cum fastidio ejiciebant; quippe qui aliqua S. Gregorii Nysseni, aliorumque loca (c) ab illis opposita recte explicuerint. Sed quod ex S. Epiphanio objectum fuerat, id illi reliquorum Patrum, qui eidem Epiphanio coævi fuere, silentio, ut antea visum est, suppositum esse monstrarunt, capientes ex priorum sæculorum, & quarti sæculi doctrina aliam illius rei conjecturam; quam Dallæus falsa sua suppositione coarguere nequit. Cum enim Sy-

(a) *Dallæus in eodem libro de usu Patrum c. 4. pag. 76. in margine.*

(b) *Syn. VII. act. V. & VI. ib.*
(c) *Syn. VII. act. V pag. 1129. & seqq. Tom. 8.*

Synodus ipsa ex (*a*) *Sanctorum Patrum* quarto sæculo præsertim florentium, ac Sacrarum imaginum cultum tractantium testificationibus hunc ostendisent; eique quædam notha S. Epiphanii dicta Iconoclastæ objecissent: illa hæc falsa esse ex eo etiam conjecit; quia Epiphanius Sacrarum imaginum cultum in Hæresum numero haud reposuit, istumque adeo adprobare visus est. Quare Epiphanius cum Iconoclastis sensisse non monstratur eadem ratione, quia eorum opinationes hæresibus minime accensuit: hæc namque Dallæi argutatio Iconoclastas quarto & quinto sæculo, quibus Epiphanius floruit, extitisse falso supponit; cum illi hæretici octavo sæculo oborti sint: Synodi VII. autem conjectura Sacrarum imaginum venerationem quarto, & quinto sæculo excelluisse non falso sumit, quia ab eorumdem sæculorum Patribus, quos testes producit, eadem veneratio docebatur: quam cum Hæresibus non accensuerit Epiphanius, atque adeo receperit; idcirco enuntiata huic rei contraria, quæ Iconoclastæ protulerant, suppositiția sunt, & a germanis ipsius codicibus separata.

Sed & Theodotus Ancyranus, qui in Ephesino Concilio Nestorium strenue oppugnavit, cujusque Homiliæ, sive sermones extant, ab iisdem Hæreticis in septima Synodo adductus est: cujus hoc dictum de imaginibus ii objiciebant, *quod vana est hujusmodi excogitatio*: quibus, aliisque illius verbis Synodi VII. Patres (*b*) ita responderunt; *multi enim nobiscum exquirentes, deindeque scrutantes in sermonibus ejusdem Theodoti de proposito dicto, si vere scriptum sit hujusmodi, nunquam usquam invenimus. Neque enim ipse quid tale locutus est: evidenter namque monstratum est, quod non sit Theodoti Testimonium*.

Ergo, ut aliorum locos, quos Synodus jam relata non explosit, sed aperuit, prætercam: Censor fallaciter dicit, quod Theodoti Ancyrani locum Synodi VII. Patres „ tam secure „ exploserant: neque enim isti ab auditu, & sine diligentia dictum illud repulerunt; sed *exquirentes*, atque *scrutantes*, ipsum locum in genuinis *ejusdem Theodoti sermonibus*, qui tantum scripti erant, nunquam *invenerunt*; ac propterea ejus *testimonium non esse* pronuntiarunt; quippe quod in Antiquis, & Germanis Theodoti Codicibus non extaret; quæ argumentatio firma est, & exquisita.

Dehinc Græcorum, præsertim S. Basilii, & S. Epiphanii, ac Latinorum libros, de quorum integritate in Concilio Florentino disputatum est, Dallæus iterum excipit: quem jam ante retudimus; propterea quia illo in Concilio antiquissimus Basilii magni codex, in quo nullius litteræ excisio erat, a Latinis relatus est adversus alium Marci Ephesii Codicem litterarum quarumdam excisione constantem; cui ille ob antiquitatem, & integritatem, quas etiam quatuor alia simillima exemplaria Constantinopoli asservata, ob idque a Latinis haud corrupta ostendebant, præferri debet, & a pluribus aliis alteri Codici depravato similibus omnino distinguitur,

Hæc

(*a*) *Act. VI. ib.*

(*b*) *Syn. VII. Actione VI. pag. 1143. Tom. VIII. cit. conc.*

Hæc quidem Joannes (*a*) Theologus antea commendatus in Synodo Florentina discrevit : sed , ut Spiritum Sanctum a Patre, & Filio procedere vinceret, ex S. Epiphanii Ancorato sic verba excerplit : „ quod „ igitur Spiritus Sanctus a Filio ef- „ se accipiat , probatur ex dicto S. „ Epiphanii , qui in illo volumine, „ quod inscribitur Anchoratus , ex „ antiquo Græco Codice ab Ambro- „ sio in Latinum converso, dum de „ persona Patris loquitur , sic ait. „ *Filium illum dico , qui ex ipso est* , *spiritum vero Sanctum, qui ex ambobus est*.

Ista S. Epiphanii dicta illo in Concilio Marcus (*b*) Ephesius primum accepit ; at deinceps ejus Anchorato hanc dedit exceptionem . „ Liber „ hic jam olim διασπασμένος divul- „ sus est: possumus tamen remedium „ adhibere. Legatur ergo, ut audia- „ mus : dicimus enim , intelligi *ex* „ *ambobus*: Sed non haberi ipsum quo- „ que verbum est. „

Non igitur , ut Latinus interpres, & Dallæus vertunt , Marcus Ephesius dixit , quod *liber hic corruptus est*; sed quod *est divulsus*. Nam διασπάω non corrumpere , sed *divellere*, aut *distrahere* , ex Demosthene , (*c*) & Plutarcho significat. Ephesius itaque S. Epiphanii Anchoratum *divulsum* , aut in partes separatas *distractus* ita protulit, ut *remedium adhiberi posset*, nempe ut partes ejusdem *divulsæ* secundum alios codices integros facile possent conjungi. Ergo Ephesius ipsum Epiphanii *librum corruptum* nec dixit , nec voluit ; alioquin nullum *remedium adhiberi potuisset* ; id quod ipsius Marci assertioni repugnat ; qui tamen *ipsum verbum esse*, quod in Græco Epiphanii textu intelligitur , quodque in Latina hujus versione legitur , minus bene excepit: quia S. Doctor prius dictum de Filio Græce ita fecit : τῷ τὸν καλεῖ τῷ ἐξ αὐτοῦ *Filium vocat* , *qui ex ipso* ; in quo esse includitur , cum denotet , *Filium* e Patre, quem proxime Epiphanius (*d*) nominarat, genitum esse . Quare cum statim ait, τὸ ἅγιον Πνεῦμα τὸ παρ' ἀμφοτέρων , *Spiritum Sanctum, qui ex ambobus* : in hoc similiter *esse* intelligi debet , itaut significet , *Spiritum sanctum ex ambobus* , nimirum ex Patre, & Filio esse, sive procedere : ac proinde Latinus ille Epiphanii interpres suam versionem haud corruptam ostendit ; quoniam esse utroque textu necessario involutum evolvit. Quamvis ergo in Epiphanii *dicto non haberi verbum est* , Marcus Ephesius acute , & fallaciter responderit ; nihilominus illos Ancorati textus incorruptos , in quibus idem verbum xepressum non erat, & tamen includitur , *intellexit* ; eosdemque adeo novit contentos in aliis integris *Ancorati* Codicibus, qui ab uno illo *libro divulso*. quidem , sed *remedium* habente , secreti intelligebantur . Hinc relatus Bessario Græcus , qui eidem Florentinæ Synodo adfuerat, refutavit eos, qui pertendebant , illa *Sanctorum*, præcipue Basilii , & Epiphanii , *testimonia*, quæ eodem in Concilio *Latini produxerant*, horum esse *additiones* ; quas Bessarion ea ratione repulit, quod *antiquiora* ipsorum *Doctorum volumina corrupta*, & *mutata non* essent. *Antiquiores* , igitur Basi-

(a) *Joan. in Concil. Florent. sess. 18. pag. 246 Tom. 18. Conc. Lab.*
(b) *Marc. Eph. ibid pag. 250.*
(c) *Demosth. Orat. 4. Plutarc. in. Ant. & Cæs.*
(d) *S. Epiph. in Ancor. num. LXXI. pag 75 Tom II.*

Basilii, & Epiphanii, & ipsius Ancorati Codices, de quibus *Latini*, & Græci disputaverant; nec corrupti, nec mutati, ab eo uno *libro divulso* distinguebantur; ideoque Ancorati textus a Marco Ephesio admissi sunt.

Quod vero Latini ipso in Concilio dixerunt, Orientalium, non Occidentalium, esse libros adulterare; id non de Græcis omnibus, sed de aliquibus, intellexerunt: quoniam antiquissimum, & incorruptum S. Basilii Magni librum e Græcia adlatum ostendentes, aliqua ejusdem volumina, quæ Ephesius proferebat, depravata probarunt; ac sic aliquos Græcos, non omnes, arguerunt: hocque etiam ex S. Cyrilli Alexandrini Præsulis Epistola ad Joannem Antiochenum Episcopum scripta, quam supra attulimus, demonstrarunt: in qua ille & quosdam Nestorianos accusavit, quod S. Athanasii Epistolam ad Epictetum *adulterassent*: & ab istis unis litteris *depravatis vetusta*, & *incorrupta* ejusdem Epistolæ *exemplaria*, quæ Alexandriæ *extabant*, aperte secrevit. Qua Doctrina Latini in Florentino Concilio vicerunt, non ab Occidentalibus, sed a quibusdam Orientalibus aliqua, non omnia Patrum opera corrupta fuisse; ac non a Græca Ecclesia Catholica, neque a Græcis omnibus, sed a nonnullis captis eo errore, quo Spiritum Sanctum etiam a Filio procedere negabant, quædam S. Basilii exemplaria depravata esse; & tamen ista a sinceris S. Basilii Codicibus, sicut alia ab incorruptis SS. Athanasii, & Epiphanii exemplaribus, plane distinguit.

Verum inverso temporum ordine Dallæus a Synodo Florentina, quæ sæculo xv. celebrata est, ad Concilium octavum Œcumenicum, quod sæculo ix. coactum fuerat, transiens, perperam objicit Anastasii Bibliothecarii præfationem, sive Epistolam ad Hadrianum ii. R. P. conscriptam: ubi ille cum in Photii schisma invectus esset; & Synodi octavæ, quæ istud rescidit, cuique ipse interfuit, gesta narrasset; ac tandem Græcos, qui Bulgarorum Regem ad fidem Christi conversum Constantinopolitano Episcopo subdere tentabant; ambitione lapsos esse monuisset: ista perscripsit de Græcis Schismaticis; „ (a) quod non Sanctitatis, sed avaritiæ cultores existerent, protinus „ ostenderunt; adeo ut diversis modis a Romanis missis horum quidam obtinere tentaverint, ne regula promulgaretur, quæ tunc de „ non repente sæcularibus in Sacerdotium provehendis, in hac eadem „ Synodo promulgata est. Præterea „ penes Alexandriam, & Antiochiam „ in tantum radix hujus pestis excrevit, ut a tempore promotionis „ crebro dicti Photii hactenus evelli non possit. Nec fatendum creditur, quod tunc universalis jure „ diceretur, si pro fide celebrata consisteret; cum & in hac nonnulla, „ quæ ad fidem pertinent, sint definita, & in cæteris universalibus „ Conciliis multa disposita inveniantur, quæ ad Fidei doctrinam non „ pertinent... Hæc itaque diximus, „ intentos reddere studiosos curantes, ne forte processu temporis quidquam de subjicienda Constantinopolitanæ Diœcesi Vulgarorum terra

(a) *Anast. BB Præfat. in Syn. viii. pag.* 477. Tom. x. Conc. Lab.

„ terra ſtatutum, vel definitum ab „ univerſali, & octava putetur Synodo, vel actionum illius Codici „ a Græcis hinc aliquid adjici præſumatur. Nam familiaris eſt illis „ iſta præſumptio, & ſingularis „ quodammdo ambitionis indicium; „ ſiquidem in ſecunda Synodo contra ſtatuta magnæ Nicenæ Synodi, & Sanctorum Decreta Præſulum Romanorum, Alexandrinæ „ privilegia ſedis Conſtantinopolitano contulere Pontifici; & quædam „ penes illos reperiuntur capitula regularum, quæ illi quidem tertiæ „ dicunt exiſtere Synodi, cum apud „ Latinos nec in vetuſtiſſimis inveniantur editionibus. In quartæ quoque Synodi quibusdam Codicibus „ quoddam de privilegiis Conſtantinopoleos oſtendunt Capitulum, „ quod inter Canones ejusdem Synodi ab univerſa Eccleſia veneratos, nec Latinitas, nec alia lingua ſub ſole recipere comprobatur; quodque licet ab Anatolio, „ & Imperatore, vel fautoribus eorum poſt omnia geſta Synodi & „ prolatos Canones in abſentia Romanorum loci ſervatorum clam depromptum extiterit; mox tamen „ ipſum ab eisdem loci ſervatoribus „ eſt repulſum, & a ſede Apoſtolica, „ quæ, ut eadem Synodus fieret, ſola decrevit, ſolaque jus habuit eos „ recipiendi, quos Synodica decreta „ protulerant, non ſolum non admiſit, verum etiam continuo reſpuit; quodque Anatolius, vel Imperator, quia ut firmaretur a Sede Apoſtolica, cui tunc magnus „ præſidebat Leo, impetrare non potuit, in ejus poſitum poteſtate confeſſus eſt: nihilominus & alia oſtendunt regularum numeroſa, & præſumptuoſa ſatis Capitula, priſcæ „ traditioni pene omnia valde contraria, quæ a ſexta falſo perhibent Synodo promulgata, cum ſexta Synodus nullam protulerit, „ præter Fidei regulam; ſed quas „ ejus aſſeverant regulas, longe poſt „ ſextam Synodum ab ipſis conſtat „ penes ſe, privatimque depromptas. Porro in ſeptimæ Synodi Codice, quia ſæpe contra Canones „ Conſtantinopoli ex Neophytis Antiſtites provehuntur, & eo tempore Taraſius ex Laicis Patriarcha „ fuerat ordinatus, ita Epiſtolam „ beatæ recordationis Papæ Hadriani exiſtimant tranſcribendam, ut „ nihil in ea ex his, quæ ad prædictum Præſulem, vel contra Neophitos idem Pontifex ſanctiſſimus „ ſcripſerat, vel ſcriptum, vel tranſlatum Græce reperitur. Sic igitur „ Græci accepta occaſione celebratorum univerſalium Conciliorum „ frequenter egiſſe clareſcunt, nunc „ minuendo, nunc addendo, vel mutando, nunc in abſentia ſociorum, „ nunc in abſcondito angulorum, „ nunc extra Synodum, nunc poſt „ Synodum, aſtutia ſua, immo fraude, communibus ſanctionibus abutuntur, & ad ſuos libitus cuncta, „ quæ ſibi viſa fuerint, etiam violenter inflectunt. Itaque quidquid „ in Latino actionum octavæ Synodi reperitur, ab omni eſt fuco falſitatis extraneum; quidquid vero „ amplius ſive de Diœceſi Wulgarica, ſive aliunde in Græco ejusdem Synodi Codice forſitan invenietur, totum eſt mendacii veneris infectum. „

Legat cenſor iſta, in quibus omnia Concilia, excepto primo, depravata fuiſſe, Anaſtaſius non affirmat, uti Dallæus fingit; cujus dictum propterea falſum eſt, quia ille ſcriptor pri-

primum Concilium non excipit; sed universim asseverat, *in cæteris universalibus Conciliis multa disposita inveniri*; quæ si Anastasii tempore depravata apparuissent, profecto, uti erant in *Conciliis universalibus disposita*, non essent *inventa*; id quod Anastasii affirmationi repugnat; qui deinde ad quædam generalia Concilia singulares progressiones facit, ac perhibet, non quod Græci Constantinopolitanam Synodum, Œcumenicam II. depravarint, excepto Nicæno primo Concilio, uti Dallæus fingit; sed quod illius Constantinopolitani I. Concilii Præsules „ Alexan„ drinæ privilegia sedis Constanti„ nopolitano Pontifici contulerint „ contra statuta magnæ Nicenæ Sy„ nodi. „ Aliud autem est *privilegia corrumpere*; aliud ea *conferre*, quæ Nicæno sexto Canoni contraria visa sunt. Hic Anastasius *Nicænam* I. *Synodum* nuncupat: hoc posterius, non illud, quo corruptio fingitur, adstruit: hic ergo Concilium II. generale depravatum, deque hac depravatione Nicænum I. exceptum haud vult, sed utrumque incorruptum significat: atque etiam subjungit, *tertiæ Synodo* Œcumenicæ, nimirum Ephesinæ quædam *regularum capitula* a Græcis recentibus quidem adjecta, aut potius jactata esse: nec tamen ista *in vetustissimis* ejusdem Synodi *editionibus* scriptis *inveniri*; atque adeo has violatas non esse. Tum vero adjungit, *quoddam de* Constantinopolitani Episcopi *privilegiis capitulum ostendi in quibusdam quartæ Synodi* universalis *codicibus*; qui tamen depravati eo Capitulo, quod in Legatorum Pontificiorum *absentia* designatum erat, non fuere. Nam idem Capitulum postea ab iisdem *Legatis* repulsum est, ab *universaque Ecclesia receptum non fuit*, quia *clam*, *absentibus* illis, *promotum* fuerat; ac non adeo ejus *Codices*, in quibus *Anatolius*, ejusque fautores illud scribi vere proposuerunt, corrupti erant. Exinde illa, quæ de sua *Fidei regula Synodus sexta* egit, Græci non violarunt; quoniam ipsam *regulam* idem Concilium *protulit*; ac proinde hujus acta non depravata, sed authentica sunt: quorum primariis codicibus Græci multos Trullanæ Synodi canones, sive *numerosa Capitula*, non adjunxerunt, neque adeo illos codices adulterarunt; propterea quod ista in Trullo condita fuere *longe post Synodum sextam in sociorum* R. Pontificis Legatorum *absentia*, ac non ita in sextæ Synodi authographo, sed in aliis posterioribus voluminibus exarata noscuntur, atque in sexta Synodo *promulgati* iidem canones *falso perhibentur*; quos a Trullano Concilio, non a sexto Œcumenico editos, ideoque huic, non illi suppositos esse *constat*, affirmante Anastasio ferme coævo scriptore; qui quamvis Adriani I. epistolam græce imminutam dicat; tamen eandem latine integram, atque incorrupta septimi Concilii acta, sincerosque ejus canones, uti præmonuimus, exhibet: ac tandem narrat, octavæ Synodi Œcumenicæ acta, quæ ipso in Concilio scripta fuerant, quæque ille e græco in latinum transtulit, depravata non esse: sed tantum ea, quæ post eandem Synodum scripta fuerint, ita in dubium vocat, ut suam latinam ipsorum versionem, quæ etiamnum extat, *ab omni falsitatis fuco extraneam*, ac sic certam, & integram, & ab aliis græcis editionibus posterioribus secretam declaret. Non igi-

tur Nicænum 1. Concilium, non Constantinopolitanum 1. non Ephesinæ Synodi Œcumenicæ gesta, & Canones *in vetustissimis codicibus* exscriptos, non Concilii Chalcedonensis acta, & constitutiones ab omnibus *receptas*, non sextæ Synodi monumentum, & *regulam fidei*, non denique septimi, & octavi Concilii acta, & statuta, aut falsa, aut depravata Anastasius voluit, & dixit; sed cuncta in iisdem *Conciliis universalibus disposita* secrevit a quacumque *extranea imminutione*, *additione*, *ac mutatione*. Illis ergo *vetustissimis* at purioribus voluminibus, quæ Synodi generalis primæ, secundæ, tertiæ, ac reliquarum monumenta, & Canones a quibusdam *Capitulis* subditis distinctos continent, quæque S. Athanasius, Theodoretus, Socrates, Sozomenus, Gelasius Cyzitenus, Theodorus lector, S. Gregorius Magnus, & Anastasius commendant, prorsus est acquiescendum: præcipue quod neque illi coævi, suppares, ac certissimi testes, nec Anastasius, uti a Dallæo confingitur, asseruerint, omnia Concilia a græcis corrupta, & monumentorum Ecclesiæ cor ipsum occupatum fuisse. Sed iidem ipsi & Anastasius diserte declararunt, *puros*, ac *vetustos* Conciliorum illorum Codices, & *multa* in ipsis *universalibus* Synodis *disposita*, & *Fidei regulas*, quas ex traditione condiderant, quibuscumque adulterinis esse inconfusas.

Verum Dallæus iterum Synodum Florentinam Œcumenicam appellat, interpellat, ac perverse obloquitur; dum ab ea effutit depravatum esse „ Symbolum „ quod Conciliis Œcumenicis Nicæno 1. scilicet, & Constantinopolitano primo, „ consecratum „ ipse fatetur; qui eadem ista sua significatione refellitur. Nam ut nihil dicam de his non levibus, sed gravissimis verbis, utpote Dei Filium Deum incarnatum explicantibus, nimirum „ descendit de Cœlis, Deus „ de Deo, tertia die resurrexit secundum scripturas: „ quæ maxime ad idem pertinentia enuntiata etsi in nonnullis partitularium Synodorum symbolis minime extant: tamen in laudato Constantinopolitani 1. Concilii symbolo expresse reperiuntur: ut igitur ista prætercam; sane adversus Macedonianos Spiritus Sancti Divinitatem errore inficiantes Constantinopolitana Synodus symbolo Nicæno addidit ista, *credimus in Spiritum Sanctum ... cum Patre, & Filio adorandum:* quo magni momenti additamento res de Spiritu Sancto *adorando*, utpote Deo, explicata ac definita est, non tamen corruptum symbolum Nicænum; quia illa Synodus a Romano Pontifice pendens, & confirmata jus declarandi ea, quæ ex Patrum traditione eruebantur, habuit. Habuit ergo eandem potestatem Concilium Florentinum Œcumenicum; quod proinde jure suo particulam *Filioque*, quæ maximi momenti erat, & Spiritus Sancti processionem a Patre & Filio enucleabat, & aliquot Græcos litigiosos, errantesque propulsabat, adjecit symbolo Constantinopolitano; ac propterea istud nequaquam depravavit, quia veterum doctrinis illa processio tradebatur. Sicut autem Dallæus si Constantinopolitanæ 1. Synodi Patres criminis reos faceret, quod maximam rem illam, nempe Spiritus Sancti Divinitatem definientes tam Sacro Nicæni symboli monumento manus injecissent, impius esset; & blateraret; ita

ita dum Florentini Concilii Patres, qui magni momenti rem, scilicet Spiritus Sancti processionem, judicarunt; sicque id partium studio haud fecerunt, criminis reos appellat: & a pietate, & a veterum sapientia remotissimus est.

Exinde Dallæus *joci* causa Erasmum Magistrum suum adhibet, cum ejus verba quidem profert, attamen non videt, eum de Sancti Hieronymi operibus, ac sic de aliorum Patrum, quos interiisse proxime dixerat, pugnantia sic loqui: „ quod superest, non „ depravatum erat, sed prorsus ex- „ tinctum. „ (*a*) quid vero tam pugnat, quam superesse aliquod opus, & esse prorsus extinctum? quippe quod *supersit*, atque adeo prorsus extinctum non sit. Ob quam rem ipse Erasmus S. Irenæi, & ipsius Hieronymi, aliorumque volumina ex quibusdam antiquis codicibus edidit, ac sic ista omnino non interiisse monstravit. Cumque Hieronymi opus *non depravatum* affirmarit; tum neque S. Clementis I. epistola I. ad Corinthios, neque Irenæi scripta adversus Hæreses, neque plura græca Origenis volumina, nec aliquot veterum opera, & testimonia, quæ critici Theologi afferunt, depravata fuere: quorum quidem nonnulla exemplaria mutila Erasmus procudit; sed ista ab integris Patrum codicibus eidem eruditi segregrantes, commonstrant, non antiquatos, non fœdatos, non mutilos esse eorum auctores. Quo non modo aliquid mali ab Erasmo facti, verum etiam illius hanc causam aperiunt, quod ipse quosdam Patrum Codices inviolatos, nonnullos vero corruptos nactus, & alios his antiquiores, purioresque nequaquam intuitus, ideoque pugnantia locutus, plura scripta, quæ illi recentiores distinguunt, male confuderit.

Hinc eundem Erasmum querelis illis inveteratis, atque invidiosis nihil profecisse, Dallæus ipse declarat, dum ex Sirmondo (*b*) refert, ab Joanne Gagnæo Parisiensi Theologo quædam Alcimi Aviti Poemata, ac quingentos versus, & alia, quæ is Lugduni anno 1536. edebat, interpolata fuisse „ præter Librorum „ Manuscriptorum, tum etiam an- „ no 1607. & 1609. Coloniæ edito- „ rum fidem, „ quam idem censor opponit illi Gagnæi depravationi. Non igitur, uti Erasmus, & Dallæus opinantur, plerique omnes Manuscripti veterum libri aut depravati fuere, aut extincti; cum Alcimi Aviti antiqui scriptoris Manuscripta opera adulteratæ Gagnæi editioni a Sirmondo, ac Dallæo opposita sint; quæ Aviti scripta illis Coloniensibus editionibus consona, a Sirmondo edita, & a Gagnæi corruptionibus separata, integritatem suam, cujus etiam laudator est Dallæus, nunc habent.

Surius itidem Codicum, in quibus plures Sanctorum vitæ describuntur, stylum mutavit, & in S. Saturnini actis ab se editis, e quibus, exque Sulpitio Severo ante explicato Apostolorum prædicationem in Galliis non serius habitam, sed tardius susceptam, atque firmatam intelligimus, *parem processum pro tardo posuit contra Manuscriptorum fidem*, Bosqueto teste, quem Dallæus audit, ac citat. Quod igitur Surius *edidit*, par-

(a) *Erasm. Praf. in Hier. opera.*

(b) *Sirm. præfat. in Avit.*

partim id mutavit, partim corrupit, sed tamen plura ea *Manuscripta* neutiquam depravavit: quippe quorum *Fidei* illius editio *contraria* esset, ac proinde hæc editio, non illa Manuscripta corrupta fuere: quæ, & alia Sacra monimenta inviolata idem Bosquetus, (*a*) & incorrupta Martyrum acta Ruinartius, (*b*) & sincera permulta Sanctorum vel a Dallæo recensitorum gesta Tillemontius, (*c*) commendarant, recedentes ab alieno Surii artificio.

Ac si unus Joannes Mahusius in editione operis imperfecti in Matthæum, quod S. Joanni Chrysostomo suppositum & a quodam Hæretico effectum præmonuimus, plura quæ in græco ipsius textu erant, quæque fidei adversabantur, non potuit secundum latinam versionem Manuscriptam quidem, at omnino haud purgatam: si id, inquam, ille fecit, non idcirco Dallæus effutire debuit, audacia abundasse Latinos; quippe quorum alter Sixtus Senensis, (*d*) celebris criticus, adnotavit, eam latinam translationem Chrysostomi *lingua*, *phrasi*, & *menti contrariam*, erroribus haud carere; quibus antiquius Latinum, & integrum ejusdem operis Manuscriptum, quod & in Chartusia vallis Dei asservatum, & modo editum est, admodum scatet, græcoque scripto, quamvis deperdito, respondere idcirco videtur, quod non Arianorum solum, verum etiam Anomæorum erroribus implicetur: quibus ille captus, descivit a Catholicæ Ecclesiæ fide. Unde ipse auctor Hæreticus in suspectas, improbatas, errantesque opiniones de Sacra Scriptura, de Ecclesia, deque Eucharistiæ Sacramento, quæ errationes non frustra quæruntur in adducto integro Codice, (*e*) sed reapse inveniuntur, irrepit, atque etiam contra S. Paulum Apostolum, qui secundas nuptias, mortua priori uxore, permiserat, hæc improbe protulit: (*f*) „ Apostoli præceperunt „ secundas adire nuptias propter in- „ continentiam hominum. Nam se- „ cundam quidem accipere, secun- „ dum præceptum Apostoli est: se- „ cundum autem veritatis rationem „ vere fornicatio est. „ Hæccine Dallæus quærit? Contra rationem Theologicam, contra Fidei veritatem, contra Divinam Apostoli Scripturam, contraque S. Joannis Chrysostomi sententias dicta sunt, & a latino interprete ideo exscripta, ut Catholici non notas de scriptura, de Ecclesia, deque Eucharistia, in illo opere factas, sed errores iis adversos procreatos viderent, atque diffugerent; utque idem opus ipsi Chrysostomo sive a Mahusio, sive ab alio adfictum, & integros ejusdem operis Codices a nonnullis corruptis secretos, atque adeo doctiores latinos a Dallæo iniquius vexatos, bene intuerentur.

Ecquid inde opera nostra opus est, ut Laurentius Brochellus retundatur? is namque innumeros Auctores Sacros, Prophanos, veteres, ac recentiores, sicque omnes temere miscet, decurtatos pertendit, & se ipse refutat:

(a) *Bosqu. in Hist. Gall.*
(b) *Ruin. act. Mart.*
(c) *Till. in mem. Hist. Eccl.*
(d) *Sixtus Senen. lib. IV. BB. San.*
(e) *Vide hujus operis imperfecti Homiliam VIII. & 32. & alias Tom. VI. oper. Chrysost. noviss. Venedis.*
(f) *Idem Auctor eadem Homil. 32. circa medium.*

tat: sicut enim multi Codices Sacri a quibusdam violatis, & complura Prophanorum scriptorum volumina antiqua a nuperis, ita multa priscorum Patrum manuscripta, plura Ecclesiæ Gallicanæ Monumenta, pluraque S. Ludovici, Caroli magni, & aliorum Galliæ Regum Capitula quæ apud Labbæum (*a*) legere est, a nonnullis violatis, & recentibus distinguuntur. Ut igitur Sacros Codices incorruptos cum aliquot depravatis, sic inviolata patrum scripta cum quibusdam corruptis Brochellus audacter confundit, & falso! cumque inviolati Sacrarum Litterarum, Patrum, Synodorum generalium, & particularium Conciliorum, ac Regum veterum Galliæ Codices Parisiis, & alibi nuper editi, & ab illa editione, quam Brochellus, & Dallæus arguunt, distincti, innumerabiles, sive plurimi sint, ex solis Galliæ statutis prius male excusis illi sinistre argumentantur, ea plurima scripta mutata fuisse, ac rescissa; quoniam luce clarius est, eosdem permultos codices, quos Brochellus, ac Dallæus a nonnullis depravatis, & ab una imperfecta editione distinguere debuerant, integre impressos fuisse.

Atque ut aliquot particulares veterum textus proferamus: illa S. Cypriani (*b*) Epistolæ *ad Plebem* verba, *& vestram sententiam*, in Codicibus Anglicanis, & in aliis antiquis extare, critici asserunt. Quocirca in Manutii, & Morellii editionibus voces illas haberi, refert Dallæus: qui proinde ex eo, quod Pamelius ea verba in editione sua haud posuerit, indefinite Latinos perperam reprehendit. Nam & Pamelius illas voces ex antiquis Codicibus adductis minime expunxit; & doctior Minutius easdem excudit; unde Cypriani Codices incorruptos, ac meliores editiones, etiam recentes, Dallæus agnoscat, necesse est. Neque vero illa *sententia*; erat de negotiis Ecclesiasticis, quæ pacem his, qui in persecutionibus lapsi fuerant, dandam spectarent: eam quippe sententiam Episcopi esse, ibidem Cyprianus declarat, de eorumdem lapsorum causa agens: sed ipsa plebis sententia tantum lapsorum mores qui videlicet *justo tempore pænitentiam egissent*, respexit. En igitur integrum Cypriani (*c*) contextum: *audio*, inquit, *quosdam* de „ Præsbyteris nec Evangelii memores, nec „ quod ad nos Martyres scripserint, „ cogitantes, nec Episcopo honorem „ Sacerdotii & Cathedræ reservantes, jam cum lapsis communicare „ cæpisse, & offerre pro illis, & Eucharistiam dare, quando oporteat „ ad hæc per ordinem perveniri; nam „ cum in minoribus delictis, quæ „ non in Deum committuntur, pænitentia agatur justo tempore, & „ Exomologesis fiat inspecta vita ejus, „ qui agit pœnitentiam, nec ad communicationem venire quis possit, „ nisi prius illi ab Episcopo, & Clero manus fuerit imposita: quanto magis in his gravissimis, & extremis delictis caute omnia & moderate secundum disciplinam Domini observari oportet: quod quidem nostri Præsbyteri, & Diaconi monere debuerant, ut commendatas sibi oves foverent, & Divino

(*a*) Lab. Tom. 12. Con. & Sirm. Tom. 111.
(*b*) S. Cyp. Ep. 12. vel 11. ad Plebem pag. 74.

(*c*) S. Cyp. 16.

„ no magisterio ad viam deprecandæ salutis instituerent. Ego plebis nostræ & quietem novi pariter & timorem: qui in satisfactione Dei & deprecatione vigilarent, nisi illos quidam de Præsbyteris gratificantes decepissent. Vel itaque singulos regite, & Consilio ac moderatione vestra secundum divina præcepta lapsorum animos temperate; nemo adhuc importuno tempore acerba poma decerpat. Nemo navem suam quassatam, & perforatam fluctibus, priusquam diligenter refecerit, in altum denuo committat. Nemo tunicam scissam accipere, & induere properet, nisi eam & ab artifice perito sartam viderit, & a Fullone curatam receperit. Audiant quæso patienter consilium nostrum, expectent regressionem nostram, ut cum ad vos per Dei Misericordiam venerimus, convocati Coepiscopi plures secundum Domini disciplinam, & Confessorum præsentiam, & vestram quoque sententiam Beatorum Martrum Literas, & desideria examinare possimus. „

Nostra igitur refert, veritatem exegisse, quam minime debilitat alter textus quadragesimæ Cypriani (*a*) Epistolæ; ubi is contra schisma Fælicissimi, qui ab Ecclesia recesserat, dixit: *in Ecclesiam lapsos reducere, & revocare promittunt, qui de Ecclesia recesserunt. Deus unus est, & Christus unus, & una Ecclesia, & Cathedra una super Petram Domini voce fundata*. Ac sane non *Petrum*, ut Minutius, & Pamelius in suis editionibus posuerunt, sed Petram antiqui Codices XVII. consentientes habent; quorum consensus absolutionem & perfectionem in re Codicum nequaquam desiderat, aliamque lectionem excludit illam autem *Petram* a *Domino* Cyprianus diserte distinguit, ac proinde Petrum, quem *Dominus* ipse *voce* sua adlocutus fuerat, S. Martyr intelligit; qui etiam hoc ipsum clarius explicat septuagesima Epistola; in qua Ecclesiasticæ *unitatis originem*, ut in iisdem, & aliis inviolatis Codicibus legitur, vincit hoc modo: *una Ecclesia* (*b*) *a Christo Domino super Petrum origine* unitatis, *& ratione fundata*.

Cum itaque illi Codices, qui eas S. Cypriani enuntiationes recte exprimunt, sint intemerati, Dallæus cum Riveto, aliisque Heterodoxis frustra describit, manuscriptum S.Cypriani librum *de unitate Ecclesiæ*, in quo hæc verba, *super illum unum ædificat Ecclesiam suam, & illi pascendas mandat oves suas*, ac reliqua S. Petri Apostoli *Primatum* ostendentia leguntur, adulteratum fuisse. Nam & unus antiquissimus codex, quem 900. annorum esse Manutius probavit, & alter Cambronensis, atque aliquot ex adductis, illarum Cypriani vocum testimonium habent; quos Codices inviolatos, & alios, quibus eæ voces desunt, quique a Dallæo proferuntur, mutilos, nostrumque scopum rectum esse, maxime ostendit Pelagius II. Pontifex summus, sexto sæculo illustris; atque adeo Testibus; qui S. Cypriano aut ferme coævi, aut fere suppares fuerant, proximus; cujus auctoritas ad probandam eorum Codicum integritatem, atque ad repellendas Riveti,

(*a*) S. Cyp. Epist. 40. pag. 120.

(*b*) S. Cypr. Epist. lxx. ad Jan. & cat. pag. 270.

veti, Dallæi, aliorumque aberrationes, quibus præsertim *Primatus* verbá Cypriani textui assuta arbitrantur, admodum valet; cum idem Pontifex sex Priorum Ecclesiæ sæculorum vetustissimus testis sit; qui in Epistola 11. (*a*) ad Episcopos Istriæ S. Cypriani testificationem ita producit: *Beatus Cyprianus, egregius martyr, in libro, quem de unitatis nomine titulavit, inter alia sic dicit*: „ Exordium ab unitate proficiscitur, „ & primatus Petro datur, ut una „ Christi Ecclesia, & Cathedra monstretur, & Pastores sunt omnes, „ sed grex unus ostenditur, qui ab „ Apostolis unanimi consensione pascatur. *Et post pauca*: „ Hanc Ecclesiæ unitatem qui non tenet, tenere se Fidem credit? qui Cathedram Petri, super quem Ecclesia *fundata est, deserit, & resistit, in Ecclesia se esse confidit?*

Ac si Manutius Epistolam illam, quam Firmilianus Cæsareæ Cappadociæ Episcopus ad S. Cyprianum græce scripserat, quæque in Latinum versa tantum reperta est, excusam noluit; non ideo Manuscripta, in quibus eadem extabat, aut supprsiet, aut violavit; cum viginti, & amplius integri Codices ipsam continentes supersint; e quibus eruditiores Latini eam Firmiliani Epistolam (*b*) ediderunt, ut pateret errans ipsius Firmiliani audacia, quam in S. Stephani Decretum, quod is de baptismatis, atque adeo religionis causa fecerat, temere adhibuit; a qua audacia S. Cyprianus abhorruit, qui in Epistola ad Jubajanum eandem causam quærens, ait: (*c*) *quo venturus est qui sitit, utrumne ad Hæreticos, ubi fons, & fluvius aquæ vitalis omnino non est, an ad Ecclesiam, quæ una est, & super unum, qui & clares ejus accepit, Domini* (*d*) *voce fundata est?.. Hæc tibi breviter pro nostra mediocritate rescripsimus, Frater carissime, nemini præscribentes, aut præiudicantes*. A qua disciplina Firmilianus longius abhorrens, & adversus Apostolicam præscriptionem a Stephano adductam liberius loquens, de baptismatis, ac religionis causis errore præjudicavit, contra quam S. Cyprianus veterum sæculorum Episcopus monuerat, ac demisse de Pontifice egerat. Hæc integri Cipriani, & Firmiliani Codices, hæc ipsorum editiones adversus Dallæum sibi præjudicantem liquido repræsentant.

Hic ipse censor est, qui nullo modo a sua miseria quasi aberrat, dum miserum S. Ambrosium in quibusdam ipsius operibus editis dicit; cum Erasmum potius, quam illum S. Doctorem, miserum habere debet & dicere. Nam Erasmus ipse quatuor S. Ambrosii libros de interpellatione Job, & Davidis ita interpolavit, hisque nonnulla inseruit, ut secundum ejusdem Tractatus librum expunxerit adversus eorumdem librorum testimonia, quibus Ambrosius in altero primum, & in tertio secundum, & in quarto tertium laudavit, in quibus aliqua, non magna styli differentia conspicitur: qui quatuor libri (*e*) in antiquissimo Manuscripto, quod ipsius Ambrosii ætate exaratum

(a) *Palog. 11. P.P. vi. quæ est 11. ad Episcop. Istr.*
(b) *Vide notas eidem Epi. Firmil. appositas inter opera S. Cyp. p. 311.*

(c) *S. Cyp. Epi. 72. ad Jub. pag. 282.*
(b) *Matt. xvi.*
(e) *Legesis Tom. 2. S. Amb. p. 625. & seqq. noviss. Paris. Edit. an. 1686.*

ratum creditur, non interpolati sunt, sed omnino connexi; quo in connexo est prior Apologia Davidis; atque posterior tum a Nicolao Fabro, quem Dallæus adlegat, cum a recentioribus edita, ex nullis octavi capitis lineis expunctis, sed ex omnibus continuatis connectitur. Non igitur ex Romanorum censorum, sed ex Erasmi officina miseræ Ambrosii lucubrationes prodiere; quæ tamen in antiquis Manuscriptis, & in recentioribus editionibus infælices haud sunt; quippe quæ nec cum nonnullis interpolatis libris, præsertim iis, quos Junius a suis libris inviolatis, eorumve *omni fide* distinguit, quosque Dallæus (*a*) incassum adducit, neque cum quibusdam suppostitiis, quos extra propositam Disputationem idem Dallæus nequicquam obtendit, mixtæ sint, sed ab utrisque secretæ.

Nec vero S. Isidori Hispalensis Præsulis, qui sexto sæculo floruit, locus, ubi ille de Eucharistia tractat, ex suspecto scriptore, quem Dallæus defert, sed ex antiquioribus Codicibus Albaidensibus, & Complutensibus, quos ejusdem operum (*b*) editio Matritensis laudat, atque etiam ex vetusto Codice, quod in Albornotiana Bononiensis insignis Collegii Hispanorum Bibliotheca asservatur, quærendus erat; in quibus idem locus alteri, quo Isidorus Sacramentum aperit, continuatus, & junctus sic est: (*c*) *Sacrificium dictum quasi sacrum factum, quia prece mystica consecratur in memoriam pro nobis Dominicæ Passionis: unde hoc eo jubente Corpus Christi, & Sanguinem dicimus, quod dum fit ex fructibus terræ, sanctificatur, & fit Sacramentum, operante invisibiliter Spiritu Dei, cujus panis, & calicis Sacramentum Græci Eucharistiam dicunt, quod Latine bona gratia interpretatur. Et quid melius Corpore, & Sanguine Christi? Sacramentum est in aliqua celebratione, cum res gesta ita fit, ut aliquid significare intelligatur, quod sancte accipiendum est. Sunt autem Sacramenta Baptismi, & Chrisma, Corpus, & Sanguis Christi, quæ ob id Sacramenta dicuntur, quia sub segumento corporalium rerum virtus Divina secretius salutem eorumdem sacramentorum operatur; unde & a secretis virtutibus, vel sacris Sacramenta dicuntur.*

Et quidem illorum codicum, aliorumque vetustorum, quos eadem editio Matritensis adlegat, integritas adversus Dallæum ea ratione, quam is maxime ducit, vincitur; quod videlicet in Sancti Isidori opere *de officiis Ecclesiasticis* eadem Manuscripta edita non *confirmationem*; nec *confirmari*, sed *conformationem*, & *conformari* referunt; quam lectionem & Dallæus, ac Cassander sequuntur, & res ipsa, atque Isidori verborum connexum docent; qui de Missæ ordine, & orationibus ista scripsit: „ „ (*d*) ordo autem missæ, vel oratio- „ num, quibus oblata Deo sacrificia consecrantur, primum a sancto Petro est institutus, cujus celebratio- „ nem uno, eodemque modo uni- „ versus peragit orbis. Prima ea- „ rumdem oratio admonitionis est „ erga populum, ut excitetur ad impe-

(a) *Junius in Præfatione a Dallæo citata.*
(b) *Vide præfationem, 1. & 11. Operum S. Isidori Hispal. Edit. Matriti an. 1599. Cod. Alberno. Tit. de Officiis.*

(c *S. Isid. Hispal. lib. 11. Orig. sive etymol. c. 19. pag. 113. part. 1. Edit. Matrit an. 1599.*
(d) *S. Isid. Hisp. lib. 1. de Offic. Eccl. cap. 15. pag. 330. part. 2. Edit. Matrit. an. 1599.*

Digitized by Google

„ impetrandum Dominum. Secunda „ invocationis est, ut clementer suscipiat preces Fidelium, oblationemque eorum. Tertia autem effunditur pro offerentibus, sive pro „ defunctis Fidelibus, ut per idem „ Sacramentum veniam consequantur. Quarta post hæc infertur pro „ osculo pacis, ut charitate omnes „ reconciliati invicem, digni Sacramento Corporis, & Sanguinis Christi consocientur, quia non recipit „ dissensionem cujusquam Christi indivisibile corpus. Quinta infertur „ illatio in sanctificatione oblationis, „ in qua etiam ad Dei laudem terrestrium creatura, virtutumque cælestium universitas provocatur, & „ Osanna in excelsis cantatur, quod „ Salvatore de genere David nascente „ salus mundo usque ad excelsa pervenerit. Porro ex hinc sexta succedit Conformatio Sacramenti, ut „ oblatio, quæ Domino offertur, sanctificata per Spiritum Sanctum, „ Corpori Christi, & Sanguini conformetur. Harum ultima est oratio, qua Dominus noster orare Discipulos suos instituit.... Sacrificium autem, quod a Christianis „ (*a*) Deo offertur, primum Christus „ Dominus noster, & magister instituit, quando commendavit Apostolis Corpus, & Sanguinem suum priusquam traderetur, sicut „ legitur in Evangelio: „ Accepit, „ *inquit*, Jesus panem, & calicem, „ & benedicens dedit eis; quod quidem Sacramentum Melchisedech „ Rex salem figuraliter in typum „ Corporis, & Sanguinis Christi primus obtulit, primusque mysterium „ tanti sacrificii imaginarie idem expressit, præferens similitudinem „ Domini, & Salvatoris nostri Jesu „ Christi Sacerdotis æterni, ad quem „ dicitur. (*b*) Tu es in æternum sacerdos secundum ordinem Melchisedech. Hoc ergo sacrificium Christianis celebrare præceptum est, „ relictis, ac finitis Judaicis victimis, „ quæ in servitute veteris populi celebrari imperatæ sunt. Hoc itaque „ fit a nobis, quod pro nobis ipse „ Dominus fecit, quod non mane, „ sed postea, nam in vesperum obtulit. Sic enim Christum oportebat „ id implere circa vesperam diei, ut „ Dominus hora ipsa sacrificii ostenderet vesperam mundi. Proinde „ autem non communicarunt jejuni „ Apostoli, quia necesse erat, ut Pascha illud typicum antea impleretur, & sic denuo ad verum Paschæ Sacramentum transirent; hoc „ enim mysterium tunc factum est „ quod primum Discipuli Corpus, & „ Sanguinem Domini nostri non acceperunt jejuni. Ab universa autem Ecclesia nunc a jejunis semper accipitur. Sic enim placuit Spiritui Sancto per Apostolos, ut in „ honore tanti Sacramenti jejunum „ in os Christiani prius Dominicum „ corpus intraret, quam cæteri cibi; & ideo per universum orbem „ mos iste servatur. Panis enim quem „ frangimus, Corpus Christi est, qui „ dicit, (*c*) ego sum panis vivus. „ Vinum autem Sanguis ejus est, & „ hoc est, quod scriptum est, ego „ sum vitis vera. Sed panis quia confirmat corpus, ideo corpus Christi nuncupatur; vinum autem quia „ san-

(a) *Ibid. Cap.* 18. *pag.* 331.
(b) *Ps.* 105.

(c) 1. *Cor.* 10. *Joan.* 6. 15.

„ sanguinem operatur in carne, ideo „ ad Sanguinem Christi refertur. Hæc „ autem duo sunt visibilia, sanctifi- „ cata tamen per Spiritum sanctum, „ in Sacramentum Divini Corporis „ transeunt.

Ratramnum vero Corbejensem, sæculi noni Scriptorem, interpositionis, qua Patrum textui nonnulla inseruit, suspectum fuisse, in Concilio Suessionensi Hincmarus Rhemensis Præsul, ei coævus, ostendit, hacce causa consimili motus; (a) „ Cum „ quadam die haberemus sermonem „ de unitate Deitatis Patris, & Fi- „ lii, & Spiritus sancti, inter alia „ diximus, B. Augustinum multo- „ ties in libro quinto de Trinitate „ dicere, quod quidquid ad se, idest „ substantialiter de Deo dicitur, sin- „ gulari numero & de singulis, & „ de tribus simul personis sit effe- „ rendum. Quo contra unus ex his, „ cum quibus inde sermonem habui- „ mus, non contentiosa intentione, „ sed forte putans, Augustinum ita „ dixisse, de hoc libro testimonium „ protulit, dicens, quod veritas es- „ sentiale sit nomen, dicente Do- „ mino. „ Ego sum veritas; *unde Augustinus scripsit*, una, & trina veritas; *quod audiens, librum Domino Regi oblatum ab eo accepi, & prælegens inveni ab eo loco ipsius libri, ubi S. Augustinus dicit*, Gratias tibi Deus virtus, Gratias tibi Deus Pater, qui & Filium tuum ostendisti, & mihi Doctorem dedisti, *interpolatum esse ab adulterante*, gratias tibi Deus, gratias vera, & una Trinitas, una, & trina veritas, trina, & una unitas; *& post hæc quod posuit Augustinus subjunctum*, gratias tibi Deus Pater, qui & Filium tuum ostendisti, & mihi Doctorem dedisti; „ quod re- „ legens miratus fui, quoniam talia „ in eodem libro nec usquam in cu- „ jusquam Catholici opere, mini- „ me autem in B. Augustini inve- „ neram. Quapropter de pluribus ci- „ vitatibus, ac monasteriis vetustissi- „ mos codices in unum afferri feci, „ per quos falsitatis sacrilegium, & „ sacrilegum manifestissime depre- „ hendi. Inter quos vetustissimos li- „ bros, de quibusdam monasteriis „ allati sunt etiam mihi noviter scri- „ pti quaterniones, in quibus hanc „ falsitatem insertam inveni; & di- „ ligentius, ac sollicitius perscruta- „ tus comperi, omnes illos quater- „ niones de eodem fonte cænoso, „ de quo & Domino Regi liber fal- „ satus fuerat transcriptus, rivulo- „ fraudolento manasse. Et quia in „ proximo futura erat Synodus quin- „ que Provinciarum, videlicet Re- „ morum, Rotomagorum, Turo- „ num, & Lugdunensium, apud „ Suessorum civitatem, in præsentia „ Caroli Regis gloriosi, & Episco- „ porum, qui ad eandem synodum „ convenerant, & librum falsatum, „ & authenticos, ac veros, & ve- „ tustissimos Codices protuli, & uni- „ cuique Episcopo, sed & illi, qui „ simpliciter falsatum Codicem Re- „ gi dederat, librum authenticum „ ad inspiciendum dedi.

Hic est ille Ratramnus ab Hincmaro significatus, idcirco quod ille ipse *Carolo Regi* S. Augustini librum, cui *trinam veritatem* addiderat, *obtulerit*; qui sicut contra, atque in *authenticis* ipsius Augustini *codicibus* scriptum erat, illud aliud enun-

(a) *Hincm. Rhem. Tom. 1. pag. 450.*

enuntiatum, quod fecundum quofdam eruditos *falfi* commentarii locum habet, adjunxit: ita in *libello de corpore*, & *fanguine Domini*, qui liber dubius Ratramni eft fætus, quædam S. Ifidori Hifpalenfis verba adferens, his eas commentationes ambiguas, quæ a Dallæo fruftra objiciuntur, adjecit. Quare quemadmodum *vetuftiffimos*, & integros S. Auguftini Codices, etiam editos, in quibus illud *trinæ veritatis* commentum non extat, omnes critici amplectuntur, & ab *inferto* Ratramni *quaternione* fegregant: fic antiquiffima, atque inviolata S. Ifidori confcripta, in quibus Ratramni additamenta non funt, adprobantur, & a dubio, vel certe infitivo Ratramni commentario fecernuntur; quoniam antiquiora, & incorrupta S. Auguftini, & S. Ifidori Manufcripta utrifque Ratramni commentis carent.

(*a*) Et quidem ille liber in incertum revocatur: quia doctiffimus Mabillonius, quamvis ei libello Manufcripto, qui in Bibliotheca Laubienfis monafterii extabat, Ratramni nomen præfixum viderit, ac teftatus fit; nihilominus, ut ipfum librum Ratramni effe vinceret, teftem produxit quendam Anonymum, (*b*) & ingenue dixit, quod „ Anonymus „ Cellotianus, is eft Herigerus Ab„ bas Laubienfis, librum iftum Ra„ tramno tribuere videtur; „ quod verbum rem iftam dubiam facit ea ratione, quia Pafchafius Ratbertus, qui de Euchariftia fcripferat, a Ratramno exagitatus dicebatur fecundum eundem Herigerum fæculo decimo viventem; qui neque ipfum libellum, nec Manufcriptum adlegavit; atque adeo Pafchafium a Ratramno impugnatum effe dubitavit, & ab ifto librum fcriptum fuiffe non fenfit: nam cum de illo refutato loqueretur, certe Ratramni codicem, vel alicubi, vel præfertim in fuo Monafterio affervatum protuliffet; quem cum minime attulerit profecto libellum ipfum Manufcriptum neque in Laubienfi fua Bibliotheca, neque alibi extare fignificavit; qui libellus proinde omnino dubius eft Ratramni fœtus; quoniam & multo poft eum & poft Herigeri tempora exaratus eft.

Ergo Dallæus facile fumpfit, a Ratramno eum librum, in quo aliqua S. Ifidori verba, & alia iis addita continentur, ante annos pene octingentos, five fæculo nono, fcriptum fuiffe: quandoquidem fæculo XI. poft Herigeri ætatem exaratus monftratur, ac proinde S. Ifidoro, qui fæculo fexto florebat, aut ferme, aut quodammodo fuppar ipfius libri fcriptor probabilius non fuit a cujus auctoritate vel integræ, vel non integræ S. Ifidori fententiæ gravitas repeti haud poteft; quia eodem Sancto Manufcriptum illud, quod Ratramni effe dicitur, multo pofterius eft.

Certum igitur effe debet, aliud enuntiatum S. Ifidori teftimonio adjunctum, non ab eo abfciffum fuiffe; quod & in antiquioribus S. Ifidori codicibus non legatur; & Ratramnus Patrum verbis alia *inferuerit*; & dubius ejus libellus abfciffionem ipfam probare non poffit.

Quo-

(a) Ratramni liber five libellus de Corpore & Sanguine Domini infcriptus eft.

(b) *Mabill. præfat.* II. *in fæc.* IV. *ord. S. Bened.* §. VI. *pag* 132. *edit. Trid. an.* 1724.

Digitized by Google

Quocirca latina, & Gallica illius libelli editio, prolatis nonnullis S. Isidori verbis, ea, quæ Dallæus objicit, in hac, ut vocant, parenthesi inclusit: *Et quid melius corpore, & sanguine Christi? (Panis vero, & vinum ideo corpori, & sanguini Domini comparantur; quia sicut visibilis hujus panis, vinique substantia (a) exteriorem nutrit, & inebriat hominem; ita Verbum Dei, qui est panis vivus, participatione sui Fidelium recreat mentes.)*

Hacce clausula se usum esse ille, qui dictum Ratramni libellum de corpore, & sanguine Domini latine, & Gallice Rotomagi edidit, idcirco declarat, quia S. Isidorus (b) non in etymologiarum opere, sed in Ecclesiasticorum officiorum libro 1. eandem rem adsignificavit: qui quamvis in prioribus originum libris *panis, & calicis, & corporis, & sanguinis Christi Sacramentum*, uti retulimus, posuerit; nihilominus ibi *vinum* non nominavit; quod in posteriori opere, cujus textum adlegavimus, expresse appellavit. Cum itaque Ratramnus, qui incertus libelli illius est auctor, primum in altero textu *panem*, & *vinum* nuncuparit; ideo ex illo officiorum libro istum locum ita cæpit, ut aliquas S. Isidori voces protulerit, alias autem more suo mutarit. Proinde nulli vetustiores, recentioresque nulli a priori Isidori oratione ultimam partem absciderunt, quippe quæ non in ætymologiarum, sed officiorum libris, quamquam aliter, ac Ratramnus eam adduxit, extabat.

Quid est autem indignius, quam & falsum sentire, &, quod non fatis explorate perceptum sit, atque cognitum, id affirmare? velut in hac disceptatione Dallæus salse putavit, post S. Isidori sæcula a Latinis vulgatos ejus codices, quos Ratramnus, vel alius prædicti libelli auctor retulerit, propterea mutilatos esse, quia ipse Isidorus in Eucharistia panem, & vinum in corpus, & sanguinem Christi converti non dixit, quemadmodum Paschasius Ratbertus postea asseveravit. Hæc vero falsa Dallæus scripsit, non explorato illo, quem jam delegimus, loco; ubi S. Isidorus apertissime ait: „ Sed panis quia confirmat corpus, „ ideo corpus Christi nuncupatur, „ vinum autem, quia sanguinem „ operatur in carne, ideo ad sanguinem Christi refertur. Hæc autem duo sunt visibilia; sanctificata tamen per spiritum Sanctum „ in Sacramentum Divini corporis „ transeunt.

Ista S. Isidori Hispalensis verba in antiquissimo ejus authographo Albaidensi, in vetustis exemplaribus, inque laudata editione Hispanica, cujus præfatio legenda est, reperiuntur; ideoque a nobis iterum proferuntur, ut doctissimi quique perspiciant, a Ratramno locum hunc, qui in Isidori libro 1. de Ecclesiasticis officiis legitur, adductum esse atque vexatum: quippe quod ille non modo *panem*, *ac vinum*, & *visibilis panis, vinique substantiam, quæ duo visibilia* Isidorus nuncuparat, attulerit, verum etiam egerit de ipsorum effectibus, quibus ea *exteriorem nutriunt*, & *inebriant homi-*

(a) *Ratram. in libello de Corp. & Sangu. Domini. Rotomagi anno 1670. pag. 30. & 31.*

(b) *Libelli editor in margine pag. 31.*

hominem, quosque effectus *confirmandi corporis*, *& operandi sanguinis* Isidorus dixit: ac præterea Ratramnus aliis additis illa Christi *corpori*, & *sanguini comparari* perhibuit, quæ Isidorus ad eadem *referri* tantummodo protulit. Certo igitur apparet, quod illud Isidori testimonium non ex ejus etymologiarum, sed officiorum libris Ratramnus acceperit, atque immutarit, nonnullis adjectis.

Nullus igitur Latinorum vulgatos S. Isidori codices aut abscidit, aut depravavit, præsertim ea de causa, quam Dallæus comminiscitur: nam Isidorus clare testatus est, quod hæc *duo*, nimirum *panis*, & *vinum*, quorum substantiæ ante consecrationem solum extant, quæque ab eo nominari Dallæus fatetur, *in Sacramentum Divini Corporis transeunt*, qui transitus eorum substantiæ mutatio est, & transubstantiatio: quam cum Isidorus sæculo sexto aperte significarit, jam Dallæus falso adstruit, eam rem post Isidori sæcula a Latinis admissam, & a Paschasii Ratberti, qui sæculo nono vixit, novitatibus adlatam. At novitatibus non Paschasius, sed Dallæus delectatus est, cujus errorem Isidorus depellit, ut qui doceat, *transitum* illum, aut certe mutationem prioribus Ecclesiæ sæculis creditam esse. Et proinde novus censor falso dicit, quod Latini ad ea verba omittenda, & ad violandos Isidori codices eo moti sint, quia hic panem & vinum Eucharistica consecratione in corpus, & sanguinem Christi converti non declarat: quod falsissimum est, cum Isidorus liquido ponat transitum ipsum; quem subinde exscriptores in ejus volumine de Ecclesiasticis officiis legentes, & alia verba, quæ in etymologiarum libris non extabant, præteruentes, incorrupta Isidori scripta optime reliquerunt.

Hæc Dallæus confirmat, ajens, in eo libro de officiis „ scriptum ab „ Isidoro fuisse, „ quod *oblatio* . . . *corpori Christi*, *& sanguini conformetur*. Ergo uterque textus sive in recensitis codicibus exaratus, sive Matriti editus, S. Isidori authographo prorsus respondet, integer est, & ab imperfecta alia editione, quam censor adducit, plane distinguitur; quem utrumque locum in illis inviolatis voluminibus videre, non ex ista manca editione errantes consecutiones eruere, debuit argutator: qui etiam perperam ait, conformandi „ verbum Latinis sequiorum tempo„ rum dilutius visum est, quam ut „ suæ μετουσιώσεως, seu transubstan„ tiationis, mysterium repræsenta„ ret, cui Isidori sensus adversa„ tur. „ Atqui huic minutæ, errantique subtilitati locus non est: etenim Latinis vel antiquioribus, qui S. Isidori opera exscripserunt, vel recentioribus sequiorum sæculorum, qui eadem Matriti excuderunt, & *conformari* posuerunt, idem verbum non dilutius, neque sacræ illi conversioni contrarium, visum est; quippe quo Isidorus usus significarit, eandem consecrationis Eucharisticæ formam, quæ ab eo, & a Latinis vetustis, & nuperis *conformatio* primitus nuncupatur, *Christi corpori*, & sanguini, ac non adeo horum figuræ, neque panis, vinique substantiis, quarum *transitionem* ad *Divinum* Christi *corpus* docuerat, convenire, idque conformandi voce denotari. Tantum igitur abest, ut hoc verbum dilutius sit, eique mysterio oppositum; ut potius idipsum adsignifi-

gnificet, ipsique suffragetur, spectatis Isidori antecedentibus, & subsequentibus. Ac proinde aliqui oscitantes librarii in altera manca editione *conformari* non exhibuere, nullo quidem sensu, at non Sacræ illi mutationi adverso: quorum editio a pluribus antiquis, perfectis, & incorruptis S. Isidori Manuscriptis, atque ab editione Matritensi; in quibus non *confirmatio*, nec *confirmandi* vox, sed *conformatio*, & *conformari* leguntur, aperte secernitur.

Hoc autem loco cum de suppositititiis operibus nihil quæratur; idque præcedentia doceant; profecto ad Dallæum incæpto abscedentem incidit liber de vitis Romanorum Pontificum; quem librum S. Damaso Pontifici maximo, qui quarto sæculo splenduit, suppositum esse, Critici inde colligunt, quod & S. Hieronymus ei coævus, & Theodoretus ipsi suppar, vel ejus scripta, vel epistolas recensuerint, ac nullibi illius libri, cujus quoque stylus a Damasi stylo maxime discrepat, mentionem fecerint, aut certe illum minime indigitarint: qui etiam non in pluribus vetustissimis codicibus, sed in uno noni sæculi Manuscripto, uti Labbæus (*a*) observat, falso Damasi nomen ferebat. Ob quas res idem opus & cum genuinis S. Damasi scriptis consusum non fuit, & sæculo quarto, & quinto, in quibus S. Hieronymus, ac Theodoretus vixere, nequaquam comparuit, & Anastasius Bibliothecarius ejusdem operis auctor non est; qui quamvis illi plura adjecerit, nihilo secius ille ipse liber nono sæculo, quo iste spiritum duxit, non Anastasii, sed Damasi salso nomine vocabatur: quod nomen cum codicibus nono sæculo vetustioribus positum non fuerit, profecto hi Anonymum ipsius libri auctorem, qui nomine haud producto *proemium* illi præfixerat, significarunt. Ac propterea nono eodem sæculo Pontifici Damaso ipse liber affictus est, qui exinde unam epistolam eidem Damaso suppositam, & alteram S. Hieronymo subditam, quarum utraque ab ipsorum stylo multum dissidet, ab iisque non indicatur, sequioribus temporibus habuit.

Hoc autem ex S. Gregorio Magno, qui sexto sæculo inclinante summus Pontifex renuntiatus fuit, ostenditur; qui *ordinationes Apostolicæ sedis Pontificum usque ad Vigilii Papæ tempora expositas*, quæ videlicet scripto exhibitæ, *expositæ*, sive descriptæ fuerant, adlegavit; ac non Damasi nomen eis præfixum, non illas epistolas ipsarum initio positas, non denique ullum singularem earumdem *ordinationum* auctorem, sed hasce anonymas, & sæculo sexto descriptas fuisse innuit, dum Secundino easdem quærenti id dedit responsum: (*b*) *De ordinationibus vero Apostolicæ sedis Pontificum, utrum post beatissimum Hormisdam aliqua sint addita, vestra caritas requirit. Sed usque ad Vigilii Papæ tempora expositas ordinationes Præsulum esse cognoscas.*

Cum igitur liber *Pontificalis de expositis ordinationibus Apostolicæ Sedis Pontificum*, sive vetus *Romanorum* Præsulum Catalogus, Anonymus, sit legitimus utpote a S. Gregorio Magno signifi-

(a) *Labb. apud Bellarm. lib. de Script. Eccl. novist. Ven. edit. pag. 92.*

(b) *S. Greg. Magn. lib. 12. indict. 11. epist. 15. pag. 970. Tom. 11. Ven. edit. an. 1744.*

significatus : profecto ejus integritas evincitur solum ex antiquis ipsius scriptis Anonymis tum Farnensibus Anastasio Bibliothecario anterioribus, tum aliquot Vaticanis, quæ neque Damasi, neque alterius titulum, neque illas epistolas Præfationis loco perperam adlatas, sed & aliam Anonymi auctoris Præfationem, & illam de S. Petro Apostolorum Principe periodum, quam Dallæus adducit, in recenti ejusdem *Catalogi* editione Romana sic habent : (*a*) *Proemium*. ,, Imperante Tiberio Cæ- ,, sare passus est Dominus noster ,, Jesus Christus, duobus Geminis ,, consulibus, VII. Kalendas Aprilis, ,, & post adscensum ejus beatissimus ,, Petrus Episcopatum suscepit. Ex ,, quo tempore per successionem di- ,, spositum, quis Episcopus, & quot ,, annis præfuit, vel quo imperan- ,, te. ,, *S. Petrus* (*b*) ,, Beatus Pe- ,, trus Apostolus, Princeps Aposto- ,, lorum, natione Galilæus, de vico ,, Bethsaida, filius Joannis, Frater ,, Andreæ, primum sedit Cathedram ,, Episcopatus in Antiochia annos ,, VII. Hic ingressus est in urbem ,, Romam, Nerone imperante, ibi- ,, que sedit Cathedram Episcopatus ,, annos XXV. mensem I. dies VIII. ,, Fuit autem temporibus Tiberii ,, Cæsaris, & Caji, & Tiberii Clau- ,, dii, & Neronis ..... Petrus vero ,, sentiens diem mortis sibi immi- ,, nere, beatum Clementem Episco- ,, pum (*c*) consecravit, eique suam ,, cathedram, vel Ecclesiam om- ,, nem disponendam commisit, di- ,, cens : *Sicut mihi posestas guber-* ,, *nandi tradita est a Domino meo* ,, *Jesu Christo, ligandi, solvendique:* ,, *ita & ego Tibi committo, ut ordinans* ,, *Dispositores diversarum causarum, per* ,, *quos actus Ecclesiastici propagentur,* ,, *& tu minime curis sæculi deditus* ,, *reperiaris, sed solummodo orationi,* ,, *& prædicationi stude vacare.*

His fictam Damasi Epistolam, qua Dallæus abutitur, quæque in operibus S. Hieronymo suppositis extat, ita subjiciam. (*d*) ,, Damasus Epi- ,, scopus urbis Romæ Hieronymo ,, Presbytero. Gaudet Ecclesia tuo ,, fonte jam satiata, & amplius si- ,, tit curiositas temporum Sacerdo- ,, talium, ut quod dignum est, cogno- ,, scatur, quod indignum, respuatur. ,, Verumtamen gesta Pontificum, quæ ,, potuimus reperire, in sedis no- ,, stræ studio, ad tuam caritatem ,, gaudentes direximus. Ora ad san- ,, ctam Resurrectionem.

Quid ergo habet ars loci ? nullum quidem. Etenim Dallæus falso supponit, hanc commentitiam Damasi Epistolam, aut Præfationem, ab Anonymi illius auctoris, qui Anastasio longe vetustior est, scriptis sublatam esse; quippe in quibus non ea fictitia, sed certe alia erat Præfatio : ac proinde illa notha Epistola ab ejusdem scriptoris, quem potius Anonymum censor ipse significat, Codice, in quo non continebatur, auferri non potuit.

Is igitur Codex, & alterum ejus exemplar Vaticanum, inviolata sunt & antiquiora eo volumine postea exarato, cui vel Isidorus Mercator, vel alius fictor, Damasi nomen, illasque spurias Epistolas adjecerunt, quas insitivas esse, istiusque exem-

(a) Catal. Rom. Pontif. pag. 1. & sequ. Tom. 1. edit. Rom. an. 1724.
(b) Pag. 3.
(c) Pag. 7.
(d) Tom. XI. Oper. S. Hier. pag. 275. noviss. Ver. edit.

plaris principium depravatum a prioribus codicibus integris longe distare, hosque Codices vetustiores, qui eo titulo, & suppostitiis litteris carent, fœdissime truncatos, ac mutilatos falsissima Dallæi suppositione dici, atque deferri, vincit Magnus Gregorius, qui earum *expositarum ordinationum* Catalogum denotavit, nullo auctore nuncupato, nullisque Damasi, & Hieronymi litteris significatis. Ac Dallæus ipse confirmat, ea Anonyma scripta antiquiora esse incorrupta, ut quæ nullum commentum, sed illud S. Petri dictum contineant.

Etsi autem illa epistola, utpote S. Damaso adficta, quæ a censore defertur, nihil obtinet; tamen Apostolicæ Sedi, quæ omne *dignum* agnovit, & *indignum* reprobavit, minime adversatur. Ex hac igitur parte nullus Catholicus Epistolam ipsam illi Catalogo abstulit, in cujus tamen sinceris scriptis Anonymis eædem illæ litteræ commentitiæ neutiquam extitere.

Cum autem *ligandi*, *solvendi*, & *gubernandæ omnis Ecclesiæ potestatem* a Christo S. Petrus Apostolorum Princeps, ejusque Successores Romani Pontifices susceperint, atque habeant, veteribus docentibus: id auctor ille non inficiatur, sed innuit, cum non *potestatem Clementi a S. Petro traditam*, sed judicandarum *causarum* dispositionem aliis *committendam* monuerit, ut *orationi*, & *prædicationi* commodius ipse Clemens vacaret: quem non statim electum ad Summi Pontificis munus, sed consecratione a Deo designatum propterea voluit; quia post S. Petri (*a*) martyrium illico scripsit, *S. Linum* in summi Pontificatus Cathedra *sedisse*. Quare illis verbis *Apostolorum Princeps* non electionis, sed cujusdam dispositionis testamentum concepit, &, quod eo caverat, suppressum non est: quippe quo non potestatem, neque officium, sed quandam causarum dispositionem suis tribuit successoribus, quæ a more, ac proposito horum, qui hodieque suis Ministris causas exponendas dant, aliena non est. Tum autem ea „omnia Manuscripta, „ in quibus Stephanus IV. *Papa urbis* dicitur, inviolata Dallæus significat ob eam constantem lectionem; ideoque ejusdem Catalogi Codices mutilatos esse falso conqueritur: quos cum librarii illi, qui in una antiqua ipsius Catalogi editione illum Stephanum *Papam orbis* solummodo posuerunt, minime adulterarint: ob id non falsarii, sed negligentes fuerunt. Sed tamen recentiores incorruptis iisdem codicibus inhærentes, atque Episcopi urbis nomen haud obsoletum monstrantes, Romæ pridem *Stephanum* (*b*) ipsum *Papam urbis* excuderunt; cui Romano Pontifici *omnis Ecclesia*, ut Anonymus ejusdem Catalogi auctor ait, *committitur*; quam rem Romani Catholici loquuntur, ac profitentur.

Verum Dallæus in fraudem impulsus S. Fulberti Carnotensis sæculo XI. clari, qui *Hæreticum* S. Augustini dictis improbe abutentem accusavit, integrum textum non adlegat; cui & Augustini, & Fulberti locos aperiamus necesse est.

Enimvero S. Augustinus libro III. de doctrina Christiana proprias, & figu-

(a) *Ibid. pag.* XI.

(b) *Catal. idem Tom.* II. *pag.* 317.

figuratas facrarum litterarum locutiones, aut fenfus oftendit, itaque fatur: (*a*) „Quod autem agit indo„ mita cupiditas ad corrumpendum „ animum, & corpus fuum, flagi„ tium vocatur. Quod autem agit, „ ut alteri noceat, facinus dici„ tur .... (*b*) Si præceptiva locutio „ eft aut flagitium, aut facinus ve„ tans, aut utilitatem, aut benefi„ centiam jubens, non eft figurata. „ Si autem flagitium, aut facinus „ videtur jubere, aut utilitatem aut „ beneficentiam vetare, figurata „ eft. „ (*c*) Nifi manducaveritis, *inquit*, carnem filii hominis, & fanguinem biberitis, non habebitis vitam in vobis: „Facinus, vel flagitium vide„ tur jubere: figura eft ergo præcipiens „ paffioni Dominicæ communican„ dum, & fuaviter, atque utiliter „ recondendum in memoria, quod „ pro nobis caro ejus crucifixa, & „ vulnerata fit.

Exinde S. Fulbertus Carnotenfis Epifcopus de Hæreticis, qui Euchariftiam effe merum fignum, meramque figuram Corporis & Sanguinis Chrifti, non veram effe fubftantiam ejus Corporis & Sanguinis, effutiebant, locutus eft in fermone ad populum; quem fermonem, & ejus Epiftolas ex Bibliothecæ Regiæ Parifienfis manufcriptis Faber Parifiis, anno MDCVIII. edidit; quam editionem Dallæus profert; in qua Fulberti textus poft ea Evangelii S. Joannis verba ita legitur: „ Nifi man„ ducaveritis, *inquit*, carnem Filii „ hominis, & fanguinem biberitis, „ (*d*) non habebitis vitam in vobis, (*e*) *facinus, vel flagitium videtur jubere. Figura ergo eft, dicet Hæreticus, præcipiens paffioni Domini* effe communicandum *Tantum*.

Hifce ultimis verbis ars cenforis obteritur, qui eam voculam *tantum* omifit: quæ cum magni momenti inftar obtineat, utpote excludendi vim habens; atque in S. Auguftini enuntiato, ejufque codicibus omnibus, ac libris excufis non extet, fed illis S. Doctoris verbis, *figura eft ergo præcipiens, Paffioni Dominicæ communicandum*, addatur: profecto hoc additamentum illius propofitionis rationem immutat, eademque verba particulæ tantum alligata non Auguftini, *fed Hæretici* voces effe demonftrat, qui fcilicet S. Doctoris verbis abutens contendit, Euchariftiam effe *tantum* figuram Corporis, & Sanguinis Domini; quod Auguftinus nunquam protulit, nunquam fenfit, nunquam confcripfit; cujus proinde affertio fignificat, in Euchariftiæ fpeciebus veram Corporis, & Sanguinis Chrifti fubftantiam ineffe, & Euchariftiam non tantum horum effe figuram, fed verum Chrifti Corpus Euchariftìcum a Fidelibus ita fumi, ut credatur, non oculis videatur, non dilaceretur, non coquatur uti animalium caro, non denique fic coctum edatur, quemadmodum Capharnaitæ illud edi putarunt, non intelligentes figuratam *facinoris* locutionem. Quorfum hæc? ut intelligas, folius Dallæi aftutiam ablatam effe, qui integrum Fulberti

A a 2 locum

(a) *S. Aug. lib. 3. de doctrina Chrift. cap. 10. n. 16. pag. 50. Tom. III. nov. Ven. edit.*
(b) *Ibid. cap. 16. n. 24. pag. 52.*
(c) *Joan. VI. 53.*

(d) *Joan. VI. 55.*
(e) *S. Fulber. in ferm. ad pop. edit. Parifiis an. 1668. pag. 168. quam Dallaus lib. de ufu Pat. cit. in margine pag. 87.*

locum in ea editione, quam ipse memorat, quamque nos adhibuimus, vidit, nec tamen adduxit, ut ipsum vitiatum confingeret. Atqui Fulbertus protulit insignia Augustini verba ab *Hæretico*, qui eis voculam excludentem adjecerat, mutata esse, atque corrupta; ac proinde eandem voculam non Augustini fuisse sententiam, sed Hæretici, qui S. Doctoris loco abutebatur, esse absonum dictum. Nemo igitur S. Augustini sententiam ab illa particula *tantum* præcisam Hæretico tribuit: nemo scriptum Fulberti, qui illam vocem prædictæ particulæ adligatam, non ut Augustini enuntiationem, sed ut Hæretici abusionem retulerat, astute corrupit: nemo tandem Censoris, a quo integer Fulberti locus haudquaquam proponitur, fraudes concepit.

Quis est autem, qui putet, cum Latini Orthodoxi florerent, nostrorum hominum aures ad quorumdam oscitantium librariorum vocem clausas fuisse? Quin etiam arbitror, hos quoque criticos existimatos. Nam cum S. Gregorii Magni instituta cognoscerent, ejusque ætatem, tempora, & inviolatos Codices haud ignorarent; in edita ejus Epistola ad Joannem Constantinopolitanum Præsulem pro *Sacerdotum exercitu Sacerdotum exitum* minus bene a librario positum adnotarunt; quam notam & Bellarminus a Dallæo memoratus, & alii eruditi Catholici, quorum insectatione censor ipse finistre non abstinuit, tulerunt, innixi quatuor Vaticanis, & Normannis omnibus Manuscriptis, in quibus non *exitus*, sed *exercitus* legitur. Etsi ergo una, vel altera S. Gregorii operum editio, in qua prius vocabulum habetur, mendis scatet; his tamen ea Manuscripta, quæ etiam ab ipso Dallæo ut certe inviolata laudantur, prorsus carent; quæ sectati recentiores critici, jam *exercitum* excuderunt. Quibus observatis, non vocabulorum opificem, sed rerum inquisitorem decet esse sapientem. Sapientissimus namque Gregorius in illa epistola non de fide abeunte tractavit, sed adhortatus est ad fugiendam superbiam; qua idem Joannes Constantinopolitanus Œcumenici, sive universalis Episcopi nomen usurparat: cui *elationi* Græcorum *Sacerdotum*, qui aliunde humilitatis æstimationem habere debuissent, *exercitus* assentabatur. Has res S. Gregorii institutum, & ratio ista docet: (*a*) „ Rex superbiæ prope est, & quod „ dici nefas est, Sacerdotum ei præ„ paratur exercitus; quia cervici mi„ litant elationis, qui ad hoc positi „ fuerant, ut Ducatum præberent „ humilitatis.

Iidem ipsi Theologi sunt, quorum auctoritas Dallæo obest, quominus hic ipsius S. Gregorii textui vim inferat: qui S. Doctor cum anno 593. ad Januarium Episcopum Calaritanum scripsisset, quod (*b*) *Episcopi baptizatos infantes signare bis in frontibus Chrismate non præsumant, sed Presbyteri baptizandos (at baptizatos) ungant in pectore, ut Episcopi postmodum ungere debeant in fronte*: (*c*) deinceps anno sequenti eidem Episcopo scripsit: *pervenit quoque ad nos, quosdam scandalizatos fuisse, quod Presbyteros chrismate tangere eos qui baptizandi (al. baptizati) sunt*, pro-

(a) *S. Greg. M. Epist. lib. v. indict. XIII. Epist. 18. pag. 744. Tom. I. novissr. Ven. edit.*

(b) *S. Greg. M. lib. IV indict. XII. epist. 9.* *Tom. II. pag. 689.*

(c) *Ibid. epist. 26. pag. 705.*

prohibuimus. Et nos quidem secundum usum veterem Ecclesiæ nostræ fecimus; sed si omnino hac de re aliqui contristantur, ubi Episcopi desunt, ut Presbyteri etiam in frontibus baptizandos (al. baptizatos) Chrismate tangere debeant, concedimus.

Quocirca eruditiores Theologi observant, prima prioris Epistolæ verba, quæ cuiquam Episcopo ordinarium jus confirmandi, aut *in frontibus ungendi Chrismate Baptizatos*, addicunt, quæque id non hodiernum, ut Dallæus errando occentat, sed vetus Ecclesiæ dogma esse ex S. Gregorio probant, reperiri in omnibus Manuscriptis, & editionibus, cum vetustis, tum recentioribus: & posteriorem quidem *baptizandorum* vocem in quibusdam codicibus Anglicanis, & Normannis proferri; sed in veteri Manuscripto Colbertino, inque aliis *Baptizatos* melius legi. Ergo ex illis omnibus aliqui vel amanuenses, vel editores in posteriori primæ Epistolæ parte, atque in reliquis alterius Epistolæ locis *Baptizatos* non posuerunt, videntes, hoc vocabulum antiquo Romanorum dogmati, quo ordinarius Sacramenti Confirmationis minister Episcopus traditur, adversari.

Nam si eam ob rem in posterioribus *baptizatos* audacter mutassent, etiam in priori Epistolæ IX. parte id fecissent: cujus contrarium cum & Epistola doceat, & Dallæus affirmet, sequitur, ut illi posteriora S. Gregorii verba eidem dogmati opposita haud viderint, neque ob id ea immutarint: quippe quia in prioribus *baptizatos* ab *Episcopis* semel *in frontibus ungendos Chrismate*, & confirmandos ediderunt: cui proinde dogmati *baptizandorum* vocem postea positam minime adversari inspexerunt, utpote quæ de oleo, quo Presbyteri baptizandos in fronte ungere poterant, explicari queat. Quare Dallæus recentiores impudentius insimulat, quod illas S. Gregorii litteras corruperint; a qua suspicione isti plurimum absfuerunt; quoniam in aliquibus vetustis Anglicanis, aliisque codicibus *baptizandi* leguntur; quod vocabulum propter eam caussam nuperi editores nequaquam mutarunt; præsertim cum varias lectiones in antiquis tum Sacrarum litterarum, tum Patrum codicibus Critici omnes admittant. Puriora tamen S. Gregorii Magni conscripta S. Thomæ Aquinati, ac reliquis Theologis ea visa sunt, in quibus *baptizatorum* vox ubique exarata fuit; quippe quæ priori *baptizatorum* vocabulo, quod in omnibus codicibus & scriptis & editis legitur, correspondeat, ac referat. Sardos de baptizatis confirmandis disceptasse; in quorum locis universis cum Episcopi, qui eos consignarent, non invenirentur, idcirco S. Gregorius extraordinarium confirmandi munus, *ubi Episcopi deessent*, ad *Presbyteros* suprema sua auctoritate traduxit: quo munere non infregit ordinarium jus Episcoporum, sed illud, ubi hi essent, firmavit.

At vide abruptum Dallæi ordinem, qui iterum ad quosdam S. Augustini locos venit, horumque unum adducit ex ejus Tractatibus in Evangelium Joannis: cujus quædam verba, quæ in ejusdem Evangelii capite VII. extant S. Doctor (*a*) ita per-

(a) *S. Aug. tract. 30. in Joan. n. 1. pag. 517. part II. Tom. III. nov. Ven. edit.*

Digitized by Google

pertractat: „ Sursum est Dominus, „ sed etiam hic est veritas Dominus: „ corpus enim Domini, quo resurrexit, uno loco esse potest, veritas ejus ubique diffusa est. Dominum ergo audiamus, & quod ipse „ donaverit de verbis ejus, & nos „ dicamus. „ (*a*) Nonne Moyses, *inquit*, dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legem? quid me quæritis interficere? *ideo enim quæritis me interficere, quia nemo ex vobis facit legem*.

Hunc S. Augustini locum vitiatum non fuisse ex eo apparet, quod Codices Audoenenses, Gemmeticenses, & Pratellenses, qui octavo sæculo labente exarati videntur, ita eum repræsentant, ut in ipsis id legatur, *Corpus Domini uno loco esse potest*. Quamobrem censor inverecundum animi ingenium possidens, ait, quod „ recentiores Latini hæc pessima, & „ inverecunda fraude substituerunt.„ Tantum ejus opinio præjudicata poterat, ut apud ipsum obloquentem antiquorum Codicum non valeret auctoritas: Qui Codices cum longe vetustiores fuerint Ivone Carnotensi, quem sæculo XII. obiisse scimus, quique proinde in aliquo sequiorum temporum scripto ista legit; *Corpus Domini uno loco esse oportet*: tum illi Codices prius singillatim nuncupati, utpote antiquiores, nec a recentioribus violati, neve fraudati, huic lectioni præferri debent; quæ illud ob tempus minimam verisimilitudinem habet, quam postea alii Theologi secuti sunt, vetustissimis scriptis haud improbatis. Quid vero *oportere esse uno loco Domini Corpus* Eucharisticæ transmutationi adversatur? retundunt quippe Dallæum iidem Theologi, præsertim S. Thomas, & S. Bonaventura ab eo laudati, qui in illo posteriori Manuscripto *oportere* legerunt, nec tamen hoc immutarunt, neque Eucharisticæ mutationi, quam profitebantur, refragari senserunt: quippe quod Augustinus locutus sit de Domini Corpore, quod *sursum*, sive in Cœlum, videntibus ejus Discipulis, ascendit, & ibi naturaliter uno in loco existit, quæ extantia non impedit, quominus in dissitis aliquot terræ locis superno modo esse possit, sicuti esse in Eucharistia creditur, mutatis panis, vinique substantiis. Cum itaque falsa sit Dallæi argutatio; & in antiquissimis S. Augustini scriptis illud *posse* inveniatur: ista nos sequimur.

Alterum S. Augustini locum in iisdem tractatibus nacti sumus; quo in loco S. Doctor ea verba, quæ Christus de suo Corpore, & Sanguine fecit, quæque S. Joannes Apostolus in suo Evangelio protulit, ita declarat: „ (*b*) qui manducat Carnem „ meam, & bibit meum Sanguinem, in me manet, & ego illo. „ (*c*) Hoc est ergo manducare illam „ escam, & illum bibere potum, in „ Christo manere, & illum manentem in se habere. Ac per hoc qui „ non manet in Christo, & in quo „ non manet Christus, procul dubio nec manducat spiritaliter carnem ejus, nec bibit ejus sanguinem, licet carnaliter, & visibiliter premat dentibus Sacramentum „ Corporis, & Sanguinis Christi; „ sed magis tantæ rei Sacramentum „ ad judicium sibi manducat, & bibit,

(*a*) *Io. 7. v. 19.*
(*b*) *Joan. VI. v. 53.*

(*c*) *S. Aug. tract. 26. in Joan. n. 18. pag. 501. Tom. III.*

,, bibit, quia immundus præsumpsit ,, ad Christi accedere Sacramenta, ,, quæ aliquis non digne sumit, nisi ,, qui mundus est; de quibus dici- ,, tur. (*a*) Beati mundo corde, quo- ,, niam ipsi Deum videbunt.

Et ita quidem hunc S. Augustini (*b*) textum Beda, & Alcuinus, & editi libri referunt; sed plura Manuscripta posteriorem ipsius loci partem sic exhibent: ,, (*c*) Nec man- ,, ducat Carnem ejus, nec bibit ejus ,, Sanguinem, etiamsi tantæ rei Sa- ,, cramentum ad judicium sibi man- ,, ducet, & bibat.

Jam ante recentiorum ætatem reperio, quos appellare possim nominatim; qui cum textus ab Augustino scripti partem, quam Dallæus temere cavillatur, attigissent, essetque eorum alter, nempe Beda, anno DCLXXII. natus, eidemque Augustino propemodum suppar, alter, nimirum Alcuinus, nono sæculo viveret: nusquam profecto illa priora Augustini verba protulissent in medium, nisi eadem in authentico ipsius Augustini Codice perlegissent; qui Codex sæculo quinto exaratus, & cæteris Manuscriptis, quæ ea parte carent, antiquior censendus est, utpote ab uno ferme suppare Scriptore relatus, & alterius vetusti auctoris eruditi adlegatione munitus: quorum testificationi sententiarum liber, qui S. Prosperi Aquitani esse dicitur, opponi non potest. Primum enim in plerisque ejus libri Manuscriptis illæ sententiæ sunt ita breves, ut eisdem quippiam desit. Tum quidem in eo libro edito trecentæ & nonaginta sententiæ continentur: sed priores triginta septem, aliæque subsequentes ex ipsius Prosperi commentariis in Psalmos, & reliquæ ex operibus S. Augustini, (*d*) cujus verba nonnunquam mutata deprehenduntur, excerptæ sunt; quibus ex rebus liquet, sententiarum librum sub S. Prosperi Aquitani nomine circumferri, ob priores ejus sententias, sed reapse non ejusdem Prosperi, sed cujusdam ipso recentioris fœtum esse. Atque etiam S. Augustini verborum mutationem illa ipsa sententiæ, quam Dallæus incaute pronuntiat, plena verba sic patefaciunt: ,, (*e*) ,, escam vitæ accipit, & æternitatis ,, poculum bibit, qui in Christo ma- ,, net, & cujus Christus habita- ,, tor est; qui discordat a Christo, ,, nec Carnem ejus manducat, nec ,, Sanguinem bibit; etiamsi tantæ ,, rei Sacramentum ad judicium suæ ,, præsumptionis, quotidie indiffe- ,, renter accipiat. ,, Quo in loco nemo non videt, S. Augustini contextum, qui in adlato ejus tractatu extat, quemque omnia Manuscripta, & Codices omnes editi, & Beda, atque Alcuinus repræsentat, ab illo libri sententiarum auctore permutatum, ac plura Augustini dicta dimissa; & quædam eis contraria addita esse. Nam cum S. Doctor dixisset: ,, Hoc est ergo manducare il- ,, lam escam, & illum bibere po- ,, tum, in Christo manere, & illum ,, manentem in se habere; ac per ,, hoc qui non manet in Christo, & in

(a) *Matth. v. 8.*

(b) *Beda in Evangelium Joannis Caput VI. pag. 509. & seq. Tom. 5. Edit. Colon. 1612. & Alcuinus in Joannem lib. 3. cap. XV. pag. 490. Parisiensis Edit. 1677.*

(c) *S. Aug. ibid. in Nota textui apposita pag. eadem.*

(d) *Vide admonitionem in eundem librum pag. 311. oper. S. Prosp. edit. Ven. an. 1744.*

(e) *Sententia CCCXLIII. cl. CCCXXXIX. ib. pag. 546.*

Digitized by Google

„ in quo non manet Christus, nec „ manducat Carnem ejus, nec bibit „ ejus Sanguinem, sed magis tantæ „ rei Sacramentum ad judicium sibi „ manducat, & bibit: „ horum priora ille scriptor ita mutavit; *escam vitæ accipit, & æternitatis poculum bibit, qui in Christo manet, & cujus Christus habitator est*: deinceps hæc sequentia Augustini dicta, *qui non manet in Christo, & in quo non manet Christus*, ille idem omisit, istaque posuit, *qui discordat a Christo:* demum non modo eam *præsumptionem*, verum etiam illud *indifferenter* hoc est, sine differentia, adversus S. Augustinum, qui illum, *qui manet in Christo*, ab eo, *qui non manet in Christo*, aperte distinxerat, & utrumque multum differe enuntiarat, adjecit. Hæc omnia partim interpolata, partim mutata, partim Augustini sententiæ opposita S. Prosper Aquitanus, fidissimus S. Augustini sectator, utique haud exscripsit; quippe qui in suis certis operibus plura ejusdem S. Doctoris testimonia fideliter attulit, neque commutavit, nec quicquam eis contrarium docuit, immo aliquos, qui S. Augustini doctrinæ quædam errando opposuerant, patefecit. Non igitur illud opus S. Prosperi est, neque ullo modo, quem Dallæus perperam habuit, vincere potest, ea, quæ in allata sententia continentur, ipsius Augustini enuntiata penitus esse: quam sententiam si Ivo Carnotensis, Gratianus, atque Lombardus suis in libris posuerunt, ferendi sunt, qui, ut summas juris, ac Theologiæ causas agitarent, temporis quidem vix satis habuere, ut rem tantam, tot criticis controversiis implicatam, possent cognoscere. Quæ quo plura sunt, eo oportebat, ut priora S. Augustini verba, quæ plena manu adducti veteres laudarunt, quæque propterea irridenda non sunt, meliori mente Dallæus audiret; qui idcirco quædam ridicule collegit, quia risum, quomodo erumpat, vidit; & in eo sententiarum libro Laciniam, quæ contra S. Augustini antecedentia deducitur, minime vidit: quæ repugnantia cum in priori ejusdem S. Doctoris loco, quem Beda, & Alcuinus adduxerunt, non sit, jam in eo nulla est Lacinia: quippe quo in loco nihil, quod auctor ille sententiarum inverterat, a scriptoribus illis mutatum fuerit, nihilque, quod ab Augustino negari Dallæus falso ait, appareat. Inibi enim S. Doctor, uti etiam in Parisiensibus, aliisque recensitis codicibus, qui brevi nota, atque adeo quorumdam verborum prætermissione a Notariis exarati sunt, legitur, plane dixit, quod, *qui non manet in Christo, & in quo non manet Christus; nec manducat carnem ejus, nec bibit ejus sanguinem: etiamsi tantæ rei Sacramentum ad judicium sibi manducet, & bibat:* ubi *tanta*, non figura quidem, sed Res certe refertur ad *Corpus, & Sanguinem Christi*, quæ res ex illis continuatis connectuntur: sed indigne communicans *tantæ rei Sacramentum ad judicium sibi manducat, & bibit:* ergo indigne communicans *Corpus, & Sanguinem Christi ad judicium sibi manducat, & bibit* ex Augustino: non is igitur, uti Dallæus errore scribit, simpliciter negavit, Christi carnem ab indigne communicantibus sumi: verum ex connexis simpliciter affirmavit, illam ab istis *manducari re* ipsa; quam omnes Codices Manuscripti, etiam Dallæo accepti, referunt, atque demonstrant. Non

ergo

ergo lacinia crassa, & inepta, uti ille Censor blaterat, aliis codicibus, quos Beda, & Alcuinus viderunt, assuta fuit; sed crassam, ineptamque laciniam illi textui Dallæus adtexuit, dum ex eo ait, *Christi carnem a communicantibus visibiliter sumi*. Non hæc illo in loco, sed ista habentur, *licet carnaliter*, *& visibiliter premat dentibus Sacramentum corporis Christi*. Et vero *Sacramentum* est panis non substantia, quæ desiit, sed species *re* ipsa continens verum *Christi corpus*; *& sanguinem Christi*; quæ oculis non videntur, sed in ea inesse certo creduntur; & proinde illa Eucharistica species *visibiliter dentibus premitur*, *Christique corpus carnaliter* quidem, at non visibiliter sumitur: quas res S. Augustinus etiam aliis in locis eadem pene phrasi, & uno, vel altero vocabulo usus proposuit. Nullus itaque Augustini textus, nullus orthodoxus Theologus, nullus tandem Catholicus persuasit, aut protulit, *Christi carnem* in Eucharistia *visibiliter* sumi. Finxit igitur hoc sibi Dallæus: finxit latinos corruptores: „ finxit scribendi licentia abusus, in „ nuperis omnibus editionibus Augu- „ stini verba ridicule interpolata exhiberi: quam ridiculam collectionem dispergunt & Beda, atque Alcuinus, qui in suis antiquissimis codicibus ea verba non interpolata legitarunt: & S. Augustini voces in aliis scriptis melius expressæ, illisque satis consonæ; quæ *Christi corpus re* ipsa in Eucharistiæ *Sacramento* existens non videri, sed credi, atque a fidelibus *manducari*, apertius docent.

Hic sermo, sive Tractatus de rectitudine Catholicæ conversationis, quem nonnulli librarii S. Augustino Hipponensi Episcopo supposuerunt, objicitur; qui tractatus extat in libro 2. vitæ (*a*) S. Eligii Episcopi Noviomensis medio septimo sæculo illustris, cujus gesta Audoenus ejus auditor descripsit, deque illo sermone, qui incipit, *Rogo vos*, ista retulit: „ diebus namque singulis, „ (Eligius) plebem sibi commissam „ infatigabiliter salutaribus monitis „ exhortabatur ..... Nam collectis „ undique ad Ecclesiam turbis, multa quidem, & magna breviter in „ sermone complexa, sed in ædificatione spiritaliter copiosa, cum „ prophetica fiducia exaltans vocem, „ hujuscemodi ad eos proferebat monita: (*b*) Rogo vos, Fratres carissimi, & cum grandi humilitate „ admoneo, ut intentis animis auscultare velitis .... qui ægrotat, „ in sola Dei misericordia confidat; „ & Eucharistiam corporis, ac sanguinis Christi cum fide, & devotione accipiat, oleumque benedictum fideliter ab Ecclesia petat, „ unde corpus suum in nomine Christi ungunt, & secundum Apostolum (*c*) Oratio fidei salvabit infirmum.

Atqui super infirmum *Oratio fidei* profertur a Sacerdote, sive *Presbytero ungente secundum Apostolum* Jacobum expresse adlegatum ab Eligio; cujus proinde in textu *Presbyter ungens*, *& orans* necessario propter contextum statim sequentem, quo ille *Apostolus* laudatur, intelligi debet: ad quæ nulla difficultas

(a) *Aud. lib. 2. vit. S. Elig. cap. 15.*
(b) *S. Elig. Noviom. Episc. in tract. de rectit. Cathol. convers. pag. 268. & sequ. Append. Tom. VI. oper. S. Aug.*
(c) *Jacob c. V. v. 14. & 15.*

cultas accedit ex ea ratione, quam Dallæus visus est petere e latino sermone, quo, si Eligius Presbyterum ungentem significasset, dicendum isti erat, *corpus ejus*, non *suum*, *ungat*; in quo sermone fallitur censor: *suum* enim loco *ejus* non raro accipitur a Latinis vetustissimis, atque doctissimis; quorum unus Cicero ait; (*a*) *lege, enim Collegii sui non tenebantur*. Quare ab Eligio *Ecclesiæ* Præsbyter, qui *infirmi corpus ungat*, intellectus est *secundum Apostolum:* ob cujus utriusque testimonium a nostro Waldensi, qui de extremæ unctionis Sacramento agit, quemque hic Dallæus affert, *Sacerdos*, (*b*) qui ungit infirmum, & orat pro eo appellatur, & capitur: qui auctor in editis illius sermonis codicibus legit *ungat;* quam lectionem & Audoeni scriptum exhibet, & ipse Dallæus amplectitur. Non ergo plura scripta, quæ olim Catholici exararant, non plures Codices, non plures denique editiones vel recentes, depravatæ sunt. Neque etiam nonnulli negligentes editores *ungatur* excuderunt, ne Eligiana unctio aliena videretur a sua, hoc est, a Catholica. A Catholica enim fide, a Catholica Jacobi Epistola, cui Eligii sermo innititur, atque a veritate Dallæus abhorret. Nam Elegius locutus est *secundum Apostolum*, qui non infirmum se ungentem, sed *Præsbyteros* infirmum *oratione fidei*, atque adeo Sacramento *ungentes* prædicavit, a qua proinde *oratione* non Eligiana unctio *Apostoli* verbis concepta, sed Dallæi argutatio, qui falso unius pronominis *sui* judicio veritatem non opprimit, longe aliena est. Cumque nemo ægrotus decumbens, uti Dallæus significat, se ungere haud possit, sane id non ignoravit Eligius; ac propterea illud *ungat* non de infirmo, sed de ungente Sacerdote desumpsit, & Catholicæ doctrinæ propius accessit: cujus locutio aliena ab extremæ unctionis Sacramento, quod Sacerdotes ministrant, Waldensi, a quo *ungat* legitur, quemque Dallæus testem producit, certe visa non fuit, quia ipsum Sacramentum confirmavit Jacobi Apostoli testimonio, & Eligiana unctione: quam etiam ab eo Sacramento ministrando alienam non putarunt ii Codicum, quos Waldensis legerat, editores. Alii vero in Germanensi illius sermonis Codice *unguat*, quod Gallorum lingua pronuntiabat, legentes, unius litteræ Y additamento, & alterius U ttalatione *ungatur* fecerunt, atque impresserunt; quorum inertiæ, non ei alienationi a Dallæo confictæ, illud mendum tribuendum est: quoniam illi Germanensem ipsum Codicem antiquitus scriptum, ac nuper editum, in quo legitur *unguat*, quod ungendi infirmi sensum non amittit, neutiquam corruperunt.

Sed inde miramur, Censorem pertendere, Aimonii Monachi Germanensis, qui XII. sæculo vivebat, contextum depravatum apparere in antiqua Parisiensi editione; quæ ex ipsius autographo, quod in Parisiensi Cœnobio S. Germani asservabatur, hausta fuit; ex qua Aimonii, qui Adriani II. Romani Pontificis quædam gesta narrat, hunc textum integrum adferam: (*c*) „ Adrianus Pa-

(a) *Cic. ad Att. lib. 3. Epist. 65.*
(b) *Thom. Waldens. Carmel. cap. clxiii. Tom. ii.*

(c) *Aimon. lib. v. de gestis Franc. pag. 320. Paris. edit. an. 1603.*

„ Papa, secundum quod Nicolaus „ Prædecessor ejus dispofuerat, legatos suos, Donatum scilicet Hostiensem Episcopum; & Stephanum Nepesinum Episcopum, & „ Martinum Diaconum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ad Basilium Imperatorem, & ad Filios ejus, Constantinum, & Leonem Augustos „ Constantinopolim direxit; cum „ quibus & Anastasius Bibliothecarius Romanæ Sedis, utriusque linguæ, græcæ scilicet, & Latinæ peritus, perrexit: & synodo congregata, quam octavam universalem „ synodum illuc convenientes appellaverunt, exortum Schisma de Ignatii depositione, & Focii ordinatione fedaverunt, Focium anathematizantes, & Ignatium restituentes: „ in qua synodo de imaginibus adorandis, secundum quod Orthodoxi Doctores antea difinierant, statuerunt.

Hæc eadem Aimonii verba prorsus connexa, sibique apte respondentia pervetustum, atque incorruptum germanense ejus authographum refert. Quibus autem animi oculis tantum Manuscriptum opus intueri potuit Dallæus, qui non *secundum quod*, sed *aliter quam* ab Aimonio positum fecit? Quæ horum posteriorum molitiones, quæve scripta fuere? Dallæus siluit: ac „ Manuscripta „ universim, non sigillatim, cujus videlicet singularis loci fuerint, collaudavit; & ita contra illum perantiquum inviolatum codicem germanensem argute disseruit; quem nos particulatim nuncupamus utpote secretum ab alio ejusdem operis exemplari, quod, cum in Floriacensi Cœnobio extaret, depravatum fuit, pluribus litteris, pluribus vocabulis, pluribusque nominibus ex ipso deletis, aliisque substitutis: quo factum est, ut in hoc posteriori scripto illud, *aliter quam*, poneretur; quas particulas in alio corrupto exemplari Baronius perspexit; quæ tamen in authographo, in quo nullius litteræ, nulliusque vocabuli excisio cernitur, non sunt, & aliunde auctoris contextui adversantur; quippe qui diserte indicet tertium octavæ synodi, cui *Anastasius* Bibliothecarius aderat, Canonem, quem ipsius Concilii Præsules *de adorandis*, colendisve *imaginibus* sacris statuerunt; qui Canon ejus constitutioni, quam *Orthodoxi Doctores antea*, in septima scilicet Synodo, *definierant*, proxime accessit. Qua de causa Aimonius, ejusve continuator non scripsit id, *aliter quam Orthodoxi Doctores antea definierant*: sed *secundum*, quod isti *definierant*, suo in scripto exaravit; quia *secundum* utramque Synodum, habito quodam respectu, Sacras imagines *adorandas* esse aut colendas propofuit; cujus particulari proposito quoniam illud, quod *Orthodoxi Doctores antea, definierant*, consonat: ideo *secundum* hoc ipsum, non *aliter* quam, quod illi stabilierant, Aimonius scripsit. Cum autem Bessarion supra productus, & res ipsa, quam sæpe hic Dallæus repetit, doceant, incorruptum alicujus auctoris textum ex verbis, ex propositis, exque enuntiationibus connexis evinci: cumque illud prius, non posterius, cum illo ipsius Auctoris contextu plane connectatur: sequitur, ut prius, non posterus, ipse in suo inviolate Codice primitus scripserit.

Ille Dallæus est, cujus injuria accidit, ut contra consuetudinem omnium speciatim non adduceret locum, e quo aliqua Œcumenii græci scriptoris, qui decimo seculo claruit, dicta

dicta expuncta fuisse commentus est Censor. Ugi igitur sunt? Hic siluit, ac tacet: ergo ipsi ille locus ignotus est, atque adeo Œcumenio adfictus, ut ea, quæ Dallæus refert, pene sint verba Theodoreti sæculo quinto scribentis; qui Commentario in Epistolam II. S. Pauli Apostoli ad Colossenses non religiosum, ac rectum, sed superstitiosum Angelorum cultum, quo quidem errantes Hebræi eosdem Angelos ut Christo præstantiores prosequebantur, illisque templa ædificabant, ita coarguit: (*a*) „ qui legem defendebant, eos etiam ad „ Angelos colendos inducebant, di„ centes, legem fuisse per eos da„ tam. Mansit autem perdiu hoc „ vitium in Phrygia, & Pisidia: „ proinde synodus, quæ convenit „ apud Laodiceam Phrygiæ, Lege pro„ hibuit, ne precarentur Angelos, „ & in hodiernum usque diem Ora„ toria S. Michaelis apud illos, il„ lorumque finitimos videre est. Il„ lique humilitate nimirum ducti „ hoc fieri suadebant, dicentes, uni„ versorum Deum nec cerni, nec „ attingi, nec comprehendi posse, „ & oportere per Angelos divinam „ sibi benevolentiam conciliare. „ (*b*) quod ipsum postea Theodoretus sic repetit: „hanc legem secuta Lao„ dicena synodus, ut veteri illi mor„ bo remedium afferret, decrevit, „ non esse supplicandum Angelis, „ neque relinquendum esse Domi„ num nostrum Jesum Christum.

Quocirca Œcumenius, cujus *Commentarios* a *Græcis* Hentenius (*c*) accepit, & edidit, illum superstitiosum Angelorum cultum Commentario in eandem S. Pauli Apostoli Epistolam ita exponit, ac pellit: (*d*) „ Erant „ nonnulli apud ipsos, qui in simu„ latione modesti animi perhibebant „ ipsos per Christum accedere, qua„ si tantis digni non essent, & quod „ Angeli obsecrandi essent, ut nos „ ad Deum adducerent, veluti qui „ etiam Primi communi accessu, si„ ve adductione facti sunt, majus „ esse dicentes, quam quod ad nos „ pertineat, per Christum adduci, „ ex hoc inducentes superstitiosum „ Angelorum cultum.

Quid ergo actum est? An illis Theodoreti litteris, sive scriptis Heschenius, an Dallæus hoc pepercit? verum hoc illos homines fugit, qui minus notum fore putarunt, quod de Theodoreti Codicibus, quam quod de Œcumenii Commentariis esset ablatum. At quomodo vel unus, vel alter recentior istud obtrusit? possum dicere planius, quam quod uterque silendo dixit. Certe enim textus, quem Dallæus supra attulit, ille ipse est, quem nos ex Parisiensibus vetustis, & incorruptis Theodoreti Codicibus græcis modo adduximus, in quo latine translato *defendendi* vox, ac sensus illi *patrocinandi* verbo, quo Dallæus usus est, omnino respondent, ac cætera verba connexa prorsus eadem sunt, atque illa a Dallæo prolata, uti ex ipsorum collatione apparet, & extat: quorum textus cum non Œcumenii, sed Theodoreti sit, idcirco in paucos illos ignotos Œcumenii Codices, quos sine singulari ipsorum adlegatione Hælchenius refert, intrusus fuit, evidenti illorum exemplarium depravatione, cui authen-

(a) *Theodor. Comment. in II. Epist. ad Coloss. cap. 18. pag. 355. Tom. III.*
(b) *Ibid. pag. 359.*

(c) *Hent. in præf. de Comment. Œcumenii.*
(d) *Œcum. Comment. in Epist. ad Coloss. cap. 8. pag. 133. Tom. II. Edit. Paris. an. 1631.*

thentica Œcumenii græci auctoris scripta, quæ Hentenius excudit, obnoxia haud fuere, utpote quæ a *Græcis* ei data sint, & fuso illo Theodoreti loco vacarint; quem proinde ab Œcumenio instructum fuisse, exque hujus commentariis Romanæ causæ & Catholicæ studio erasum, Dallæus salse sumit, & blaterat: quia non in inviolatis Œcumenii *Commentariis*, quos Græci habebant, sed in antiquioribus Theodoreti conscriptis Parisiensibus, quæ Sirmondus edidit, locus ille reperitur, græce, & latine descriptus, atque a nemine expunctus. Ac non religiosam Sanctorum Angelorum Christo inferiorum venerationem, sed superstitiosum eorumdem ut *Christo Majorum* cultum impium Laodicena synodus, Theodoretus, & Œcumenius ipse execrantur; quorum textus distinctos nullus Romanus, nullus Catholicus, nullus alius expunxit, ut integrum Laodicenæ synodi decretum, integra Theodoreti volumina, integra Œcumenii scripta, a depravatis Hoeschenii Codicibus secreta, & falsæ Dallæi criminationes, quibus is passim abutitur, noscerentur.

Tum demum Theodoreti testimonium in eosdem antiquissimos græcos Codices a Sirmondo latine versos, atque excusos relatum, ac proinde ipsi Theodoreto nec affictum, neque a nonnullis Græcis, & a Dallæo bene negatum, quo Purgatorii ignem ille significavit, omnibus notum est; qui scriptor si non iisdem verbis, quæ Nilus Græcus, & Bellarminus in aliquo illius exemplari legerunt, at consimilibus eundem ignem denotavit, dum in Commentario prioris Epistolæ S. Pauli Apostoli ad Corinthios v. 15. ista scripsit; *pro eo, quod est*, (a) cujus opus ab igne comburetur, ipse autem salvus erit, „ nempe Doctor. Neque enim causa „ eis fuit, ut ad deteriora se con- „ verterent; rectam enim illis do- „ ctrinam præbuit. Si quis autem „ nolit illud, tanquam per ignem, „ Operi adaptare, sed Doctori; ita „ intelligat, quod ipse quidem pro eis „ pœnas non luet, servabitur autem „ ipse quoque per ignem examina- „ tus.

Et quoniam plerique Patrum codices, ac textus integri sunt, & a nonnullis violatis distincti, antiquitate, ac re ipsa docente; idcirco Dallæi objecta, quæ jam diluimus, nihil firmitatis habent & argumenti.

DE ALIIS LIBRIS.

Satis Dallæo non fuit, plura Ecclesiastica Monumenta inviolata, ex quibus Ecclesiæ Apostolicæ sententia de Fidei dogmatibus constat, ac non immutata evincitur, haud commendare, sed quibusdam eorum locis non vitiatis errare: etiam contra ipsam Ecclesiam Apostolicam, quæ vel antiquorum Hæreticorum libros abolendos, vel aliorum opera erroris plena damnanda statuit, dicere ausus est, veterum adlegationibus prætermissis.

Horum autem unus Socrates, ante medium quintum sæculum clarus, in Historia Ecclesiastica de Arii Hæresiarchæ Libro ista narrat: (b) „ porro sciendum est, Arium de opinione

(a) *Theod. in Comment. Epist. Paul. pag.* 311. *& seqq. Tom. III. Paris. Edit. an.* 1642.

(b) *Socr. Hist. Eccl. lib.* 1. *cap.* 11. *pag.* 26.

Digitized by Google

„ nione sua librum quemdam com-
„ posuisse, quem Thaliam inscripsit:
„ est autem dicendi genus molle, ac
„ solutum, Sotadicis carminibus non
„ absimile, quem quidem librum
„ tunc temporis etiam synodus con-
„ demnavit.

Quare idem scriptor inibi refert Constantini Magni Epistolam, qui Imperator ad *Episcopos*, & *Plebes* de eodem Arii opere hæc scripsit: (*a*)
„ cum malos, & impios homines
„ imitatus sit Arius, eandem cum
„ illis pœnam infamiæ meretur su-
„ bire. Quemadmodum ergo Por-
„ phyrius veræ pietatis inimicus,
„ compositis adversus Christianam
„ religionem nefariis voluminibus,
„ dignam mercedem retulit, ut &
„ ipse infamis sit apud posteros,
„ multisque appetitus opprobriis; &
„ impii ejus libri penitus fuerint abo-
„ liti: ita nunc placuit, Arium, se-
„ ctatoresque ejus Porphyrianos vo-
„ cari; ut cujus imitati sunt mores,
„ ejus etiam vocabulo appellentur.
„ Præterea si quis forte liber ab Ario
„ conscriptus reperiatur, flammis
„ eum absumi præcipimus, ut non
„ solum prava illius doctrina fundi-
„ tus aboleatur, sed ne monumen-
„ tum quidem ejus ullum posterita-
„ ti relinquatur. Illud etiam denun-
„ tio, quod si quis Librum ab Ario
„ compositum occultasse deprehensus
„ sit, nec eum statim oblatum igne
„ combusserit, mortis pœnam su-
„ bibit.

Alios Scriptores antiquos, qui idipsum referunt, non appellabo; cum ea satis ostendant, in more, institutoque majorum positum fuisse, ut ii *Libri*, qui *pravam doctrinam* continerent, *damnarentur*, *abolerentur*, vel etiam *comburarentur*: quem morem quinta synodus servans, primitus Origenis Libros de principiis, in quibus is, quamvis antea mortuus, errores magnos inesse fassus erat, insigni nota, & ignominia condemnavit. Condemnavit deinceps Theodoreti, aliorumque scripta adversus S. Cyrilli Alexandrini Episcopi doctrinam composita, & Nestorii erroribus implicita; contra quem Hæresiarcham quia Theodoretus in Chalcedonensi Concilio anathema dixerat, idcirco in Ecclesiastica obiit communione: quod idem de Iba dicimus. Jam illo antiquissimo more eruditus Adrianus I. Pontifex summus non ussit, non secuit, non oppressit trium, vel quatuor priorum sæculorum libros; nam Tertulliani (*b*) Liber de pudicitia, in quo Sacra Christi Pastoris imago Calici impressa describitur, integer perseverat, & S. Epiphanii quarto sæculo scribentis quoddam opus, sive Epistola, in qua is non Christi, sed cujusdam incerti hominis imaginem in Ecclesia retinendam noluit, ab eodem Pontifice oppressa non est; quippe quæ ab Hieronymo, ut dicitur, latine versa in Occidente servata sit, quemadmodum Dallæus ipse fatetur; qui proinde mentitur, dum ait, ab illo Pontifice illorum veterum scripta exusta fuisse. Et quidem cum ea Apostolicæ Ecclesiæ doctrina, qua imbuti latini Catholici cum priores, tum posteriores ex Tertulliano, exque Gregorio II. Pontifice. Maximo non remissius, sed semper Sacras imagines coluerunt, conjuncta fuit Adriani sententia; cujus Legati

(a) *Socr. ibid. pag. 27.*

(b) *Tertull. lib. de pudic.*

Legati Latini in Synodo septima, aliique hujus Præsules græcum illius epistolæ textum extinctum iri noluerunt, quippe qui latinam ejus versionem ipsis Legatis notam, quæ asservabatur, delendam non censuerunt, nec reapse eam oblitterarunt: neque etiam suspectam Eusebii Cæsariensis epistolam ad Constantiam, cujus epistolæ plura verba superius retulimus, admerunt: utpote qui magnam ejusdem epistolæ partem, & dicta maximis erroribus implicata in Concilio recitari, oppugnari, inque hujusce actis exscribi edixerint. Quare si integram epistolam ipsam oblitteratam voluissent, istius quoque partem magnis erroribus involutam delevissent; quod cum haudquaquam effecerint, nec integram eandem epistolam deleverunt. Quibus de rebus, & argumentis patentibus Dallæus silet, ac fallit, & fallitur, dum blaterat, ea dubia veterum opera, in quibus aliquid sacrarum imaginum cultui, ex aliis Patribus ostenso, oppositum videri suspicatur, exusta fuisse ab Adriano I. & septimæ Synodi Patribus; qui quidem certe illa non oblitterarunt; sed tantum jusserunt, ne quis Iconomachorum libros hæresibus refertos apud se haberet, utque ii flammis mandarentur. Hinc Adrianus II. summus Antistes præcepit, ut non Photii Bibliotheca, sed ejus Synodi acta, quam ipse male coegerat, & alia, quæ ille, & alii contra Ecclesiæ Romanæ, & Catholicæ sensa errando conscripserant, ignibus traderentur; quod in Synodo octava Œcumenica universis Orthodoxis accepta perfectum est. Quibus in rebus uterque Pontifex, utraque Synodus, omnesque Orthodoxi, & Nicænam Synodum I. quæ Arii scripta damnavit, & Apostolicam Ecclesiam, quæ Porphirii, ipsiusque Arii volumina flammis injecit, sectati, laudibus efferuntur, quas obterere censor frustra conatur; simulque falso suspicatur, vel iisdem ignibus conflagrasse, vel Romæ abscondita „plurima monumenta, quæ „ usui esse potuissent (a) in illu„ stranda veterum sententia, seu su„ per imaginibus, de quibus in Sy„ nodo VII. actum erat, seu super „ auctoritate Pontificis Romani, de „ qua maxime certabatur in contro„ versia Photii. „ Quas Dallæi suspiciones depellunt ejusdem septimæ Synodi acta, in quibus, & productæ fuerunt sacrarum Scripturarum ac Patrum testificationes de sacrarum imaginum cultu; & dilutæ Iconomachorum oppositiones, qui ficta Apostolorum itinera, ficta S. Epiphanii enuntiata, fictam hujus epistolam ad Theodosium, & alia dubia afferebant; quæ omnia nos in superioribus locis tractavimus, atque repulimus, quæque omnia comperta, non oculta sunt universis. Deinde in Photii controversia de Concilii I. Constantinopolitani Œcumenici sensu, uti Anastasius Bibliothecarius supra adductus refert, agebatur: cujus Concilii extat epistola ad Damasum Romanum Pontificem missa; in qua ejusdem Synodi Patres hæc pertractarunt: (b) „ quoniam „ fraternam erga nos Charitatem de„ clarantes, ad Synodum, quam „ Dei nutu, ac voluntate Romæ Con-

(a) *Dall. ib. pag. 106.*

(b) *Syn. Const. 1. in Epist. Syn. ad S. Dam. apud Theod. Hist. Eccles. lib. v. cap. 4. pag. 181.*

„ Congregatis , nos quoque velut „ membra propria piissimi Imperatoris litteris evocastis ... De particulari autem administratione singularum Ecclesiarum, antiqua, ut „ probe nostis, obtinuit Sanctio, & „ Sanctorum Patrum , qui Nicææ „ Congregati sunt , regula : ut in „ singulis Provinciis Episcopi illius „ Provinciæ , & , si illis placuerit , „ una cum ipsis finitimi , prout „ utile judicaverint, ordinationes faciant. Ex quarum legum præscripto tum reliquas apud nos Ecclesias administrari scitote , tum nobilissimarum Ecclesiarum Episcopos esse renuntiatos . Unde etiam „ Constantinopolitanæ Ecclesiæ recens, ut ita dicam, fundatæ quam „ nuper ex Hæreticorum blasphemia , tanquam ex leonis faucibus, „ adjuvante Dei misericordia eripuimus, reverendissimum , ac religiosissimum Nectarium ordinavimus Episcopum . „ Atqui nemo nescit , de auctoritate Romani Pontificis, qua is Concilia generalia congregat, ac quasdam Synodos vel universales reprobat , atque etiam illicitas quorumdam e sæculari statu ad Episcopatum repente assumptorum ordinationes compescit, Photium disputasse : qui cum sæcularis esset , tamen Constantinopolitani Episcopatus honorem statim aggressus est , expulso S. Ignatio legitimo Constantinopolis Præsule, & Pseudo-Synodo coacta; quam Adrianus II. Pontifex suprema auctoritate , & rescidit ; & aliam octavam Œcumenicam Synodum congregavit , sicuti Damasus *evocavit* primum Constantinopolitanum generale Concilium ; cujus Præsules fassi sunt, se ut *membra* eidem Romano Episcopo subdi ; quod insigne antiquitatis monumentum nunc integrum extat , & ad illustrandam Romani Pontificis auctoritatem plurimum valet. Atenim , uti Anastasius in adlata Præfatione narrat , Græci ante, & post octavam Synodum prætexebant , *Alexandrinæ privilegia* sedis Constantinopolitano Antistiti collata fuisse ab eadem priori Synodo Constantinopolitana ; quæ tamen diserte significat, suo tempore *Nicæni* 1. Concilii *regulam de particulari Ecclesiarum administratione* , ac non adeo illorum privilegiorum collationem , *obtinuisse* . Hinc , referente eodem Anastasio , Græci post octavum Concilium *ostendebant numerosa regularum Capitula sextæ Synodo adsicta* , *& priscæ traditioni contraria* ; qua traditione *Anatolius* , qui medio sæculo quinto Constantinopolitanus Episcopus fuerat , docuit , in Romani Pontificis *potestate positum* fuisse, ut Concilii & Constantinopolitani & Chalcedonensis Canon, quo illa *privilegia* Constantinopolitano Præsuli *conferebantur* , *firmaretur*. Illa igitur opera ab Hæreticis ficta , ac *numerosa Capitula* a Græcis supposita ; atque hæc plura Concilii Constantinopolitani , Anatolii , & Synodi septimæ documenta , quibus Sacrarum imaginum cultus , ac Romani Episcopi potestas ostenditur, illis ignibus minime conflagrarunt ; quæ plurima monumenta combusta fuisse , Dallæus falso suppofuit , cui permirum hoc accidit, ut veritatem ipsam nequaquam perspiceret.

Quid autem attinet dicere, ac fingere , aliquot virorum sæculo nono viventium , & a Dallæo recensitorum libros exustos fuisse , si unum Scoti Erigenæ librum de Eucharistia temere tractantem Leo IX. damnavit, ac Nicolaus Pontifex laudatorum

rum vetustissimorum exempla secutus comburendum statuit? Etsi enim Scotus ille ab ignaris pius habitus est, tamen pietatis fictæ & erroris suspicione non caruit; cum adversus veterum Patrum doctrinam illum librum composuerit, cujus errores doctissimo Leoni Pontifici, & Synodo Vercellensi comperti fuere; quam Synodum testem cum Dallæus produxerit, ex hac, non ex illo Erigenæ libello, testimonia afferre potuit, ac debuit: qui unus libellus, non quilibet alius aut Rabani, aut Ereboldi, aut aliorum liber, exustus fuit; quoniam illum unum libellum igni injectum fuisse, testatur vetus Historiæ Franciæ fragmentum ab eodem Dallæo relatum; qui aliqua aliorum opera iisdem ignibus conflagrasse sibi finxit adversus illius fragmenti testimonium: quod cum illum libellum unum exustum dicat, profecto alia ab ipsis flammis exclusit, quæ opera proinde temporis solius injuriis deperdita sunt. Quare alia Erigenæ scripta, quædam Lanfranci, & Rabani haud improbati opuscula, ac Ratberti liber, supersunt; contra quem scribere Rathramnus quidem dicebatur, sed, ut vidimus, certo scripsisse non noscitur. Sed cur alia Erigenæ, ac cæterorum volumina illis facibus deleta non sunt? ut Censoris commenta, quibus eorum recensitorum opera exusta simulat, arceantur. Denique Leo X. alii Pontifices, ac Synodi Tridentinæ Patres, Hæreticorum libros damnandos, & abolendos recte judicarunt, Nicænam I. Synodum, aliosque orthodoxos secuti, ac sacras litteras, & Sanctorum Patrum opera venerati: qui etiam quemcumque librum, aut Scripturam imprimi prohibuerunt, nisi a Præsulibus, aut ab Inquisitoribus diligenter examinarentur, & erroribus, quos aliqui errantes in opera inducere solent, carere agnoscerentur: ob quam rem Concilii Lateranensis anno 1518. celebrati Patres eam exceptionem, quam *Antiquis* Melphitanus Episcopus dabat, rectam non habuerunt; quod ipsum Synodus Tridentina voluit, atque decrevit, purgantibus indicibus designatis; qui quidem recentiorum vel Poetarum opera correcta, ac sic quendam Petrarchæ locum purgatum voluerunt; sed tamen antiquorum Ethnicorum cum Poetarum, tum Oratorum, & Historicorum, tum etiam Philosophorum libros integros edi permiserunt. Ergo integra Patrum veterum scripta excudi statuerunt, eo magis, quod ista aut ethnicismum exagitent, aut Catholicam fidem edoceant. Pleraque igitur veterum istorum opera nullum detrimentum acceperunt, uti adversus Dallæi criminationes ex sinceris eorum editionibus liquet.

Vides autem, a Dallæo nihil inde inepta interrogatione concludi. Quæso enim: Nonne Sirmondus medio sæculo XVII. celebris Orthodoxus, cui Binius suppar erat, primum Concilii Francofordiensis Canones edidit ex vetusto codice Monasterii S. Remigii Remorum? id ante oculos Dallæi, qui Sirmondi Editiones adlegat, positum fuit. Ergo in secundo illius synodi Canone, quem Sirmondus ediderat, jam cernebatur falsa damnatio, qua non Concilii Nicæni II. definitionem de Sacrarum imaginum cultu; sed græca Constantii Cypriensis Episcopi verba perperam in latinum versa Francofordiensis synodi Præsules finistre oppugnarunt; quorum ut Patrum auctoritas etsi in aliis, non tamen in illo erranti Canone

valet, quem proinde non edidit Binius; non quo illam falsam damnationem, quæ a Sirmondo edita cunctis nota erat, fupprimeret, sed quod illi vetus hujus Codex defuerat.

Sed cur de ea versione prava Dallæus, qui hic etiam de adulterinis versionibus tractat, siluit? quo scilicet a Francofordiensi synodo Provinciali Nicæni II. Concilii Œcumenici definitionem de Sacrarum imaginum cultu damnatam esse confingeret. Atqui jam observatum est, secundo Concilii Francofordiensis Canone Nicœnæ II. Synodi sanctionem de Sacrarum imaginum veneratione non damnari; sed prædicti Episcopi sententiam in ejusdem Synodi VII. acta relatam; sive, ut clarius loquar, non sententiam ipsam, qualem Episcopus ipse græce pronuntiarat; sed pravam hujus latinam versionem ex inscitia profectam. Ea enim sententia in Carolini Libri, sive Elenchi Capitulo XVII. ita legitur; *infauste, & præcipitanter, sive insipienter, Constantinus Constantiæ Cypri Episcopus dixit*, „ suscipio, & amplector „ honorabiliter Sanctas, & venerandas imagines, & quæ secundum „ servitutem adorationis, quam substantiali, & vivificatrici Trinitati „ emitto.„

Hæc autem sententia in sinceris actis Synodi septimæ græce, & latine editis hoc alio modo ponitur: (a) „ Constantinus Episcopus Constantiæ Cypri dixit: Consentio, & „ concors efficior, suscipiens, & honorabiliter amplectens sanctas, & „ venerabiles imagines; atque adorationem κατὰ λατρείαν μόνη secundum latriam soli supersubstantiali, & vivificæ Trinitati impendo.

At Synodus Francofordiensis in illo Canone II. ait: (b) „ Allata „ est in medium quæstio de nova „ Græcorum Synodo, quam de adorandis imaginibus Constantinopoli fecerunt, in qua scriptum habebatur, ut qui imaginibus Sanctorum, ita ut Deificæ Trinitati „ servitium, aut adorationem non „ impenderent, anathema judicarentur. Qui supra Sanctissimi Patres „ omnimodis adorationem, & servitutem renuentes contempserunt, „ atque consentientes condemnaverunt.

Quis nunc minime adspicit, tum græci textus, quem Constantinus Episcopus produxerat, versionem adulterinam, tum fictionis aliquid in illo Caroli Magni opere, & in secundo Francofordiensis Synodi Canone inesse? Nam in utroque & græcorum verborum depravatio apparet, & omittitur gravissima particula μόνη, quæ absolutam *latriam soli* Sanctissimæ *Trinitati*, quæ unus Deus est, *impendendam* ostendit. Latina igitur illa versio adulterina est, atque ficta, e qua latinus interpres eam particulam, ac totam rei causam sustulit; qua videlicet Sacrarum *imaginum venerationem* ab absoluto *latriæ* cultu, qui *soli* Deo convenit, Constantinus distinguebat: quam distinctionem cum in illo violato hujusce Præsulis textu Francofordiensis Synodus non perspexisset; neque illam ejusdem sententiam ad verbum accepisset; ideo

facti

(a) *Constant. Episc. in Syn* VII. *Act.* III. *pag.* 835. *Tom.* VIII. *Conc. Lab.*

(b) *Syn. Franc. Can.* II. *pag.* 57. *Tom.* IX.

facti errore decepta, illam ipsam male *contempsit*, ne ullum quidem verbum faciens de Nicœnæ II. Synodi definitione, in qua certe Sanctarum imaginum veneratio a (*a*) *vera latria, quæ solam Divinam naturam decet*, aperte secernitur: verumtamen in eadem postrema Definitionis parte *Trinitatis* vox, quam Concilium Francofordiense adhibet, neutiquam reperitur; quæ vox tamen extat in illo Constantini Præsulis enuntiato. Non igitur, ut Dallæus comminiscitur, Francofordiensis Synodus Canone II. Nicænam definitionem de Sacrarum imaginum cultu damnavit; quippe quæ locuta non sit de iis, quæ Nicænum II. Concilium expresse (*b*) *definivit*. Nec tandem eo Canone Synodus Francofordiensis græcam, veram, ac legitimam laudati Constantini sententiam condemnavit; sed solam fictam, & versione latina adulteratam ejusdem propositionem, errando coarguit.

Et quoniam hæc causa satis est perorata; nihilque prætermissum est, quod aut pro Sirmondo, & Binio conquerendum fuit, aut pro inviolata Nicœnæ II. Synodi definitione disputandum: ideo mittam Carolinos libros errantes ob illam depravatam versionem; quos quidem libros non fictos Sirmondus probabiliter censuit, eosque propter illa errata damnandos, ac delendos Tridentini censores judicarunt: sed tamen ipsos nemo abolevit, cum nunc integri extent. Mittam Synodi Parisiensis, quæ Ludovico Pio regnante coacta fertur, libellum non extinctum, sed a Sirmondo editum; qui scriptor recens eundem libellum non commentitium verisimiliter arbitratus est; verumtamen ipsum & prohibitum, & probabiliter fictum voluerunt censores Hispanici; quia in ipso & nulla convocatæ Synodi, aut convocationis mentio fit; & nemo illius ipsius decretis, quæ feruntur, subscripsit. Mittam deinde vel Synodi Remensis recentioris acta Romæ edita, ac non adeo deleta: vel alia supposititia opera ab orthodoxis criticis repudiata, & a Dallæo hic perperam objecta, cum non de fictitiis scriptis, sed de nonnullis depravatis libris agamus: vel Latini Latinii opinionem, qui quidem aliqua opuscula S. Joanni Chrysostomo adficta, & quasdam latinas ejus operum versiones minus exactas rejecisse videtur: sed violata non sunt ea græca scripta legitima, in quibus S. Doctor diserte affirmavit, secretam peccatorum confessionem necessario faciendam esse Sacerdoti, cui in Ordinis Sacramento eorum remittendorum potestas datur. At vero falleretur Latinus Latinius, si pertenderet, corrupta esse aliqua S. Joannis Chrysostomi loca, quæ ab adversariis immerito opponuntur; quæ quidem inviolata græce sunt, ac genuina: verum in iis S. Doctor aut de baptizandis, qui ante baptismum culparum confessione non indigent, locutus est; aut post notum Nectarii factum non secretam, sed publicam peccatorum Confessionem exclusit. Mittam denique non Bellarmini, sed Dallæi strophiam, qua is posterior

(a) Syn. VII. Act. VII. pag. 1207. Tom. VIII. Conc. Lab.

(b) Conc. Nic. II. Act. VII. ibid.

rior sæpe excedens extra quæstionem, objicit, & supposititiam Ignatii ad Philippenses Epistolam, & Canonem LXV. Apostolicum falso vocatum; in quibus Sabbathi jejunium errore repellitur. Certe illius epistolæ suppositionem evincit Eusebii, & S. Hieronymi silentium, qui septem S. Ignatii Antiocheni Episcopi, & Martyris epistolas, non illam ad Philippenses, commemorant, quæ proinde sequiorum temporum fœtus est: atque etiam mendis, ob quæ Sabbathi dies pro Dominico ipsi adjunctus videtur, scatet: ergo ut S. Ignatio supposita, atque corrupta, nihil, quod Sabbathi jejunio adversetur, evincit: cui jejunio errans ille Canon opponitur; sed tamen adulterinus est, & a recentioribus quibusdam Græcis Græco Codici additus; cum ex Anastasio Bibliothecario supra adducto quinquaginta tantum Canones Apostolici in Ecclesiæ Romanæ Codicem relati essent. Canon igitur LXVI. nothus, adulteratus, aliisque codicibus assutus, a veritate, quam Binius perspexit, abhorret.

Aggrediar tamen ad quippiam dicendum de Honorio, pro quo ex veterum scriptis testimonium accipiam.

Imprimis S. Agatho, qui eidem Honorio, aliisque Romanis Pontificibus successerat, ac sextam Synodum universalem indixerat, Constantino Pogonato Imperatori hæc scripsit: (a) „Consideret itaque ve„stra tranquilla Clementia, quo„niam Dominus, & Salvator om„nium, cujus fides est, qui fi„dem Petri non defecturam promi„sit, confirmare eum Fratres suos „admonuit, quod Apostolicos Pon„tifices, meæ exiguitatis Prædeces„sores, confidenter fecisse semper, „cunctis est cognitum ... Unde & „Apostolicæ memoriæ, meæ par„vitatis Prædecessores, Dominicis „doctrinis instructi, ex quo novi„tatem Hæreticam in Christi im„maculatam Ecclesiam Constanti„nopolitanæ Ecclesiæ Præsules in„troducere conabantur, nunquam ne„glexerunt eos hortari, atque obse„crando commonere, ut a pravi „dogmatis hæretico errore saltem „tacendo desisterent, ne ex hoc „exordium dissidii in unitate Eccle„siæ facerent, unam voluntatem, „unamque operationem duarum na„turarum asserentes in uno Domino „nostro Jesu Christo.

Has porro Agathonis litteras Synodus sexta accepit, & commendavit; ei dicens: (b) „Tibi ut pri„mæ sedis Antistiti universalis Ec„clesiæ quid agendum sit relinqui„mus, stanti super firmam fidei „Petram. Libenter perlectis veræ „Confessionis litteris a vestra pater„na beatitudine ad piissimum Im„peratorem missis: quas ut a sum„mo Apostolorum Vertice divine „perscriptas agnoscimus.

Demum Anastasius Bibliothecarius de notissima, ac dubia Honorii epistola, deque Synodo sexta ita disseruit: (c) „Quis autem est, qui no„bis interim dicat, utrum ipse pro „certo dictaverit epistolam, de qua „illum anathematizandi fomitem „calumniatores susceperunt? .... „Quis hinc illum interrogavit? ...

Sed

(a) S. Agath. in epist. ad Imper.
(b) Syn. VI. in epist. ad Agath.

(c) Anast. Biblioth. in collect. apud Sirm. Tom. I. pag. 191. & sequ.

Digitized by Google

„ Sed ne videamur tam sanctam , „ tamque venerabilem Synodum accusare , vel temere reprehendere ; „ licere nobis opinamur de illa sentire , quæ Sanctos Patres nostros de „ Chalchedonensi magna Synodo sensisse non ignoramus , quorum unus , „ sanctus videlicet Papa Gregorius , „ usque ad prolationem tantummodo Canonum hanc suscipiendam „ fore signavit . Beatus quoque æque „ Papa Gelasius in tomo de anathematis vinculo , qualiter eadem Synodus recipienda sit , luculentis „ exemplis , & nonnullis divinis testimoniis innuit . Et hanc quoque „ sanctam Synodum Canonica quædam Capitula promulgasse , Græcorum scripta testantur , quæ tamen pene omnia , quia Sedes Apostolica non adprobavit , tota Latinitas reprobavit . Sed quid de „ hac sola dicimus , cum & secundam universalem Synodum , quæ „ primo Constantinopoli celebrata „ est , in causa primatus Ecclesiarum , Sedes Apostolica non admittat : quin & omnes Synodos sic „ recipiendas decernat , ut Chalcedonensem Synodum admittendam „ fore , prædictus Sanctus Gelasius „ Papa describat , pro Fidei scilicet „ communione , & veritate Catholica , & Apostolica , pro qua hanc „ fieri Sedes Apostolica delegavit , „ factamque firmavit . Verum , si omnia exaggerare volumus , quæ in „ Honorii Papæ excusationem colligere possumus , facilius charta nobis , quam sermo deficiet ... ab interpretandi studio procul abscedimus , ostendere gestientes , quod in „ Apostolicæ Sedis Petra , quantum „ ad fidem pertinet , nec etiam per „ Honorium inventum sit unquam „ serpentis , id est , virulentæ sectæ „ vestigium . Sume igitur jam memoratam Joannis Papæ pro Honorio Apologiam . Sume etiam & „ pro eodem ipso Apologiam ex „ Epistola Maximi Monachi , & revera Philosophi , Christique Dei nostri martyris , missa Marino præsbytero , diffloratam . Ipse quippe „ beatissimus Maximus non solum „ in jam dicta , sed & in ea , quam „ scripsit ad Abbatem Thalassium , „ Epistola jam nominatum defendit „ Honorium : verum etiam in Epistola sua dogmatica , quam ad Petrum scripsit illustrem , magnum „ hunc & divinum appellat .

Hinc prætereo , quod in ea Epistola , quæ Honorii dicitur , *duæ Christi naturæ Operatrices* , atque adeo duæ voluntates , duæque operationes , Divina nempe & humana , asserantur : ex quo sequitur , ut *unam* solius Humanitatis Christi dixerit *voluntatem* , quatenus in eo corporis appetitus non repugnaret animæ , quemadmodum in nobis caro Spiritui adversatur . Jam vero ipsa Epistola est dubia proles Honorii ; quippe qui eandem certo non *dictaverit* , teste Anastasio . Et quamvis illam Joannes Abbas , antequam Pontifex esset , conscripserit ; eique Honorii nomen apposuerit , nihilominus ipsum Honorium non *interrogavit* , eo Anastasio significante , ob quas res nulla definitio in eadem Epistola apparet : quæ proinde scripta non est auctoritate Apostolica . Tum autem Leo II. Pontifex Summus in Epistola ad Episcopos Hispaniæ Honorium ut privatum hominem a Sexta Synodo damnatum propterea dixit , quia *flammam Hæretici dogmatis non , ut decuit , Apostolica auctoritate incipientem extinxit* . Non igitur unam , & alteram Epistolam , quæ circumferun-

tur, *dictavit*, aut scripsit, aut aliquid definivit, aut a fide defecit Honorius, qui veluti privatus solum in eo accusatur, *incipientem* Monothelitarum hæresis *flammam non extinxerit*. Ergo ab omni veri specie, & a veritate ipsa abhorret, quod nos desperatam exceptionem demus, quodque nos frangat magna vis monumentorum, quæ summo consensu Honorium damnent Hæreseos. At hujus inanis, falsique argumenti vim repellunt vetera monumenta a nobis adlata: quorum prius exhibet S. Agathonis epistolam, ubi summus hic Pontifex non modo hæresis non damnat Honorium, verum etiam testatur, quod iste, *ex quo novitatem hæreticam quidam Constantinopolitani Præsules introducere conabantur, nunquam neglexit, eos commonere, ne unam voluntatem, unamque operationem duarum naturarum in uno Jesu Christo assererent*. Quid disertius, quid enucleatius, quid clarius contra Dallæum, aliosque Novatores dici potuit? Nam Honorii tempore illi *Constantinopolitani Præsules eam novitatem hæreticam introducere conati* sunt. Ergo Honorius fuit is, qui *eos* Præsules de illo *hæretico errore* aufugiendo *commonuit*. Tantum igitur abest, ut Agatho Honorium illius Hæresis damnet, ut potius ipsum aperte commendet, quod ad evitandam eandem *novitatem hæreticam* ipsos Antistites hortatus fuerit. Quod Agathonis testimonium *Divine*, ac sic vere *perscriptum* sexta Synodus *agnovit*, & proinde Honorium hæretici erroris, a quo eum abfuisse noverat, haudquaquam damnavit. Quare Anastasius Bibliothecarius sexto Concilio suppar ait, *quod in Apostolicæ sedis Petra*, quantum ad *fidem pertinet*, *nec per Honorium inventum sit unquam virulentæ sectæ* Monothelitæ *vestigium*. Ergo in *Honorio* uti *Apostolicæ sedis Petra* illud erroris *vestigium nunquam inventum est*. Falsum igitur turbida oculorum, & ingenii acie vidit Dallæus, dum summo veterum monumentorum consensu Honorium hæresis damnatum temere affirmavit; cum antiquissima illa monumenta summo consensu doceant contrarium.

Jam vero de sextæ Synodi actis Theodori olim Constantinopolitani Præsulis, & Monothelitæ nomen ablatum videtur, proque eo Honorius positus: quoniam ex Agathonis litteris illis particulam *filioque* avulsam fuisse, Julianus Cardinalis in Synodo Florentina questus fuit. Simile igitur exemplum facinoris in supponendo Honorii nomine apparere potuit. Hæc ergo depravationis exceptio, quam Bellarminus, & Baronius dant, non desperata, sed verisimilis est. Verisimilius autem censeo, Synodi sextæ acta adulterata non esse; quippe quæ ob Honorium *accusare* laudatus Anastasius noluerit. Sexta tamen Synodus dubias habuit Honorii epistolas, dubiumque ejus anathema fuit Anastasio. Hæ duæ res eo liquent; quia Concilium ipsum *agnovit*, ab Honorio Monothelitas *commonitos* fuisse, ut *errorem* illum *non assererent*: proinde Synodus ipsa certum non esse innuit, quod Honorius epistolam, in qua *una voluntas* Christi legebatur, conscripserit; *de qua* epistola *anathematizandi fomitem calumniatores susceperunt*; qua ex re sequitur, ut in epistola incerta *calumniatores* fundarint *anathema*; quod proinde dubium fuit, quod Leo II. memorata epistola tantum permisit, non quod Honorius errorem, cujus fugam monebat,

Digitized by Google

nebat, adſtruxerit, ſed quod ad illum *exsinguendum* non attulerit *Apoſtolicam auctoritatem*: qua non adhibita, ipſe Honorius certe ut privatus homo egit; in quem ſubinde ut privatum anathema directum eſt, atque permiſſum: quo ſenſu Beda, ſeptimum Concilium, aliique ſcriptores accipiendi ſunt, judicatis integris eorum conſcriptis.

Reliqua, quæ Dallæus, & Rivetus objiciunt, rejiciuntur.

Rurſum Dallæus, interrupto ordine, in diſceptationis aciem deducit S. Ignatii Epiſcopi Antiocheni, & Martyris epiſtolam ad Philadelphenos: quam quidem, & alias ſex ejuſdem Martyris epiſtolas genuinas eſſe antea probavimus: ſed aliqua ipſius epiſtolæ ad Philadelphenos Manuſcripta incorrupta ſcimus: alia autem, in quibus commentitium S. Pauli Apoſtoli conjugium legitur, depravata eſſe primitus ex Euſebio (*a*) oſtendimus: qui in Hiſtoria Eccleſiaſtica de illo conjugio, deque ea Ignatii epiſtola, & reliquis agit: & tamen pro eodem conjugio unum adlegat Clementis Alexandrini dictum quod is non a majoribus acceperat, ſed de ſuo ſuderat, falſo dicens, quod (*b*) *Paulus quoque in quadam epiſtola ſuam ipſius conjugem compellare non veretur*: quam conjugem certe S. Paulus Apoſtolus in ſuis Sacris litteris non compellavit, ſed potius eis ſe virginem fuiſse innuit; quam virginitatem ipſi Apoſtolo alii plerique Patres adſcribunt. At ſi in Ignatii epiſtola ad Philadelphenos aliqua dicta de illo Pauli conjugio extitiſsent, certe Euſebius, ſicut illa Clementis Alexandrini verba adduxit, ita iſta Ignatii protuliſset in medium: præſertim cum Ignatii Apoſtolorum diſcipuli eruditio majorem vim, quam illius Clementis falſa interpretatio, obtineret. Cum ergo Euſebius tum prius de illo conjugio, tum paulo poſt de Ignatii (*c*) *litteris ad Philadelphienſes* datis agens, nullum Ignatii teſtimonium in illius rei judicium produxerit, argumento eſt, Pauli conjugium in illius epiſtolæ authographo deſideratum fuiſſe: quod conjugium cum in uno antiquo Oxonienſi ejuſdem epiſtolæ ſcripto, & in altero Matthiæ Regis Ungarici Codice minime appareat: hinc iſti Codices ſinceri ſunt, utpote græcis Euſebii autographis reſpondentes. Proinde Dallæus falſo aſſerit, ne unum quidem Codicem ſincerum reperiri, in quo Pauli nomen non ſit. Extant enim illa integra ſcripta Pauli nomen, atque conjugium non referentia, quæ diſtinguuntur ab alio Codice violato, in quo quidem Pauli conjugium legitur, ſed tamen in ipſum plura menda irrepſerunt; cum ex eo plures litteræ, pluresque voces eraſæ ſint, (*d*) Pearſonio teſte. Hic igitur Codex, a Novatoribus corruptus, ſecernitur ab aliis integris relatis codicibus; qui abrumpunt Dallæi querelas, quas iſte, ut fictum Pauli Apoſtoli conjugium tueretur, adverſus Baronium ſiniſtre peperit.

Si

(a) *Euſeb. lib. 3. Hiſtor. Eccleſ. cap. xxx. pag.* 109.

(b) *Clem. Alex. apud Euſeb. ib.*

(d) *Euſeb. lib. 3. Hiſtor. Eccleſ. cap.* 36. *pag.* 115.

(d) *Pearſ. Tom. 11. Patr. Apoſtol. edit. Cotel. pag.* 750.

Si autem antiquam operum S. Epiphanii latinam versionem depravatam Baronius cupiit, id temere haud censuit; cum in ea multæ interpretationes latinæ minus exactæ videantur. Sin græcum Epiphanii locum, ubi is de Origenis lapsu agit, vitiatum voluit idem Baronius, hoc falso putavit; quia græca S. Epiphanii scripta, uti probavimus, integra sunt. Sed S. Irenæi textus de Christi ætate numeris expræssus est; quorum varietas, quæ in codicibus inviolatis etiam reperitur, omnibus comperta est, haud obstante Petavii observatione.

Nunc, quoniam de his Sanctis locuti sumus, liceat malæ Dallæi argutationi, qua Patrum libros corruptos esse ex eodem Irenæo, & Epiphanio hariolatur, notam apponere.

Itaque reperi S. Epiphanii locum, ubi Christum pro salute nostra vere plorasse sic ostendit: (*a*) „ Sed & „ *ploravit*, ut in Evangelii Lucæ „ exemplaribus ἀδιορθώτοις non cor- „ rectis legitur; eoque testimonio „ S. Irenæus libro contra hæreses „ ad eos refellendos utitur, qui „ Christum specie tenus apparuisse „ dicebant. At Catholici timore quo- „ dam inducti vocem illam sustule- „ runt, neque finem illius, &, quod „ validissimum est, satis intellexe- „ runt: (*b*) *Et in anxietate constitu-* „ *tus sudavit: & sudor ejus similis* „ *fuit guttarum sanguinis, & appa-* „ *ruit Angelus corroborans ipsum*.

Si nihil aliud quærimus, nisi ut antiquos plerosque Patrum libros incorruptos esse monstremus, Satis est dictum contra Dallæum ajentem, quod ex illo facinore evidentissime colligatur, nullam veteribus Catholicis religionem futuram fuisse, si vocem quandam, quam suæ sententiæ contrariam, aut Hæreticorum corruptelis obnoxiam censebant, ex humanis Patrum scriptis expungerent, quæ minori religione, quam Divinum S. Lucæ Evangelium, a quo vocem illam abstulerunt, prosequebantur. Quod argumentum evidentissime falsissimum est. Nam illi quidam ignari Catholici, non religione, sed vano *timore* inducti, ex uno quidem recenti S. Lucæ exemplari, non ex aliis antiquis incorruptis ejusdem exemplaribus *plorandi* vocem sustulerunt: verumtamen eandem vocem ex *S. Irenæi libris* minime expunxerunt: quos libros proinde illi imperiti homines ignorarunt, ac sic illos nec majori, nec minori religione habuerunt, utpote operum illorum ignari: qui etiam nulla Patrum scripta violarunt, & quia ea ignorabant: & eo magis, quod Irenæi libros, in quibus integrum illud S. Lucæ testimonium, & Irenæi sententia illorum ignorantium *timori* contraria leguntur, minime adulterarunt. Non igitur evidentissimum, sed falsissimum est Dallæi argumentum, qui debuit aculeatum, & tortuosum disputandi genus relinquere, omnique mentis acie S. Epiphanii narrationem contemplari; qui *non correcta*, ac non adeo corrupta S. Lucæ exemplaria ab aliis inscite correctis, ac depravatis secernit, nullosque S. Irenæi, aliorumque Patrum libros ab illis

(a) *S. Epiph. in Ancor. num. xxxi. pag. 36. Tom. 2.*

(b) *Luc. xxii. v. 43.*

lis impetitis violatos esse significat.

Verum Rivetus (*a*) hæreticus S. Cyrilli Hierosolymitani Episcopi, qui circa medium sæculum quartum emicuit, Catecheses vel suppositas, vel depravatas falsissime putat. Etenim suppositionem exagitavit S. Hieronymus eidem Cyrillo coævus; de cujus Cathechesibus hæc apertissima scripsit: (*b*) *extant ejus* κατηχήσεις: quas Cyrilli *Catecheses* proinde certas, ac legitimas esse Rivetus inepte ac falso inficiatur contra luculentissimum S. Hieronymi testimonium; qui etiam earum catecheseon depravationem ab ipso Riveto temere excogitatam refellit, dum, uti prius vidimus, dixit, quod suo tempore *solus Origenes* inventus est, cujus non omnia, sed aliqua volumina depravari potuerint. Atqui *solius* particula aliorum Patrum opera, quarto, aut etiam quinto sæculo extantia ab omni depravatione excludit. Ab ista ergo Hieronymus exclusit illa S. Cyrilli Hierosolymitani Præsulis scripta, quæ iisdem Hieronymi temporibus integre *extabant*. Nec vero Rivetus aut ullos priscos ipsius Cyrilli codices græcos corruptos, aut ullos corruptionis testes producit: sed tantum aliquas ejusdem locutiones, & narrationes temere carpit: quæ cum nonnullis Sacrarum (*c*) litterarum, aliorumque antiquorum Patrum, atque scriptorum verbis similes sint, certe nullam Cyrilli codicum depravationem ostendunt; nisi Sacras Scripturas, & omnia veterum scripta violata fuisse, Rivetus impie dicat & falso. At Rivetus ipse opponit, Josiam Simplerum narrare, legi in indice librorum, quos Augustana Resp. ab Antonio Eparcho Corcyreo emptos possidet, *Joannis Hierosolymitani Catecheses illuminatorum* 18. quo in titulo quis suppositionem non videt? tale ne commentum emi potuit & objici? Nam fictio est non in vetustis sinceris codicibus, sed in illo confuso librorum indice, quem Antonius Eparchus care vendidit, eum titulum fingens contra gravissimum S. Hieronymi testimonium, quo hic illas incorruptas (*d*) *Catecheses* non Joannis, sed *Cyrilli Jerosolymæ Episcopi* proles esse aperte prædocuit. Quare easdem Catecheses S. Cyrilli Hierosolymitani Episcopi nomen recte præferentes ex integris antiquis codicibus græcis Critici Benedictini ordinis Patres nuper ediderunt.

Cum autem in iisdem Catechesibus S. Cyrillus aliquas Missæ preces, ac ritus exhibuerit: cum etiam S. Joannes Chrysostomus antea commendatus in suis scriptis inviolatis illos ritus descripserit: cum tandem S. Isidorus Hispalensis supra laudatus Missæ orationes, ac ritus commendarit; tametsi S. Leo M. ac S. Gregorius M. quædam illis adjungi jusserunt: hinc allatæ Liturgiarum defensioni addo, quod hujusmodi additamenta nihil primorum sæculorum fidei repugnans contineant. Ac latina Liturgia ab eodem Gregorio, (*e*) & ab ipso Isidoro indicata in *Missalibus* describitur: in quibus quidem Liturgiæ antiquæ substan-

(a) *Riv. lib. 3. Crit. 1. cap. 8. & sequ.*

(b) *S. Hier. in lib. de vir. illust. cap.* CXII *pag. 927. Tom. 2.*

(c) *Vide eas locutiones Cyrilli defensas a Natali Alexand. Histor. Eccles. sæc.* IV. *cap* VI. *artic.* XII.

(d) *S. Hier. ibid. pag. 927.*

(e) *Vide librum Sacrament. S. Gregorii Tom. 3.*

tia, quædam veteris Teſtamenti ſcripturæ, & aliqui ſacrorum Evangeliorum textus, integre repræſentantur: ſed nonnullæ recentes orationes Eccleſia mutavit pro vario Antiſtitum pietatis affectu: qua pietate præditi Romani Pontifices in *Breviariis* non Divinas litteras, non legitimos Patrum textus, non Sanctorum geſta a veteribus narrata; ſed alia quædam ad Hiſtoriam pertinentia correxerunt, veritate perſpecta.

Sed & nonnulla dicenda ſunt de S.Athanaſii Alexandrini Epiſcopi ſymbolo; quod *Confeſſionis fidei* nomine S. Gregorius Nazianzenus(*a*) illi coævus indicare videtur; dum eam & in ipſius laudibus ponit, & probabile Athanaſii opus eſſe illud ſymbolum eo indigitat, quia is Joviniano Imperatori *donum vere regium, & magnum obtulit*, *ſcriptam nimirum fidei confeſſionem:* quæ proinde *magna fidei* myſteria, quæ illo ſymbolo explicantur, continebat, cum *magnum* illud *donum ad fidei confeſſionem* referatur: quam fuiſſe quandam ſynodicam epiſtolam quidam immerito putant; quoniam Nazianzenus, qui alibi quaſdam ſynodicas litteras recenſet, hic illam non ſynodicam epiſtolam, ſed *fidei confeſſionem* vocavit. Unde Sanctus Auguſtinus quamvis ſymbolum idem expreſſe haud laudaverit; tamen aliqua ejus loco & in libro de Trinitate ſic attulit: (*b*) *Omnipotens Pater*, *omnipotens Filius*, *omnipotens Spiritus Sanctus*, *nec tamen tres omnipotentes*, *ſed unus omnipotens:* & enarratione in Pſalmum 120. explicans illa ejuſdem Pſalmi, *per diem ſol non uret te*, & iſta S. Matthæi, *qui facit ſolem ſuum oriri ſuper bonos, & malos:* ita ratiocinatus eſt: (*c*) *ergo alium ſolem fecit Deus*, *qui oritur ſuper bonos*, *& malos; iſtumque vident & boni*, *& mali: alius eſt autem ille ſol*, *non factus*, *ſed genitus*, *per quem facta ſunt omnia*. Hunc tamen textum mutatum Bellarminus ex antiquioribus editionibus Pariſienſibus ita adducit: (*d*) *de hoc ſole Pater Athanaſius Alexandrinus Epiſcopus ita pulchre locutus eſt;* „ Filius, inquit, „ Dei a Patre ſolo eſt, non factus, „ nec creatus, ſed genitus. „ Hæc autem verba ſic concepta cum neque ullus antiquus ſcriptor, neque ullus vetus Auguſtini Codex proferat; hinc Auguſtini textui ea aſſuta fuiſſe, Petavius (*e*) recte probavit: ac proinde ex iſtis poſterioribus dictis quadamtenus (*f*) adulterinis ſymbolum illud S. Athanaſii eſſe ſcriptum certo evinci non poteſt. Ut autem Auguſtinus iis verbis, *non factus*, *ſed genitus*, *per quem facta ſunt omnia*, quæ in omnibus ejus Manuſcriptis reperiuntur, ſymbolum Nicænum, in quo illa enuntiata de Filio Dei ſunt, veriſimiliter indicat: ſic iſtis, *omnipotens Pater*, &c. dictum Athanaſii ſymbolum, in quo hæc extant, probabiliter innuit: quæ indicia cum non indubia, ſed veriſimilia ſint; ideo ſymbolum idem S. Athanaſii eſſe opus non certum, ſed probabile adſigni-

(a) *S. Greg. Nanz. Orat. 21. de laud. S. Athan.*

(b) S. *Aug. lib. v. de Trin. cap.* 8. *n.* 9. *pag.* 838. Tom. 8.

(c) S. *Aug. enar. in Pſalm.* 120. *num.* 12. *pag.* 138. Tom. IV.

(d) *Bellarm. in lib. de Script. Eccl.*

(e) *Petav. lib. 7. de Trinit. cap. 8. n. 7.*

(f) Obſervo a Dallæo ibidem pag. 91. Bellarminum nimis aſpere accuſari, quod illa verba adulterata adlegarit; qui tamen cum eadem ex antiquiori editione Pariſienſi protulerit, nimium acerbe arguendus non erat.

significant: quod ipsum Florentina Synodus, a qua illud laudatur, denotavit, ac voluit.

Tum autem eo loci Dallæus S. Hieronymi Martyrologio multa gesta, quæ post ejus ætatem evenerunt, assuta esse nequicquam opponit; quia censor ipse non vidit, iisdem istis, quæ additamenta dicuntur, probari, Martyrologium illud S. Hieronymo suppositum esse: cujus etiam ipse S. Doctor non meminit, dum opera sua, (*a*) quæ integra supersunt, numeravit. Si autem illud S. Doctor edidisset, certe recensuisset. Unde Cassiodorus sexto sæculo clarus librum, qui (*b*) *vitas Patrum*, *confessiones fidelium*, *passiones Martyrum* enarrabat, innuit distinctum ab *epistola S. Hieronymi* ad Chromatium, & *Heliodorum*, *quæ inter alia eas passiones* Martyrum indicabat. Ob quæ quidem id, quod Dallæus additum dicit, illi incerti auctoris Martyrologio adjunctum non est; sed tamen probat, hoc Hieronymo adfictum esse, cum plura, quæ post Hieronymum evenerant, narret. Quare ipsum Martyrologium Eusebianum, & ab *Hieronymo latine versum* ex falsa vulgi opinione protulit Beda: cujus tamen alteri Martyrologio genuino (*c*) aliqua adjecta fuisse itidem Dallæus perperam objicit; quia Henschenius isti quidem inseruit *Flori* actuarium; quod tamen minori edidit charactere, ne cum *Bedæ* textu confunderetur; qui textus proinde omnino integer est, & a *Flori* actuario secretus.

Tum Dallæus immerito criminatur S. Thomæ Aquinatis judicium, quo is S. Cyrilli Alexandrini Thesauros, & Concilii Chalcedonensis acta ad declarandum R. Pontificis Primatum attulerit: quoniam thesaurorum libri sunt Cyrilli fœtus; & sincera Chalcedonensis Synodi acta, ac S. Leonis Magni Epistolæ, quæ in superioribus laudatæ sunt, Rom. Pontificis Primatum commonstrant.

Denique ex his quatuor Dissertationibus liquet, pleraque omnia Patrum aut fragmenta, aut integra scripta esse inviolata, nihil obstantibus quorumdam opinationibus, & Dallæi commentis. Cum enim Eusebius & sincera quædam fragmenta aut certorum, aut incertorum Orthodoxorum veterum, quorum antiquitas ex ipso constat, & plura integra Patrum scripta, quæ hodieque supersunt, in Historia Ecclesiastica numerarit: Cum etiam Sanctus Hieronymus, S. Augustinus, Theodoretus, sextum generale Concilium, Anastasius Bibliothecarius, ac Bessarion, a quibus Romana, atque Catholica fides docetur, multa veterum monumenta inviolata a paucis corruptis distinxerint: cumque allatis horum testimoniis, & Phocii quoque codicibus pleraque Patrum scripta nunc edita correspondeant: tum Dallæus petulantiæ addictus contendit, hæc a solis Latinis habita, ad rem suam efficta fuisse & mutata; quod falsissimum est, quia Græci antiqui, & nuperi adducti, ac Latini plurimos Græcorum, & Latinorum Patrum Codices servarunt, eosque sinceros, incorruptos, ac legitimos retulerunt.

(*a*) *S. Hier. in lib. vir. ill. cap. ult. Tom.* 11.
(*b*) *Cassiod. lib. de Div. lection. cap.* 12.
(*c*) Martyrologium Bedæ.

EXPLICITA EST ECCLESIASTICORUM OPERUM CRITICE.

Pag.	col.	lin.	ERRATA	CORRIGE
6.	2.	36.	ævá	illa æva
35.	2.	37.	hac quamvis ,	hæc quamvis .
46.	1.	1.	attenuerat	attenuarat .
54.	1.	1.	auditiores	eruditiores
56.	2.	35.	aliquis criticis	aliquis criticus
57.	1.	4.	ad Cefites .	ad Cælites .
61.	2.	43.	158.	858.
63.	1.	16.	tætus	fœtus
66	2.	10.	parion	parum
70.	2.	30.	S. Martæ	S. Mariæ
71.	2.	1.	Petronio	Perronio
73.	2.	13.	*Quarum Titulis*	*Quorum titulis*
83.	2.	6.	à ſuppoſitionem	& ſuppoſitionem ,
87.	1.	27.	horum ætatum	horum ætatem ,
94.	1.	16.	Petronio	Perronio .
103.	1.	ult.	narrat à Manetho	narrat Manetho
133.	2.	13.	mpedirent	impedirent
133.	2.	21.	Siccinii	Lucinii .
134.	1.	23.	commendatione	qua commendatione
150.	1.	20.	decert	decet
151.	1.	34.	arti	arte
151.	2.	31.	artiſque	actis , quæ
152.	1.	40.	cæteris . quæ	cæteris , quæ
157.	2.	28.	ordinarius	Ordinarium
157.	2.	32.	tum neque	cum neque
157.	2.	45.	pullaret	pulſaret .
164.	1.	17.	illo 28. canones	illo 28. canone
165.	2.	2.	antiquitatis monumenti	antiquitatis monumentis
169.	1.	1.	Baſilius	Baſilii
175.	2.	8.	illa *ſententiam*	illa *ſententia*
177.	2.	6.	*clares ejus*	*claves ejus*
183.	2.	2.	præteruentes	prætereuntes .
202.	1.	12.	contingeret	confingeret
206.	1.	4.	*incipientem*	*quod incipientem*

Digitized by Google

Digitized by Google

Google

Digitized by Google

005673997 Digitized by Google